ANTONII BERNARDI MIRANDULANI INSTITUTIO IN UNIUERSAM...

Antonio Bernardi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4R
15

14
4 R
15

Colleg.i R.i Cat. inscriptus

ANTONII Bernardi Mirandulani Institutio in uniuersam Logicam.

EIVSDEM ANT. BERNARDI IN EANDEM COMMENTARIVS.

ITEM,

APOLOGIAE LIBRI VIII.

Omnia nunc primum in lucem edita, cum gratia & priuilegio Cæsareo ad quinquennium, & Pontificio ipsi autori ad decennium concesso, cuius exemplum uersa pagina legendum exhibet.

Accessit quoque rerum & uerborum in hisce memorabilium Index.



BASILEAE, PER [redacted]

B-S.

14-1 K.5

PRIVILEGII PONTIFICII EXEMPLVM.

PAVLVS PP. III.

VNIVERSIS & ſingulis præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilectus filius Antonius Bernardus de Mirandula, familiaris noſter, ſicut ipſe nobis exponi fecit, tria eius opera, quorum unum Inſtitutio in uniuerſam Logicam, alterum Cōmentarius, tertium uero Apologia nuncupantur, edere & imprimi facere intendat, uereaturq́ ne alij huiuſmodi opera ſine eius conſenſu imprimendo, fructum laborum & impenſarum ſuarum iniuſte intercipiant: Nos honeſtis eius precibus inclinati, omnibus & ſingulis bibliopolis, ac librorum impreſſoribus, ubicunq́ locorum exiſtentibus, ſub excommunicationis: his uero qui nobis & Sanctæ Romanæ eccleſiæ mediatè uel immediatè ſubiecti exiſtunt, ſub dicta excommunicationis, & inſuper quingentorum ducatorū auri pro una Cameræ apoſtolicæ, pro alia uero medietatibus ipſi Antonio applicandorum, & librorum impreſſorum amiſſionis ipſo facto incurrendis, pœnis, præcipimus & inhibemus, ne intra decennium proximè futurum opera prædicta ſimul uel ſeparatim imprimere, aut impreſſos uendere, aut uenales exponere, uel habere ſine dicti Antonij licētia & conceſſione audeant, uel præſumant. Mādātes nihilominus quibuſuis locorū ordinarijs, et inſuper uniuerſis Prouinciarum & urbium noſtræ ditionis temporalis gubernatoribus, ut præſentes noſtras cum pro parte dicti Antonij requiſiti fuerint, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari faciant, & ipſi ad executionem plenè deduci curent, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunq́. Volumus quoq́, ut præſentium literarū tranſſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius curiæ epiſcopalis uel archiepiſcopalis, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, tam in iudicio quàm extra, eadem fides adhibeatur, quæ originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, uel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Ianuarij. M.D. XLV. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Blo. el. Fulgin.

ALEXANDRO Cardinali Farnesio, S. R. E. Vicecancellario, Antonius Bernardus Mirandula nus. S. D.

IS EST SCRIBENDI MOS Aristotelis, ea docendi ratio, ut non minus fere multa sint, quæ aut refellendis antiquorum opinionibus, aut amouendis erroribus ijs qui ex eius dictis possunt existere, aut alijs rebus explicandis, quarum incidit mentio, scribit, quàm quæ sunt cum illius rei natura, quam tractat, prorsus coniuncta, sine quibus ea ipsa res nullo modo cognosci potest. Hinc fit, ut quæ ille de arte Logica tradiderit, hæc non modo obscurius sua consuetudine pertractet, sed etiam fusius, quàm ut ea quis uel facile possit, uel celeriter omnino discere. Quare inuenti sunt non pauci, qui, ut rationibus adolescentum in ea re, commodisq; consulerent, conati sunt Institutiones conficere, quibus illos ad ea quæ scripsit Aristoteles, percipienda, iuuari posse existimarent. In his fuit Paulus Venetus, et Petrus Hispanus, qui præter cæteros legũtur. Sed eorum quidem magis probanda uidetur esse uoluntas, consiliumq;, quàm eo ipsi laudandi, quòd quæ uellent, præstiterint: tantum enim absunt (ut uerè dicam) à sternenda ad Aristotelis cognitionem uia, ut omnem etiam ad illam aditum præclusisse uideantur. Atq; utinam suis illis Institutionibus non plures à discenda Logica peringeniosos homines deterruissent, quàm quot ad eius perceptionem adhortati sunt, ac planè iuuerunt. Nimirum enim cùm non pauca docẽt, quæ superuacanea sunt, idq; perplexè nimis, et obscurè: tum pleraq; etiam tradunt, quæ à Peripatetica ratione, doctrinaq; penitus abhorrent. Hæc ego cum uiderem, Alexander ornatissime, tibiq; placuisset, mea ad Logicam percipiendam opera uti, quod nemo hactenus perfecisse uideretur, id mihi planè tentandum censui, ut Institutionem aliquam conscriberem, qua tum in uniuersa Aristotelis Lògica, quàm plurimum possem lucis & adiumenti afferrem:

tum eorum etiam utilitati consulerē, qui cum alia sibi literarū studia proposita habeant, huius artis discendæ causa, quæ quidē ars in omni disciplinarū genere utiliß ma est, tanq̄ ad Aristotelē diuertentes, in eius lectione diutius commorari non possunt. Omnia igitur quæcunq; tradidit Aristoteles, sine quibus ars illa perdisci nullo modo potest, hæc sum, reliquis omißis, quoad potui, breuiter, dilucideq; persecutus, ut nonnulla etiam quæ perobscura eßent Aristotelis loca, satis (ut ego quidem arbitror) illustrarem, ac patefacerem. Hanc autem ipsam Institutionem, cum tua potißimùm causa confecta esset, in tuo etiam nomine edendam putaui, ut & ipsa summo Amplitudinis tuæ splendore, incredibiliq; gratia, commendatior in hominum manus exiret, & hoc, qualecunq; est, meæ singularis erga te obseruantiæ, studijq; monumentum extaret. Vale.

RERVM ET VERBORVM TOto hoc Opere memorabilium

INDEX.

Decipi

D

E

F

Finis

Ignotū

Logicam

M

Mechanici

Q

T

Thomas

FINIS.

ANTONII BERNARDI MIRANDV *LANI INSTITVTIONIS IN VNI-uerſam Logicam exordium, in quo Logicæ finis principalis, ipſiusq; finis cauſa, ſimul & quid Logica ſit, & quo à Diale-ctica differat, declaratur.*

EA QVAE QVAERIMVS, SVNT NV-mero totidẽ, quot ea quæ uel opinando, uel ſciendo cognoſcimus. Quærimus autẽ quatuor: ac primùm quidẽ ſecundùm noſtrũ cognoſcendi modum, an ſit res. Quod cum aſſecuti ſumus, ſequitur illa quæſtio quid ſit, deinde qualis ſit, poſtremò propter quid ſit. Cum uerò (ut dictũ eſt) quatuor ſint ea quæ quærimus, totidẽ ſunt, quæ inuenientes uel opinando, uel ſciendo cognoſcimus. Cæterùm, quia omnis quæſtio mediũ aliquod, tanquam inſtrumentum, quærit, quo eius rei cognitionem conſequamur, qua de re ambigitur (id quod ex eo facilè intelligi poteſt, quòd illo reperto tollitur omnis quæſtio) neceſſe eſt, ut hoc ipſum mediũ quærentes, aliquam ex ijs quæ ſuprà dictæ ſunt, quæſtionibus inueſtigemus. Cum autem huiuſmodi medium, aut inſtrumentum (ut nemini dubium eſſe debet) ſit definitio, & ſyllogiſmus, uel demonſtratiuus, uel dialecticus (omnia enim his tribus tantũmodo cognoſcuntur. nam quid eſt, definitione tantùm percipitur: in eo enim non dicitur aliquid de aliquo. Si eſt, quale eſt, & propter quid eſt, demonſtratione, & ſyllogiſmo Dialectico) neceſſariò quærendæ ſunt ipſæ definitiones, & ſyllogiſmi. nam cętera, quæ uidentur eſſe cognoſcendi inſtrumenta, ad hæc duo ſunt omnino referenda. Sed cum ita ferè uſu ueniat, ut in huiuſmodi definitionibus, & ſyllogiſmis reperiẽdis, conficiendisq; ſæpenumero erremus, exiſtimantes ueram nos rerũ cognitionem eſſe conſecutos, cum tamen poſtremò reperiamus, longe deceptos eſſe: neceſſe eſt, ſi hanc rerum cognitionem conſequi uolumus (uti ſanè debemus, omnes enim homines natura ſcire deſiderant) inuenire artem, quæ ars horum inſtrumentorum, quibus omnium dubiarum rerum acquiritur cognitio, regulas tradat, ex quib. intelligamus, utrum rectè cognoſcamus, nec ne. Neq; uerò id planè difficile erit. nam quicquid ſine arte, ac ſtudio ullo quandoq; fit, multo ſanè magis arte, curaq; adhibita fieri poteſt.

Sed quoniam unaquæq; facultas habet unum aliquid principale, quod ſubiectum dicitur (eſt enim ſubiectum id, cuius quidem cauſa cætera, quæ in illa facultate ſunt, cõſiderantur, atq; ad unum illud referuntur: quod item complectitur omnia, quæ per ſe tractantur. habet enim partes, & proprietates, quæ probantur de ipſo, ac de eius partibus, neq; illam ipſam facultatem cuius eſt ſubiectũ excedit. à cuius etiam unitate ſuam quæq; facultas accipit unitatem: aliter enim

neque principale, neque idoneum, nec unum subiectũ esset) consequens esse uidetur, ut huius quoque facultatis unũ sit aliquod huiusmodi subiectũ: quod quidẽ erit uel oratio simpliciter, uel syllogismus simpliciter, uel demonstratio, uel syllogismus Dialecticus, uel definitio, uel argumẽtatio, uel ens rationis, uel ens reale, uel modus sciendi, uel modus cognoscendi. ex his enim aliquod unum maximè uidetur esse Logicæ subiectum. Sed fieri nõ potest, ut sit oratio simpliciter sumpta, quòd neque ipsa propter se, sed ob definitionẽ, & demonstrationẽ, & cæteros syllogismos cõsideratur, nec per illã cognoscimus quicquam eorũ quæ dubia sunt. Neque syllogismus simpliciter, propter hanc eandem causam. si enim liceret sine syllogismo simpliciter demõstrationem, & syllogismum Dialecticum discere, nulla ipsius syllogismi simpliciter mentio fieret: id enim quod nobis propositum est, sine ipso assequeremur. Neque item demonstratio. cum enim excluderetur syllogismus Dialecticus, quem tamen per se considerari oportet, efficit enim rerum dubiarum opinionẽ, quam etiam exoptamus: tum definitio, quæ scientiam gignit omnium maximam, quippe quę declarat ipsum quid, tolleretur. quod quidem absurdũ esse, præ cęteris ostendit maximè huius ipsius facultatis finis causa, & nos alio loco plurib. declarabimus. Neque syllogismus Dialecticus: quia nec demõstrationi, nec definitioni locus esset in hac facultate. Neque item definitio: demonstratio enim, ac syllogismus Dialecticus, omnino tollerentur. Neque argumentatio: quia siue comprehendat ea per quę scimus, aut opinamur cõplexa, siue nihil differat à syllogismo simpliciter, ex his quæ dicta sunt, excluditur. Neque ens rationis: uel quia comprehenderet etiam ea quæ non considerantur per se, itaque ea quæ per accidens tractantur, æquè subiecto continerentur: uel quia non reperitur hoc ipsum ens, quomodo quidem isti loquuntur, ut alibi ostendimus. Neque ens reale, quòd complectitur cum ea quæ per se, quæque per accidens in hac facultate considerantur: tum etiã quæ nullo modo considerantur. omne enim quod est, ens est. Neque modus sciendi: quia non complectitur syllogismum Dialecticum. Neque omnia simul possunt esse subiectum, uel quia quæ per accidens considerata sunt, per se considerarentur: uel quia facultas hæc nullam haberet unitatẽ, quod est omnium absurdissimum. Reliquũ igitur est, ut sit modus cognoscendi. is enim & comprehendit omnia quæ per se cõsiderantur in hac facultate, & aliquam habet unitatem, à qua hæc ipsa facultas potest una nominari: quæ quidem est unitas ad unum. natura enim definitio est prior demonstratione, & syllogismo Dialectico, ac propter hunc ipsum cognoscendi modũ cætera considerantur. Qui & si non explicitè definitur, definitur tamẽ implicitè, quoniam illius definitio elicitur ex definitionibus specierum eius, quæ quidem definitiones sunt huiusmodi, uidelicet orationes, ex quib. cognoscimus dubia. Nec quicquam obstat, quo minus subiectorum definitiones omittantur, cum per se perspicuæ sunt.

Quoniã uerò iste cognoscendi modus est oratio, qua uel opinando,

do, uel sciendo cognoscimus ignota, facultas ea quæ docet hūc modum constituere, meritò dicetur, docere orationem constituere.

Ac cum rationi consentaneum sit, ut facultates omnes ab ea, quam primò & principaliter considerant materiam, suum accipiant nomē, hæc facultas, cuius proprium munus est atq; officium, orationē duntaxat eo quo dictum est modo sumptam contemplari, Logica uero titulo inscribi poterit. Quæ planè cum ita esse appareat, non erit fortasse à ratione alienū, si ipsam describentes, dicamus esse artem, quæ orationem, qua ignota uel opinando, uel sciendo consequamur, docet principaliter constituere, constitutamq; iudicare. Non ab re autē diximus artem esse, quia propriè non est scientia, cum manifestè doceat operari. Ex qua quidem re uidetur patêre, plurimū interesse inter Logicam propriè sumptam, & Dialecticam: cum Dialectica sit facultas perspiciendi probabile in unaquaq; re, idq; quod includit locos communes, qui non magis ad ipsam Logicam pertinent, quàm ad reliquas facultates. Atque hanc quidem ob causam dicitur syllogizare cōtraria, & habere aditum ad propria omnium facultatum initia, quod per ea probabilia quæ in unaquaq; re sunt, de singulis potest agere. Dicit̄ quoq; uersari probabiliter circa id, circa quod prima philosophia ueris ac necessarijs modis elaborat: quam quidē rem præstare non posse Logicam, ex ijs quæ dicta sunt, minimè in dubiū uenire potest. Quòd si quis dicat, ipsam Dialecticam constare ex resolutiua scientia, id est, ex ea parte quæ docet conditiones syllogismi Dialectici, & ex locis cōmunibus, atq; ita esse partē Logices, quemadmodum dicitur de Rhetorica: hęc quidem pars Logica est, sed ab illa parte tantummodo, quæ locos includit, propriè dicitur Dialectica. uersatur enim inter opponentem & respondentē, & est ea de qua uerè enunciantur, quæ dicta sunt. Itaque non rectè quidem uidentur illi facere, qui definiunt Dialecticam esse artem artium, & scientiam scientiarum, & cætera huiusmodi, intelligendo Logicam. huic enim definitioni nihil planè conuenit cum ipsa Logica, quia non uera est de illa quoq; parte Dialecticæ, quæ tradit regulas, quæq; uerè est Logica. Quòd si rationes, quæ sunt ex locis communibus, dicantur Logicæ, propterea sic dicuntur, quia sunt probabiles & uerisimiles. λόγος enim præter cætera id quoq; significat. Qui sit igitur finis Logicæ, & quæ huius ipsius finis causa, quidq; sit ipsa Logica, & quid à Dialectica differat, perspicuè patet.

LIBRI PERIHERMENIAS EXORDIVM.

CVM igitur finis sit artis Logicæ (ut declaratū est) agere de modo cognoscendi, qui cōprehendit syllogismos & demōstratiuos, & Dialecticos, & definitiones, huius scilicet ipsius modi regulis tradendis, quibus eū recte cōstituamus, cōstitutumq; iudicemus: cūq; syllogismi demōstratiui & Dialectici, quos uolumus in primis docere cōficere (sunt enim, ut apparet, instrumenta) sint syllogismi simpliciter, docendū est primò, cōstituere syllogismos simpliciter. Ac quoniā syllogismi omnes cōstituunt̄ ex propositionib. siue enūciationibus, affirmationibus, & negationib. nobis qui illud propositū habemus, ut huius facultatis q̃ breuissimā possumus rationē institutionēq; tradamus, necesse est primùm docere, quemadmodū ipsæ propositiones, siue enūciationes, affirmationes, & negationes cōstituant̄. Sed cū demonstrandū sit has ipsas enunciationes, affirmationes, & negationes ex nominib. & ex uerbis cōponi, oportet primùm ponere quid sit nomē, quid uerbū, deinde quid negatio, affirmatio, enūciatio, & oratio. Affectuū enim, uel eorū quæ aliquo modo affectuū uim obtinent, quæ quidē sunt ea quæ de aliquo sunt probanda, ut hoc loco nomē & uerbū, eorūq; de quibus illa ipsa quę probanda sunt, probari debent, cuiusmodi est enunciatio, affirmatio & negatio, ponendū esse quid est, qui dubitet arbitror esse neminē. Notū est enim, omnē doctrinā, et omnē disciplinā, qua aliquid de aliquo dicit̄, fieri ex antecedente cognitione, & quid est, cùm prædicati quod dicitur de aliquo, tū etiā subiecti, de quo dicitur ipsum prædicatū, & quia est dignitatis. Rationi igitur cōsentaneum est, ut ponamus primò quid sit nomen, quid uerbū: si prius tamen (ut ea quæ in ipsis definitionib. ponunt̄, facilius intelligantur) hæc dixerimus, literas significare uoces, uoces aūt passiones animæ, quę deinde referūt res. ex quo quidē patet, res tantùm significari, literas significare: passiones uerò animæ & uoces nō modo significare, sed etiā significari. Ex his aūt quatuor, literæ, & uoces nō sunt eædē apud omnes gentes. nam alijs & literis & uocibus Gręci, alijs Latini utuntur: itaq; significant ex cōmuni ipsorū hominum cōsensu. Similitudines uerò rerū, quæ sunt passiones animæ, & res ipsæ sunt eædē apud omnes. equus enim albus, atq; eius similitudo est eadē apud omnes homines: atq; hæc idcirco dicūtur esse eadem secundū naturā. Præterea illud ponendū est, quēadmodū est in anima cognitio, quæ quidē est passio ipsius animæ, quæ interdū neq; uerū neq; falsum exprimit, interdū aut uerū, aut falsum refert: sic esse in uocibus, quę passiones animæ explicāt. Idq; patet ex eo, quod in sola uel affirmatione, uel negatione, licet reperire aut uerū, aut falsum. In intellectu autē aliquādo est cognitio, quæ est affirmatio, uel negatio: aliquando nō, ut de cognitionib. seorsum sumptis. Itaq; in intellectu aliquādo est aut ueritas, aut falsitas: quandoq; non.

Sectio

SECTIO PRIMA.

NOmen est uox significatiua iuxta hominũ cõsensionem, sine tempore, cuius nulla pars separatim per se significat, certum ac definitũ aliquid significans uerbo Est, uel Nõ est, uel Erit adiuncta, exprimens uerum, uel falsum. Dictum est autem, definitum aliquid significans, propter nomina infinita, quæ nihil planè significant, ut non homo, nõ asinus. Siquidem dicuntur infinita, quoniam æquè sunt in quolibet, & quod est, & q̃d non est. atq; ita patet, ipsa non esse nomina propria, sed nomina infinita. quòd si appellantur nomina, communiori uocabulo ita dicuntur. Præterea additum est, uerbo est, uel non est, & reliqua huiusmodi: propter obliquos casus, qui non sunt nomina, sed casus nominũ, qui tamen & ipsi latius nomina dici possunt.

SECTIO II.

VErbum est uox rei definitæ significatiua, cum tempore præsenti propriè, cuius nulla pars separatim per se significat, & quæ semper indicat, prędicatum dici de altero, id est de subiecto. Diximus autem, Rei definitę, propter uerba infinita: ut nõ currit, non laborat. Positum est etiam Propriè, propter uerborum casus: ut currebat, curret: quæ propriè non sunt uerba, sed uerborum casus. cõmuniore tamen uocabulo nuncupantur aliquando uerba. Dictum est autem indicare, prædicatũ dici de subiecto, quia quod semper cõiungit prædicatũ cum subiecto, hoc indicat, prædicatũ dici de subiecto. Verbũ autem cum est uerbũ, semper cõiungit prædicatũ cum subiecto. nõ enim uerbũ est, nisi in enunciatione. nam uerba seorsum prolata, nomina sunt. Quare uerbũ, cum est uerbũ, indicat prędicatũ dici de subiecto. Atq; hęc quidẽ pars uidetur posita, ut uerbũ distinguatur à se ipso, cum scilicet non est uerbum, sed nomen. Quocirca definitio nominis, si rectè consideret, accõmodanda est ad hunc sensum: atq; ut perfecta sit, addendũ est, uel cum tempore, sed non indicans prædicatum dici de subiecto.

SECTIO III.

ORatio est uox significatiua, iuxta hominũ consensum, cuius aliqua pars seorsum significat, ut dictio semper, nõ ut affirmatio, uel negatio. Illud tamẽ existimandũ nõ est, fieri nõ posse, ut partes orationis aliquando nõ sint uel affirmationes, uel negationes, sed hoc loco sic interpretandũ uidetur. Non omnis aũt oratio enunciatiua dicitur, sed tantũmodo quæ uel ueritatem uel falsitatẽ habet. Quare cũ huius facultatis finis sit, agere de oratione enunciatiua, reliqua orationũ genera, uidelicet imperatiuã, optatiuã, subiunctiuã, ac infinitiuã, Rhetoricæ ac Poëticæ, quæ pręcepta mouendi affectus tradunt, pertractandas relinquit. Enunciatio in plures distribuitur partes. alia enim dicitur una, alia plures. atq; earũ quæ sunt una, alia est una simpliciter, et per se alia cõiunctione una, quę scilicet ex plurib. cõstat enũciationibus. Enunciatio una simplex est, quæ significat unã rem de una re: quæ est duplex. altera

enim eſt affirmatio, altera negatio. Siquidē affirmatio eſt enunciatio alicuius prædicati de aliquo ſubiecto: id eſt, qua enunciamus prædicatum aliquod, quod ſignificat unam rem, ineſſe alicui ſubiecto. ut Homo eſt animal. enunciamus enim, animal ineſſe ipſi homini.

Negatio eſt enunciatio alicuius prædicati ab aliquo ſubiecto, id eſt, in qua enunciamus prædicatum ſeiungi ab aliquo ſubiecto: ut, homo non eſt leo. Atq; hęc ſimplex dicitur, & una Subiectum uocatur, id de quo aliquid enunciatur: Prædicatum, quod enunciatur. Enunciatio una coniunctione eſt, quæ plura quidem, ſed coniunctè ſignificat: ut Si homo eſt, animal eſt: Tu curris, uel tu ſtas, Tu es homo, & legis: quarū nōnullæ dici poſſunt hypotheticæ, quæ ſanè omnes ſunt plures, ſed ratione coniunctionū quas includunt, dicuntur unæ & cōpoſitæ. Enunciatio plures dicitur, quæ ſignificat uel plura de pluribus, uel plura de uno, uel unum de pluribus, uel ſine cōiunctione. Plura de pluribus enūciantur, ſi prędicatū & ſubiectū nomē ſit æquiuocū, ut Canis eſt ſanus: aut ſi ita dicamus, Homo, aſinus, bos, currunt & comedūt. Plura de uno, ad hunc modū: Piſcis marinus eſt canis, uel homo eſt albus ambulans. ex his enim nō fit unum. Vnum de pluribus, ſi ita dicamus, Tunica eſt alba, fingendo nomen illud Tunica ſignificare, & equum, & hominem. Plura incōiunctè, ut homo diſputat, aſinus currit, leo rugit.

SECTIO IIII.

CVm omnia aūt quæ hucuſq; ſunt ab initio huius facultatis poſita, ſint principia cognoſcendi, quæ ſumpta ſunt ſine probatione, ponenda iam uidetur eſſe prima cōcluſio, quæ quidē (ut noſtra fert opinio) ita ſeſe habet. Omnis enunciatio, id eſt affirmatio, uel negatio, cōponitur ex nomine & ex uerbo, uel finito, uel infinito: aut ex caſu uerbi. Sic aūt uidetur confirmari poſſe. Omnis oratio quę eſt ex uocibus ſignificatiuis, ex communi hominum conſenſu, ſine tempore, quarū nulla pars ſeparatim per ſe ſignificat, & quæ definitum aliquid uel indefinitum ſignificāt, & uerbo Eſt, uel Nō eſt adiunctæ, uel obliquis eius, uerū aut falſum exprimunt. Item ex uocibus quæ aut conſignificant præſens tempus cum re definita, uel indefinita, aut quæ ſunt circa præſens tēpus, talis inquam oratio dicitur componi ex nomine & ex uerbo, uel finito, uel infinito, aut ex caſibus uerbi. hæc autem propoſitio manifeſta eſt ex definitione nominis & uerbi.

Sed omnis oratio quæ ſignificat aliquid de aliquo, conſtat ex huiuſmodi uocibus, & cętera: hęc quoq; manifeſta eſt. Non enim ſignificari poteſt aliquid de aliquo ſine uoce, quæ ſignificat ſine tempore. eſt enim illa per quam ſignificatur res, quæ de altera re enunciatur, & de qua enunciatur aliquid: & ſine uoce, quæ ſignificat cum tempore. hac enim una indicatur aliquid ineſſe alicui. Ergo omnis oratio quæ ſignificat aliquid de aliquo, uel ab aliquo, componitur ex nomine & ex uerbo, uel finito, uel infinito, aut ex caſu uerbi. Sed omnis enunciatio, uel affirmatio, uel negatio, eſt oratio, quæ ſignificat ali-

quid

quid de aliquo, uel ab aliquo, ut patet ex ipsarum definitionibus. ergo omnis enunciatio, affirmatio, uel negatio, constat ex nomine & ex uerbo, uel finito, uel infinito, aut ex casu uerbi. Hac ratione docemur conficere enunciationes.

SECTIO V.

SEd quoniam ueritati est opposita falsitas, in affirmatione autem & negatione reperitur aut ueritas, aut falsitas, sunt enim enunciationes, affirmatio & negatio inter se opponuntur. Per hanc aũt oppositionẽ intelligitur cõtradictio eiusdẽ prædicati de eodem subiecto: ut homo, qui est animal, potest dici nõ esse animal: idemq; qui nõ est asinus, dici potest esse asinus: quæ quidem sunt falsæ enunciationes. Ac rursus, hominẽ qui est animal, dicere possumus esse animal: eundemq; qui nõ est asinus, nõ esse asinum: quæ quidem sunt ueræ. atq; ita in alijs temporibus, quæ præsens circuunt tempus. eodemq; modo negari licet quicquid affirmatẽ ab aliquo, uel cõtrà. Itaq; patet, in enunciatione reperiri ueritatem & falsitatem. Sed cum omne quod est, necessariò aut uniuersale sit, aut singulare: omnis autem affirmatio, uel negatio, sit enunciatio de eo quod est, uel ab eo quod est: sequitur, ut omnis affirmatio uel negatio sit enunciatio, uel affirmatiua, uel negatiua, alicuius de aliquo, quod aut est uniuersale, aut singulare. Vniuersale autem dicitur, quod de pluribus prædicari potest, ut homo: singulare, quod de nullo prædicari licet, ut Plato. Affirmationes autem, uel negationes, quæ sunt in uniuersalibus, multifariam diuiduntur. sumuntur enim aut uniuersaliter, aut particulariter, aut indefinitè. Vniuersalis affirmatio, uel negatio est, in qua enunciamus prædicatum inesse, uel omni subiecto, uel nulli, quæ quidem est in nominibus uniuersalibus uniuersaliter acceptis: ut omnis homo est animal. in hac enim est homo & animal, quæ (ut diximus) sunt uniuersalia: est etiam uox Omnis, quæ non significat rem uniuersalem, sed uniuersaliter accipi rem ipsam uniuersalem: quod idem dicendum est de hoc nomine Nullus, & de reliquis huiusmodi, ut Nullus asinus est homo.

Particularis enunciatio est, in qua enunciatur prædicatum inesse alicui subiecto, ut Aliquod animal est homo: uel non inesse, ut Aliquod animal non est homo. Quod autem dictum est de uocibus Omnis, & Nullus, hoc idem dicendum est de hac uoce Aliquod, uidelicet non significare rem uniuersalem, sed particulariter accipi rem ipsam uniuersalem.

Indefinita est, in qua enunciatur prædicatum inesse subiecto, uel non inesse, simpliciter sine ullo signo: ut Homo est animal, asinus nõ est homo. Quæ propterea dicitur indefinita, quòd utrum sit uniuersalis propositio, nec ne, incertum est.

Singularis dicitur, in qua enunciatur prædicatum inesse subiecto singulari, ut Socrates est homo.

Affirmatiuas autem & negatiuas propositiones, inter se contrarias esse dicemus, si ita erunt oppositæ, ut altera sit affirmatiua, al-

tera negatiua in eiſdem nominibus uniuerſalibus uniuerſaliter, & non æquiuocè ſumptis. Quarum quidem eſt hæc natura, ut poſsint ſimul eſſe falſæ, non autem ſimul ueræ. id quod ſanè facile intelligetur, ſi dicemus hanc propoſitionem, Omnis homo eſt albus, illi eſſe contrariam, quæ in eiſdem nominibus uniuerſalibus uniuerſaliter ſumptis negatiuè enunciatur ad hunc modum, Nullus homo eſt albus. Contradictorias, uel in figura per obliquũ inter ſe oppoſitas, dicimus eas, quæ ita ſeſe habent, ut una ſit in nominibus uniuerſalibus uniuerſaliter, & affirmatiuè ſumptis, non æquiuocè: altera particularis, uel indefinita in eiſdem nominibus, ſed negatiuè acceptis. uel contrà, ut particularis ſit affirmatiua, uniuerſalis autem negatiua. uel utraq; ſit in eiſdem nominibus, & ſingularibus, quarum tamen una affirmatiuè enuncietur, altera negatiuè: quæ quidem tales habent affectus, ut neq; ueræ, neq; falſæ pariter eſſe poſsint, ſed ſi una uera eſt, altera neceſſariò ſit falſa, & è contrario. Id quod ex inductione facilè intelligi licet, ſi eas quæ ſubijcientur inſpiciamus, quæ quidem ad hũc modum explicantur, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus: Nullus homo eſt albus, Aliquis homo eſt albus. His aũt (ut res de qua loquimur, facilius percipiatur) ſubiungemus eas quæ ex ſubiecto ſingulari conſtant, quæ quidem huiuſmodi ſunt: Socrates eſt albus, Socrates non eſt albus, cum de eodem Socrate intelligatur. Præterea his quæ ſuprà poſitæ ſunt oppoſitionibus, quæ quidem magis proprio oppoſitionis uocabulo inter ſe opponuntur, ſubijciemus eas, quæ quoniam ſumuntur ſub contrarijs, appellari poſſunt ſubcontrariæ. Ex his una conſiſtit in nominibus uniuerſalibus, non uniuerſaliter ſumptis, & affirmatiuè. altera in ijſdem nominibus, ſed negatiuè acceptis. quas, ſi diligenter earum naturam perſcrutabimur, hanc ſubire legem reperiemus, ut utraq; ſimul uera eſſe poſsit, ſed non falſa. Quod ſi conferantur cum uniuerſalibus ijs, quibus ſupponuntur, ſtatim ſubalternarum nomen conſequentur, earumq; ſub quibus ponuntur uniuerſalium naturam, quod ad ueritatem attinet, non quod ad falſitatem, obtinebunt. id quod conſiderantibus planè manifeſtũ erit. Vt omnia tamen clariora dilucidioraq; fierent, hanc figuram aliorũ more deſcriptam, ſubijciendam duximus.

CONTRARIAE

SVBALTERNAE			SVBALTERNAE
	Omnis homo eſt albus	Nullus homo eſt albus	
	Contradictoriæ	Contradictoriæ	
	Aliquis homo eſt albus	Aliquis homo nõ eſt albus	

SVBCONTRARIAE

Sectio

SECTIO VI.

VT uerò quæ dicta ſunt, quæq́ dicent̃, facilius percipiant̃, operęprecium uidetur eſſe, modum ſubijcere, quo modo eæ propoſitiones, quæ (ut dictũ eſt) ſibi inuicem opponuntur per negationes uel præpoſitas, uel poſtpoſitas, inter ſe æquipolleant. Qui quidẽ modus eiuſmodi eſt, ut quotieſcunque particula quæ negandi uim obtinet, pręponitur toti propoſitioni, contradictoria propoſitio æquipolleat ſuæ contradictoriæ. ut exempli cauſa hęc, Non omnis homo eſt albus: æquipollet illi, Aliquis homo non eſt albus, quæ ex regulis iam traditis opponitur propoſitioni uniuerſali affirmatiuæ, quemadmodum dictum eſt. Quoties autem ipſa negatiua particula ponitur poſt ſubiectum, cõtraria propoſitio contrariæ ęquipollet: ut hęc, Omnis homo nõ eſt albus, illi, Nullus homo eſt albus: & hæc, Nullus homo nõ eſt albus, illi, Omnis homo eſt albus. Sed cũ negatio & præponit̃, & poſtponit̃, ſubalternæ æquipollent ſubalternis: ut hæc, Non omnis homo nõ eſt albus, æquipollet illi, Aliquis homo eſt albus, & è cõtrario. Atq; ut ea quæ dicta ſunt, firmius memoria teneant̃, uerſum illũ, qui à recentioribus ponit̃, qualiſcunq; eſt, ſubiungemus. Hic aũt huiuſmodi eſt:

Præ, contradic. poſt, contra. præ, poſtq́, ſubalter. qui uerſus indicat omnes eas, quas demonſtrauimus, conſequentias.

SECTIO VII.

ILlud autem in primis animaduertendum uidetur, ea quæ dicta ſunt, intelligi oportere in eis contradictionibus, quæ ſunt in præſenti & in præterito tempore: nõ autem in eis quæ ſunt in futuro, quæq́ poſſunt & fieri, & non fieri. Nam etſi in huiuſmodi cõtradictionibus neceſſe eſt hanc uel illam partem contradictionis, tam in eis quæ ſingularia ſunt, quàm in his quæ ſunt uniuerſalia, eſſe ueram uel falſam, quia hoc omni conuenit cõtradictioni: tamẽ ſi ita enunciemus, Socrates cras leget, Socrates cras nõ leget, nõ licet pro certo affirmare, aut hãc Socrates leget, aut illã Socrates nõ leget, eſſe ueram uel falſam. Nam ſi quis ita affirmaret, multa ex hac eius poſitione inſequerentur abſurda: in quibus hoc eſſet abſurdiſsimũ, quòd omnia neceſſariò euenirẽt. Quod quidem quàm alienum ſit à ueritate, nemo eſt credo qui dubitet. tollerent̃ enim cõtingens ad utrumlibet, quod quidẽ ita ſeſe habet, ut nullo diſcrimine poſsit eſſe, uel nõ eſſe. ut exempli cauſa, Cõtingit hanc ueſtẽ incîdi, & nõ incîdi. item cõtingens ut in plurib. quod quidẽ nõ ſemper euenit, ſed ut in pluribus: ut, Contingit hominem in ſenectute caneſcere. & contingens raro, ut ſi quis terram fodiens reperiat theſaurum. Neque deliberari liceret. nam quodcunque caperetur conſilium, inane eſſet, ſiquidem omnia neceſſariò euenirent. Hoc autem ſequi, ex eo uidetur colligi poſſe, quòd ſi fingamus ab hinc decẽ menſes licuiſſe uerè illud dicere, craſtina die Socrates leget, fieri non poterit, quin legat. aliter enim falſum erit, quod abhinc decẽ menſes dictum fuerat, quod tamen poſitum eſt uerum eſſe. quòd ſi fieri non

poteſt,

poteſt, quin cras legat, neceſſariò leget. Hoc autem eodem modo cũ ſeſe habeant reliqua omnia, quæ poſſunt eſſe & non eſſe, ſequitur ut omnia neceſſariò eueniant, atq; ea quæ ſunt, ex neceſsitate ſint. Neque uerò licet illud dicere, ſi non proferantur huiuſmodi contradictiones, futurum ut hęc minimè neceſſariò eueniant. neceſſariò enim euenire, quòd ita uoce efferantur. Nam ſiue proferãtur, ſiue nõ proferantur, idem omnino contingere, hinc facilè intelligi poteſt, quod non propter noſtram affirmationem uel negationẽ, res ſunt, aut nõ ſunt. non enim quòd te quis albũ eſſe dicat, idcirco es albus: ſed quia tu es albus, propterea uerum dicit, qui te album eſſe dicit. Quamobrem ſi quid aliquando futurũ eſſe uerè dicatur, neceſſe erit hoc fieri: eaq; quæ ita fient, neceſſariò fient. Quòd ſi aliquis dicat, futurũ quippiam eſſe, propterea quod illud ipſum nõ poterit nõ fieri, quodq; factum eſt, id uerum ſemper fuiſſe dicere futurũ, ſequetur ut omnia neceſſariò & ſint, & futura ſint, quod quidem eſt abſurdiſsimum.

SECTIO VIII.

Cum hactenus egerimus de enunciationibus, in quibus prædicatum ſimpliciter dicitur ineſſe ſubiecto, conſentaneum eſt rationi, ut de his quoq; enunciationibus differamus, in quibus prædicatum non ſimpliciter, ſed aliquo modo dicitur ineſſe ſubiecto: ſi prius tamen, quid per modos intelligatur, exemplo docuerimus. Modi igitẽ ſunt huiuſmodi: Poſsibile, Contingens, Non poſsibile, Non contingens, Neceſſarium. qui modi diuerſas oſtendunt materias. Illud autem neminem latebit, multa nos quæ ante modorũ iſtorum pertractationẽ attingenda uidebantur, de induſtria prætermiſiſſe, quod arbitrati ſumus (nec fortaſſe ſine ratione) ea eſſe ab hac noſtra Inſtitutione aliena.

Verumenimuero ne temere fruſtraq; uideamur ad ipſos modos propoſitionum tractandos aggredi, in primis hanc concluſionẽ ponemus. Propoſitiones eas, in quib. aliquis eſt modus, eſſe negatiuas, ſi earũ modus ſit negatus. Cuius rei illa uidetur eſſe ratio, quòd contingeret, duo contradictoria eſſe ſimul uera: quod fieri nõ poſſe, iam demonſtratum eſt. Hoc autem ex eo facilè intelligi poteſt, quòd ſi ita dicamus, Poſsibile eſt Socratem ambulare, et Poſsibile eſt Socratem non ambulare, ambæ ſunt ſimul ueræ. Quare dicendum eſt, eas eſſe negatiuas, in quibus modus eſt negatus, ut Poſsibile, Nõ poſsibile. ſiquidem modus in hoc propoſitionum genere obtinet uim & naturam, quam uerbum Eſt in eis quæ abſolutè proferuntur.

Quamobrem ſi uolumus contrarias & contradictorias propoſitiones cum ipſis modis redigere ad ordinem earum propoſitionũ, quas ſuprà poſuimus, illud neceſſariò ponendũ uidetur, has propoſitiones, Neceſſe eſt eſſe, Neceſſe eſt nõ eſſe, quæ ſunt cõtrariæ, cum proprietatẽ earũ quas ſuprà demõſtrauimus, cõtrariarũ obtineant, poſſe quidẽ ſimul eſſe falſas, at nõ poſſe ſimul eſſe ueras: quod etiam inſequitur ex natura ęquipollentiarum. quia negatio poſtpoſita, alteram facit alteri æquipollere. Item ponendũ eſt, has propoſitiones,

Neceſſe

Necesse est esse, Non necesse est esse: & has, Necesse est nõ esse, Non necesse est nõ esse, esse cõtradictorias: fieri enim nequit, ut simul sint aut ueræ, aut falsæ: id quod patet etiã, si præponatur negatio. ex qua quidem re sequitur, ut istę, Non necesse est non esse, Non necesse est esse, obtineant uim subcõtrariarum: & istæ, Necesse est esse, Non necesse est non esse, ex una parte, & Necesse est nõ esse, Non necesse est esse, ex altera parte, ita sese habeant, quemadmodum subalternæ, hac ratione duntaxat, quòd sunt sub ipsis contrarijs. Quocirca rectè uidetur poni posse altera figura ad hunc modum, Necesse est esse, Impossibile est esse, quæ sunt cõtrariæ: deinde Possibile est esse, Impossibile est esse, ex una parte, & Possibile est non esse, Necesse est esse, ex altera parte, quæ sunt contradictoriæ: sunt enim sibi inuicem ex obliquo oppositæ. nam Impossibile sequitur hanc, Necesse est non esse, & Possibile hanc, Non necesse est nõ esse. Illæ autem, Necesse est nõ esse, Non necesse est non esse, sunt primò contradictoriæ. Itaq; Possibile est esse, & Impossibile est esse, sunt contradictoriæ. ea enim contradictoria sunt, quæ sequuntur ipsa contradictoria. Item etiam Possibile est non esse, cõtradictoriè opponitur huic, Necesse est esse: quia consequitur primo eius contradictorio, Non necesse est esse. Illud autem sciendum est, Possibile est esse, & Possibile est non esse, in hac figura sumi pro possibili uero, non pro possibili quod est actu, uel necessarium, uel non necessarium. Possibile enim significat & id quod est actu, & id quod est potentia. Possibile uerò quod est actu, bifariã diuiditur. aut enim ita est actu, ut possit tamen nõ esse actu: ut, possibile est hominem currere. Illud autem dicitur propriè esse potentia, quod non est actu, sed potest esse, ita tamen, ut possit etiam non esse, ut in sequẽti libro docebimus. Quamobrem etsi hæ propositiones, Possibile est esse, Necesse est esse: & illę, Possibile est non esse, Impossibile est esse, in hac figura uidentur esse subalternæ, non tamen si loquamur de Possibili uero, ut dictum est, altera insequitur alteram ita, ut ualeat, Necesse est esse, ergò Possibile est esse: quemadmodum particularis affirmatiua (ut demonstrauimus) insequitur uniuersalem affirmatiuam in eis quæ sunt de inesse. sed ipsi Necesse tantummodo consequitur illud Possibile, quod nõ ualeat ad opposita: quod idem de possibili nõ intelligendũ est, ratione habita ad Impossibile. Nam tantùm abest ut ex his altera insequatur alteram, ut penitus etiam euertat: siquidẽ Possibile est esse de uero Possibili, euertit Necesse est esse: quia ualet, Possibile est esse, ergo Possibile est non esse. quo tollitur, Necesse est esse. Item Possibile est nõ esse, tollit Impossibile: quia Possibile est esse, in quod conuertitur ipsum Possibile est non esse, tollit Impossibile est esse. Quare si rectè considerentur & rerum naturæ, & æquipollentiæ, sic ordinandæ uidentur huiusmodi consequentiæ:

Necesse

Necesse est esse Non possibile est non esse Non contingens est non esse Impossibile est non esse	Necesse est non esse Impossibile est esse Non possibile est esse Non contingens est esse.
Non necesse est non esse Possibile est esse Contingens est esse Non impossibile est esse	Non necesse est esse Possibile est non esse Contingens est non esse Non impossibile est non esse.

Quanquam uero de his rebus multa præterea dici possent, tamē quia non erant huius institutionis propria, ea omnia missa fecimus. His igitur, quæ ad enunciationum constitutionē pertinebant, quàm breuissimè potuimus, absolutis, consequens esse uidetur, ut ad ea quæ dicenda restant, aggrediamur.

ANTONII

ANTONII BERNARDI MIRANDV LANI IN LIB. PRIORVM ANAlyticorum, Institutio.

DICENDVM est primùm, quid pertractaturi simus, et cuius rei causa, ne qui legerint suspenso sint animo: sed antè intelligāt, quā de re in primis agendum sit. agetur autem de demonstratione, atque eius ipsius causa. Deinde definiendum est quid sit propositio, quid terminus, quid syllogismus. Explicandum etiam, qui perfectus sit syllogismus, qui imperfectus. Quid item sibi uelit, dici de omni, quid de nullo. hæc enim sunt principia cognoscendi ipsum syllogismum.

SECTIO PRIMA.

PRopositio est oratio simpliciter affirmatiua, uel negatiua alicuius prædicati de aliquo subiecto, uel alicuius prædicati ab aliquo subiecto. Diuiditur autem in uniuersalem, particularem, & indefinitam. Vniuersalis propositio est, in qua prædicatum aut omni subiecto inest, aut nulli. Particularis, in qua prædicatum inest alicui subiecto, aut non omni. Indefinita, in qua prædicatum enunciatur, aut inesse subiecto, aut non inesse, sine signo, uel uniuersali, uel particulari. Terminus est, in quem resoluitur ipsa propositio, ut prædicatum, & id de quo prædicatur: hoc est, Terminus est prędicatum, uel subiectum propositionis, siue in ea propositione exprimatur uerbū Est, aut affirmatiuè, ut Homo est animal, aut negatiuè, ut Homo nō est asinus: siue non exprimatur, sed loco eius ponatur aliud uerbum, uel affirmatum, uel negatū. Verbum enim ac cæteræ partes propositionis, pręter subiectum & prædicatum, non appellantur termini.

Syllogismus est oratio, ex qua sequit̃ per se aliud quid necessariò.

Syllogismus perfectus dicitur is, qui nulla re extrinsecus indiget, ut appareat ex necessitate inferre id, quod ex ipso consequitur necessariò. sed ex ipsis propositionibus acceptis hoc liquidò intelligitur.

Imperfectus syllogismus dicitur, qui aut una re, aut pluribus indiget, ut appareat ex necessitate inferre id, quod tamen re ipsa infert, cū nō satis manifestum sit ex eis quæ assumptæ sunt, propositionibus.

De omni subiecto dicitur enunciari prædicatum, cum nihil est sumere subiecti, uel quod ad subiectum pertineat, de quo non dicatur prædicatum eo ipso modo, quo dicitur de subiecto. Quòd si necessariò prædicatum dicatur de subiecto, de ijs quoque omnibus necessariò dicetur, quæ sint sub ipso subiecto. Sin actu tantùm de subiecto dicatur, actu etiam dicetur de his quæ sunt sub ipso subiecto.

De nullo autem, cum nihil est sumere quod ad subiectū pertineat, à quo nō amoueatur prædicatum eo ipso modo, quo amouebatur à subiecto. Id ipsum autem quod appellatur dici de omni, nihil differt à propòsitione uniuersali affirmatiua, nisi quemadmodum defi-

nitio, aut pars definitionis cõuertibilis differt ab ipso definito. Nam propositio uniuersalis est, in qua prædicatum inest omni subiecto. Prædicatum autem dicitur inesse omni subiecto, cum nihil est sumere, quod ad ipsum subiectum pertineat, de quo non dicatur prædicatum. Sic etiam accipiendum est dici de nullo, ut uidelicet idem sit, quod propositio uniuersalis negatiua. Illud autem animaduertendum est, syllogismos, uel in secunda, uel in tertia figura, actu non dici habere uim, per dici de omni, aut de nullo, etsi habeant propositionẽ uniuersalẽ: quia (ut infrà patebit) non est in his quicq̃ assumere sub subiecto, quod idem nisi cõprehendatur sub prędicato, possit inferri falsum esse, prædicatũ illud inesse omni subiecto, quemadmodum assumptũ fuerat. Quod idẽ dicendũ est de eo quod appellat̃ dici de nullo. hoc enim planè est, habere uim per dici de omni, uel de nullo.

SECTIO II.

QVoniam uero omnis propositio significat, prædicatum aut inesse, ut Homo currit: aut necessariò inesse, ut Homo est animal necessariò: aut contingenter inesse, ut Cõtingit hominem sedere: totidem enim sunt rerũ naturæ, ex hisq̃ aliæ sunt affirmatiuæ, aliæ negatiuæ: quarũ rursus (ut initio dictum est) partim sunt uniuersales, partim particulares, aliæ indefinitæ: quo facilius ea quæ dicenda sunt, percipi possint, necesse est docere, quemadmodũ conuertantur inter se huiusmodi propositiones sic, ut ex subiecto fiat prædicatũ, uel contrà. Primùm igitur uniuersalis negatiua, quam de inesse uocant, cõuertitur necessariò in terminis, hoc est in uniuersalẽ negatiuam ita, ut si uerè dicatur, Nulla uoluptas est bonum, necessariò cõsequatur, ut nullum bonũ sit uoluptas. atq̃ hæc quidem uocatur propositionum conuersio. Quòd si quis negauerit hanc, quæ cõuertens appellatur, esse uerã, concedens priorẽ uerãm esse, cogetur is fateri falsam esse hanc, Nonnullũ bonũ est uoluptas: quæ est prima eius cõtradictoria. nõ enim magis unq̃ cõtradicitur, quàm cũ negatio toti propositioni præponit̃. Superiore aũt libro ostensum est, cõtradictoriarũ enunciationũ, si altera sit falsa, alteram necessariò esse uerã. Quare hęc, Aliquod bonũ est uoluptas, erit omnino uera, quippe quæ sequitur primã contradictoriã. Sed fingamus illud ipsum bonũ uocari A, tunc sic argumentor. A est bonũ, A est uoluptas, ergo aliqua uoluptas est bonũ. Itaq̃ falsum est, Nullam uoluptatẽ esse bonũ, siquidẽ A est uoluptas, & bonũ. At positũ fuerat, nullã uoluptatẽ esse bonũ: ergo falsum est, aliquã uoluptatẽ esse bonũ. Falsum itẽ hoc, Aliquod bonũ esse uoluptatẽ. falsum est enim, ipsum A, quod bonũ uocatur, esse uoluptatẽ. Sequitur ergo, ut uera sit ea quæ proposita fuerat propositio, uidelicet Nullum bonum esse uoluptatem. Vniuersalis affirmatiua necessariò conuertitur in particularem affirmatiuã. Nam si uerũ est, omnem uoluptatẽ esse bonum, sequitur necessariò, ut uerũ sit etiam, aliquod bonũ esse uoluptatem. Quòd si quis hoc nõ concesserit, fateatur oportet hanc propositionem esse uerã, Non aliquod bonũ est uoluptas: quę est prima eius

contra-

cõtradictoria, ex qua ſanè infertur, Nullum bonum eſſe uoluptatem. ex hac autem per conuerſionem (ut dictum eſt) ſequitur, Nullam uoluptatem eſſe bonum: quæ quidem omnino tollit illam, quam poſueramus eſſe ueram, Omnem uoluptatem eſſe bonum. Contrariæ enim propoſitiones non poſſunt ſimul eſſe ueræ. ergo planè confirmatur, quod dictum eſt.

Particularis affirmatiua, uel indefinita neceſſariò cõuertitur in particularem, uel in indefinitam. Nam ſi uerè illud dicatur, Aliquam uoluptatem eſſe bonum, neceſſariò cõcedendum erit, Aliquod bonum eſſe uoluptatem. Si hoc enim falſum ſit, uerum erit, Non aliquod bonum eſſe uoluptatẽ: quæ prima eſt illius contradictoria. quo ſanè conceſſo, cõcedendum etiam erit, Nullum bonum eſſe uoluptatẽ: itemq́, Nullã uoluptatem eſſe bonum: quo planè tollitur id quod ſuprà poſitum eſt, uidelicet, Aliquam uoluptatem eſſe bonum. Particularem uerò negatiuam, uel indefinitam minimè neceſſariũ eſſe conuerti, ex hoc facilè conſtat, quòd tametſi uerum eſt, Aliquod animal non eſſe hominem, non tamen neceſſe eſt, Aliquem hominem nõ eſſe animal, quandoquidem omnis homo uerè eſt animal.

SECTIO III.

NEceſſariæ propoſitiones eodem modo cõuertuntur, quo propoſitiones, quas uocant de ineſſe. Nam ſi neceſſe eſt, Nullum hominem eſſe aſinum, quæ eſt uniuerſalis negatiua: neceſſe eſt etiam, Nullum aſinum eſſe hominem. Si enim hęc dicatur eſſe falſa, uera erit quæ illi opponitur, uidelicet Non neceſſe eſt nullũ aſinum eſſe hominem. ex qua quidem ſequitur hæc, Contingit aliquem aſinum eſſe hominẽ. ex hac ipſa autem per aſſumptionẽ alicuius ſenſibilis, ac per ea quæ ſuperius declarata ſunt (nam Contingit accipitur pro neceſſariò. aliter enim adhiberi nõ poſſet huiuſmodi probatio) infertur hęc, Contingit aliquem hominem eſſe aſinum: quæ quidem illam, Neceſſe eſt nullum hominem eſſe aſinum, quam poſuimus eſſe ueram, penitus euertit.

Propoſitio uniuerſalis affirmatiua neceſſaria, itemq́ particularis affirmatiua neceſſaria, conuertitur in particularem affirmatiuam neceſſariam. ut ſi exempli cauſa dicamus, Neceſſe eſt omnem, uel aliquẽ hominem eſſe animal: ſequitur hęc, Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem. quæ quidem ſi negetur eſſe uera, uera omnino erit prima illi oppoſita, Non neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem: quæ per negationem præpoſitam idem ualet, quod hęc, Neceſſe eſt nullum animal eſſe hominem. hæc autem conuertitur in illam, Neceſſe eſt nullum hominem eſſe animal: ex qua infertur hæc, Non neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal. quæ quidem non uideretur ex ea quæ accepta eſt, prima oppoſita inferri, niſi illa ipſa prima oppoſita idẽ ualeret, quod negatiuæ eæ quas diximus. hac autem demum euertitur illa, Neceſſe eſt omnem, uel aliquem hominẽ eſſe animal. Particularis negatiua neceſſaria non conuertitur, ob eam quam ſuprà attulimus cauſam.

SECTIO IIII.

QVod autem ad propositiones attinet, quas de cōtingenti nuncupant, cum multa uox Contingens significet, quò facilius ea quæ dicenda sunt, intelligantur, sciendū est, Contingens ualere necessariū, id est quod actu est, nec potest non esse eo modo quo est: & non necessarium, id est quod actu est, potest tamen non esse: & id quod propriè dicitur posibile, quod quidē est ens, quod non necesse est non esse. In huiusmodi igitur propositionibus de contingenti affirmatiuis eodem modo fiunt conuersiones, quo demōstrauimus fieri in eis quæ significant uel inesse, uel necessariò inesse. Nam si contingat omne B, aut aliquod B esse A, necessariò cōtinget aliquod A esse B. quod si negetur ab aliquo, fatendum illi erit uerā esse hanc, Non contingit aliquod A esse B. ex qua uel hæc sequitur, Necesse est nullum A esse B: quæ (ut ex eis constat, quæ dicta sunt) conuertitur in hanc, Necesse est nullū B esse A. uel illa, Contingit nullum A esse B, si contingens quidem accipiatur pro necessario: quæ deinde cōuertitur in hanc, Contingit nullum B esse A, quæ tollit eas quas posuimus esse ueras. Cæterùm in negatiuis nō uidetur eodem modo dicendum esse, nisi in eis quæ significant necessariò nō inesse, et nō necessariò inesse: ut ex eis quæ dicentur, erit manifestū. Nam si cōtingat nullum hominem esse equum, quod necessariò non inest, cōtinget etiam nullum equum esse hominem. Item si contingat nullā uestem esse albam, quæ quidem propositio nō necessarium significat: necessariò sequetur, ut cōtingat nullum album esse uestem. Hoc autem si quis erit qui negare audeat, cogetur ille idem fateri, ueras esse illas propositiones, Nō contingit nullum album esse uestem, & Non contingit nullū equum esse hominem. Ex quibus quidem in hoc sensu cōtingentis necessariò sequitur, ut Aliquod album sit uestis, & aliquis equus sit homo. Ex his autem necesse est inferri, necessariò aliquā uestem esse albā, & necessariò aliquem hominem esse equum: quibus planè tolluntur ea quæ dicta sunt. Ex negatiuis de cōtingenti propriè, ut in pluribus, quomodo suprà demonstrauimus accipi contingens, particularis quidem propositio cōuertitur, uniuersalis uerò nō conuertitur. id quod tum maximè perspicuum fiet, cum de ipso contingenti agemus. omnes autem quas demonstrauimus cōuersiones, ab istis recentioribus per insequentem uersum indicari solent.

» Feci, simpliciter, conuertitur, eua per acci.

Vbi A, quemadmodū in modis syllogismorū, de quib. infrà agemus, indicat uniuersalē propositionē affirmatiuā, E uniuersalem negatiuā, I particularem affirmatiuam, O particularem negatiuam.

SECTIO V.

HIs cognoscendi initijs constitutis, ex quibus ferè omnis cognitio eorū quæ in hac facultate dubia sunt, elicit̃, docendum iam uidetur, ex quot terminis, quibusq; propositionibus, & quando, & quomodo ipsis terminis inter se habentibus cōstituatur omnis syllogismus: tum demonstrationē quoq; pertractabimus. Nā etsi illud nobis maximè propositū est, ut agamus

de

de demõstratione,nõ de syllogismo: tamen prius loquendũ est de syllogismo,quoniã syllogismus est ipsa demõstratione uniuersalior. omnis enim demõstratio est syllogismus,at nõ omnis syllogismus est demonstratio. In qualibet aũt disciplina debẽt uniuersaliora prçcedere ea quæ sunt particularia, quæq; ipsis uniuersaliorib. cõtinentur. Quare si propositio est oratio uel affirmatiua, uel negatiua alicuius de aliquo,uel alicuius ab aliquo, si terminus est aut prædicatũ propositionis,aut subiectum,si syllogismus est oratio, ex qua sequitur per se aliud quid necessariò,necesse est oẽm syllogismũ secundùm naturã cõfici ex propositionibus,& ex terminis. Nam aliter falsum esset,syllogismũ esse orationẽ necessariò aliquid aliud per se inferentẽ,quæ tamen definitio ab omnib. planè cõceditur. Hoc aũt quod diximus ita esse, ex eo colligi potest, quòd necesse est id quod ex syllogismo inferri dicitur,esse cõclusionem qua cõcludatur aliquod prędicatũ: ut A inesse,uel nõ inesse alicui subiecto,ut B: idq; aut uniuersaliter,aut particulariter. cuius quidẽ conclusionis prædicatũ uocatur maior extremitas, subiectũ minor. cumq; ea ipsa cõclusio finis sit syllogismi, ut perspicuum est ex eius descriptione, quemadmodũ illa quidem postulat, sic oportet cõficere syllogismum. Quamobrẽ si huiusmodi sit cõclusio,ut ea uelimus cõcludere A de B, uel affirmatiuè,uel negatiuè,necessariò sumendũ est aliquod prædicatum uel affirmatiuè,uel negatiuè dici de aliquo subiecto. aliter enim nullo modo cõcludi posset,aliquid dici de aliquo. At sumere id quod hoc modo sese habeat,est sumere propositionẽ: quia propositio (ut docuimus) est ora o uel affirmatiua, uel negatiua alicuius de aliquo, uel alicuius ab aliquo. Ergo illud sequitur,ut syllogismus cõstet ex propositionibus,et ex terminis. Propositiones enim cõstituuntur ex terminis. nam terminus (ut definitũ est) dicitur id ad quod redigitur ipsa propositio,quod quidẽ est subiectũ & prædicatũ. Syllogismus igitur erit ex propositionib. & ex terminis, quia est oratio quæ cõcludit aliquid de aliquo necessariò. Verùm cũ generatim demonstratũ sit,omnes syllogismos esse ex propositionib. & ex terminis,explicandũ uidetur esse particularius, ex quot propositionibus, & quot terminis, atq; his quo modo inter se habentibus cõstituatur omnis syllogismus, quod quidẽ est tractare figurã & modum: uerùm prius de figura agemus. Si uolumus igitur cõcludere A de B,uel inesse, uel nõ inesse,necessariũ est (ut diximus) accipere, aliquid dici de aliquo. Quòd si accipiamus, A dici de B,ut concludamus ipsum A de B,sumemus id quod probare uolumus,ad probandũ illud ipsum quod nobis propositum est ostendere, quod quidem fieri nequit. Si uerò accipiatur,A dici de C,ipsum C aũt nõ accipiatur prædicari de quopiã alio,aut aliud quicq; dici de ipso C, itemq; nullum prædicatũ sumatur prædicari de A,nullum cõficiemus syllogismum: quandoquidẽ nulla accepta sit propositio, præter hanc unam,omne C est A: ex qua nõ sequitur illa,omne B est A,quam uolumus cõcludere. Cuius quidẽ rei hęc uidetur esse ratio, quia ex eo quòd enũciatur unum prędicatũ de uno aliquo subiecto,hoc est ex una propositione,nihil sequitur necessariò. Itaq; fieri nõ potest,ut,quemadmodum ex definitione syllogismi patet,sequatur syllogisticè. Quare neces-

ſarium eſt, præter eam quæ accepta eſt, ſumere aliam aliquã propoſitio nem. Quòd ſi ſumatur A, quæ erat maior extremitas, dici de aliquo, ut uerbi gratia de X, ſic, ut dicamus omne X eſt A, ſimul cũ illa propoſitione, omne C eſt A: uel ſi cum eadem propoſitione ſumatur aliquod prædicatũ dici de A, ut F, atq; ita dicamus, omne A eſt F: aut ſumamus aliud aliquod prædicatũ dici de C, ut H, ad hunc modum, omne C eſt H: ſi aliquid inquam huiuſmodi acceptũ fuerit, nihil fortaſſe obſtabit, quo minus ſyllogiſmus ita fiat, omne A eſt F, omne X eſt A, ergo omne X eſt F. nõ tamen ex eis quæ ſumpſimus, cõcludemus A de B, id q̃d nobis propoſitũ erat. Neq; item ſi fingamus ipſum C, de quo (ut poſitum fuerat) prædicabatur A, prędicari de alio, ut de N, ſic ut dicamus, Omne D eſt C, omne N eſt D: N autẽ dici de alio, ut de I. nõ enim fiet ſyllogiſmus, qui concludat omne B eſſe A. ex quo ſanè (ut rem paucis abſoluam) cõſtat, nullum unq̃ ſyllogiſmum fieri poſſe, qui concludat aliquod prædicatũ de aliquo ſubiecto, ut A de B, niſi ſumatur aliquod medium, quod medium aliquo modo referatur ad utranq; extremitatem ſecundùm prędicationes, cũ ſyllogiſmus ſimpliciter cõſtet ex propoſitionibus: ſyllogiſmus autem ſit ad hoc, id eſt ad certã definitamq; cõcluſionem, ut ad hanc, omne B eſt A. Quamobrẽ fieri non poteſt, ut ſumamus propoſitiones accõmodatas ad B, quæ aut nõ efferantur affirmatiuè, uel negatiuè de ipſo B, aut nihil habeãt quod cõmune ſit ipſi A cum B. Vt igitur ſyllogiſmus cõcludat aliquod prædicatũ de aliquo ſubiecto, ut A de B, uel affirmatiuè, uel negatiuè, neceſſe eſt aliquid ſumere quod ſit mediũ inter duas illas extremitates ſic, ut prædicationes cõiungat. Verùm cum illud commune, quod oportet accipi tripliciter tantummodo ſecũdùm naturã, referri poſſit ad utranq; extremitatem, (nam aut eſt ſubiectum maioris extremitatis, & prędicatũ minoris: aut prædicatum utriuſq;, aut ſubiectum, ut in eo quo ſemel uſi ſumus exemplo perſiſtamus) aut A, quæ eſt maior extremitas, dicetur de C, q̃d fingamus eſſe cõmune illud de quo diximus, & C de B: aut ipſum C de utroq; dicetur, & de A, & de B: aut utrunq; de ipſo C. nõ enim ullo alio modo ſecundùm naturã hoc fieri poteſt. Quod quidem cum ita ſit, neceſſariò cõmune illud in omni ſyllogiſmo erit, uel ſubiectũ maioris extremitatis, & prædicatum minoris, uel prædicatum utriuſq;, uel ſubiectum. Atq; ita quidem patet, cõmune illud quod nũcupatur medium, bis ſemper ſumi ante cõcluſionem. Cum medius autẽ terminus triplici ratione (ut dictum eſt) in ſyllogiſmo cõſtituatur, tres cõſtat eſſe ſyllogiſmorum figuras. figura enim nihil aliud eſt, niſi ipſius medij termini diſpoſitio ad extrema. omnis ergo ſyllogiſmus ſecundùm naturã eſt in una aliqua harũ trium figurarũ, quæ quidem eſt cõcluſio illa quam uoluimus probare. Quòd ſi A pluribus medijs probabitur ineſſe ipſi B, hoc fiet uel in eadẽ figura, uel in pluribus. accipit enim ſemper (ut oſtenſum eſt) medium terminũ ſyllogiſmus. Huiuſmodi autem figuræ optimum inter ſe nactæ ſunt ordinem. nam diſpoſitio illa medij termini, in qua ipſe medius terminus eſt ſubiectũ maioris extremitatis, & prædicatum minoris, in primo collocatur ordine, primaq; nuncupatur figura.

est enim perfectior dispositio. Illa aũt in qua medius terminus est prædicatũ utriusq; extremitatis, uocatur secunda. Illa uerò in qua est subiectum, dicitur tertia. hęc enim est ipsius medij imperfectior dispositio.

Cum igit̃ in omni syllogismo sumatur medius terminus, qui in propositionibus eo quo dictum est modo, ad utranq; refertur extremitatẽ, necesse est omnẽ syllogismũ esse tantummodo ex tribus terminis, uidelicet ex maiori extremitate, & minori, & ex medio termino. itẽq; ex duabus propositionibus: aliter enim ea quæ dicta sunt, non essent uera. Ex quo illud etiam consequit̃, ut omnis syllogismus sit ex duabus omnino propositionib. quarũ altera maior dicit̃, altera minor. Nam ex tribus terminis ita se habentibus, quemadmodum dictum est, duæ tantummodo propositiones constituuntur.

Neq; uerò quòd demonstratum est, syllogismũ generatim esse ex terminis, quia sit ex propositionibus: ac rursus esse ex duabus propositionibus, quia sit ex tribus terminis, conficitur circulus. quoniã (ut patet) non ab eodem omnino proceditur ad idem, neq; eodem planè modo.

SECTIO VI.

QVanquam autẽ dictũ est, omnẽ syllogismũ fieri in una aliqua trium figurarũ, nemo tamẽ existimabit oẽm orationẽ, quęcũq; sit in una aliqua trium figurarum, esse syllogismũ. nam alia quędã requiruntur, quæ nobis deinceps explicanda sunt. nõ enim ex huiusmodi oratione sola quicq; sequit̃ necessariò.

In prima ergo figura si maior extremitas, ut A, dicatur de medio termino, ut C, uniuersaliter & affirmatiuè: medius autẽ terminus dicatur uniuersaliter & affirmatiuè de minori, q̃d est B: necesse est per id quod uocat̃ de omni, maiorẽ extremitatẽ quæ est A, dici de minori extremitate quæ est B, uniuersaliter & affirmatiuè. atq; ita cõstituitur syllogismus q necessariò concludit: ut omne C est A, omne B est C, ergo omne B est A. Atq; hic erit primus syllogizandi modus in prima figura: qui quidẽ modus quoniã habet tres ꝓpositiones uniuersales affirmatiuas, indicat̃ hac uoce Barbara: in qua quidẽ cũ ter ponat̃ A, quod significat propositionẽ uniuersalem affirmatiuã, ex eo intelligimus primũ modũ primæ figuræ includere tres propositiones uniuersales affirmatiuas.

Si uerò maior extremitas per negationẽ seiungatur à medio termino uniuersaliter, medius aũt terminus uniuersaliter et affirmatiuè pręd icet̃ de minori extremitate, sequitur per id q̃d de nullo dicit̃, ut maior extremitas necessariò per negationẽ remoueatur à minori uniuersaliter: ut Nullũ C est A, omne B est C, ergo nullũ B est A. aliter enim falsum fuisset, A dici de nullo C: q̃d tamen positũ est esse uerũ. Atq; hic sanè modus dicitur Celarent: qui quoniã bis habet uocalẽ E, qua propositionẽ uniuersalẽ negatiuã significari dictũ est, & A semel, q̃d significat uniuersalem affirmatiuã, ostendit primã propositionẽ esse uniuersalem negatiuam, alteram uniuersalem affirmatiuã, tertiam uniuersalem negatiuã.

Si uerò maior extremitas dicatur de medio uniuersaliter & affirmatiuè, medius aũt terminus de minori extremitate particulariter & affirmatiuè: sequitur necessariò per id quod de omni dicit̃, ut maior extremi

tas dicatur particulariter & affirmatiuè de minori. aliter enim falsum fu isset, maiorē extremitatē dici de omni medio: q̃d tamē positum est esse uerū. Atq; hic tertius est argumentādi modus in hac prima figura, qui nominatur Darij, qui quidē indicat primā esse uniuersalē affirmatiuā, cū in prima eius syllaba sit A: alterā particularem affirmatiuā, quæ signi ficatur per unum I. tertiā particularem affirmatiuā, quę significatur per alterū I. Quòd si maior extremitas dicatur uniuersaliter & negatiuè de medio, mediū uerò particulariter & affirmatiuè de minori extremitate, sequitur necessariò per id quod de nullo dicitꝰ, ut maior extremitas per negationē amoueatur particulariter à minori. Qui quidē quartus est argumentandi modus in hac prima figura, & Ferio nuncupatur, osten ditq; primā esse uniuersalem negatiuā, alterā particularem affirmatiuā, tertiā particularem negatiuā. siquidem O, quod in uoce Ferio tertium atq; ultimum locū obtinet, indicat particularē negatiuā. Quod aūt dici tur de particulari propositione, idem etiā intelligendū est de indefinita. Cum uerò syllogismus sit oratio, ex qua sequitur aliquid per se necessa riò, fieri nō potest, ut sint alij modi argumentandi secundùm naturā in hac figura. Cumq; ex his tātummodo quos posuimus (ut patet per id quod de omni & de nullo dicitur) necessariò inferatur cōclusio, necesse est hos ipsos esse optimos argumentādi modos. Duo autem ex illis uni uersales sunt, duo particulares, qui omnes his notantur uocibus:

» Barbara, Celarent, Darij, Ferio.

Reliqui argumentandi modi qui in hac figura numerantur, uel nō infe runt necessariò, atq; idcirco nō sunt utiles: uel si inferunt, nō inferunt se cundùm naturā, ut scilicet maior extremitas de minori dicatꝰ, sed ut tan tūmodo minor de maiori enuncietur secundùm artē. Qui quidē modi

» nuncupantꝰ: Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorū. qui eo modo quo cæteri, notantur uocalibus ijs quas includunt.

SECTIO VII.

CVm uerò syllogismus sit oratio, ex qua sequitur per se aliud quid necessariò, necesse est in secunda figura mediū termi num, quē fingamus esse M, dici negatiuè de maiori extremi tate quæ sit N, & affirmatiuè atq; uniuersaliter de minori, quæ sit X, si uolumus cōcludere necessariò, N, quæ est maior extremi tas, per negationē seiūgi ab X, quæ est minor extremitas. Si enim pro positio uniuersalis negatiua conuertatur in terminis, prima fiet figura, cuius quidem necesśitas apparebit ex eo quod de nullo dicitur. Nam si nullum N est M, omne autem X est M, sequitur omnino nullū X esse N. cōuertitur enim hæc, Nullum N est M, in illam, Nullum M est N. Cum uerò omne X sit M, cōsequens est, ut nullum X sit N. Hęc autem est prima figura. Atq; hic est primus argumentandi modus, qui Cesare nuncupatur. Quid autem notent huiusmodi uoces, satis à nobis in pri ma figura dictū est. In hac igitur figura necesse est syllogismum fieri eo modo quo diximus, uel mediū terminum uniuersaliter & affirmatiuè dici de maiori extremitate, uniuersaliter et negatiuè de minori, ut neces sariò maior extremitas uniuersaliter & negatiuè remoueatur à minori. Ita enim sequetur id necessariò, atque hic argumentandi modus erit bo nus.

nus. bonos enim in ipso cōficiemus syllogismos, cuius quidem modi hoc erit exemplū. Omne N est M, nullū X est M, ergo necesse est nullū X esse N: quia si nullū X est M, ac rursus nullū M est X, positū est aūt omne N esse M, cōsequens est ut nullū N sit X. Quia uerò cōuertitur negatiua propositio, sequitur ut nullū X sit N, id q̄d uoluimus ostendere. Hic aūt secundus erit argumentationis modus, qui appellat̃ Camestres. Sic igit̃ (ut demonstrauimus) fit syllogismus. Vel oportet mediū terminū uniuersaliter & negatiuè dici de maiori extremitate, particulariter uerò et affirmatiuè de minori. Ita enim sequetur, maiorē extremitatē per negationē particulariter remoueri à minori extremitate, ut Nullū N est M, aliquod X est M, ergo aliquod X nō est N. Conuersa enim negatiua propositione habemus hanc, Nullū M est N, & sic primā figurā. Atq; hic tertius est modus, qui appellat̃ Festino. Vel necessariū est in hac secūda figura mediū terminū dici uniuersaliter & affirmatiuè de maiori extremitate, particulariter aūt & negatiuè de minori. Ita enim sequet̃ necessariò, ut maior extremitas particulariter & negatiuè remoueatur à minori extremitate. ut omne N est M, aliq̄d X nō est M, ergo aliquod X nō est N: quoniā si omne X est N, cū omne N sit M, necessariū erit omne X esse M. sed hoc fieri nō potest, cū positū sit, M nō inesse alicui X: igit̃ rectè illatū est, aliq̄d X non esse N. Hic aūt quartus est argumentandi modus, qui nūcupatur Baroco. Omnino igit̃ ut syllogismus sit oratio, ex qua sequatur per se aliud quid necessariò, oportet oēs syllogismos secūdæ figuræ esse in uno aliquo horum quatuor modorū: quandoquidē in his duntaxat licet inferre ex necessitate. soli enim isti ad primā figurā redigi possunt, ex quibus quidem duo sunt uniuersales, duo particulares. Illud aūt facile cōstare arbitror, oēs syllogismos huius figuræ esse imperfectos, quādoquidem omnes perficiuntur sumptis quibusdā extrinsecus, quæ uel insunt terminis ex necessitate, ut conuersiones: uel sunt uti positiones, ut cū per id quod fieri nequit, ostendimus uerā esse cōclusionem eam quæ illata est, id quod accidit in quarto modo secundæ figuræ.

SECTIO VIII.

IN tertia figura, ut syllogismus sit oratio, qualē esse oportere diximus, necesse est fieri ipsum syllogismū in uno aliq̄ ex illis sex modis quos dicemus. Cōstituitur ergo syllogismus in hac figura in primo modo tum, cū maior extremitas, itemq; minor dicit̃ uniuersaliter & affirmatiuè de medio termino: ut si omne S sit P, omne aūt S sit R, sequitur maiorē extremitatē, quæ est P, dici necessariò de minori extremitate, quæ est R particulariter. Idq; quoniā minor propositio, quæ est uniuersalis affirmatiua, cōuertitur in hanc particularē, aliquod R est S: itaq; fit prima figura, & hic modus uocatur Darapti. In secundo modo fit syllogismus in hac figura, cū maior extremitas, ut P, remouetur uniuersaliter per negationem à medio termino, ut ab S: minor aūt extremitas, ut R, dicitur uniuersaliter & affirmatiuè de ipso medio. Ita enim sequitur per cōuersionem secundæ ꝓpositionis, ut P necessariò nō insit ipsi R. hęc enim est prima figura. Atq; hic modus, qui est secundus, dicitur Felapton.

Præterea

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præterea fit ſyllogiſmus in hac figura tum, cũ maior extremitas, ut P, dicitur de aliquo medio, ut de aliquo S, affirmatiuè: minor aũt extremitas, ut R, dicitur de omni medio uniuerſaliter, & affirmatiuè. Sequitur enim, ut maior extremitas, quæ eſt P, dicatur de aliquo R affirmatiuè. nam cum hęc, Aliquod S eſt P, cõuertatur in illã, Aliquod P eſt S, ſequitur, ut aliquod P ſit R, quæ eſt prima figura. Atq; ita quidem (ut ex regulis cõuerſionum facilè conſtat) illud cõſequitur, ut aliquod R ſit P. Hic autem tertius eſt modus, qui nominatur Diſamis.

In hac etiam figura fit ſyllogiſmus, ſi maior extremitas uniuerſaliter, & affirmatiuè enuncietur de medio: minor autem de eodem particulariter, & affirmatiuè. Nam ſequitur, ut maior extremitas particulariter dicatur de minori affirmatiuè, quia per conuerſionẽ minoris propoſitionis, quæ eſt particularis, conſtituitur prima figura. Atq; hic eſt quartus modus, qui uocatur Datiſi. Si uerò maior extremitas, ut P, dicatur particulariter, & negatiuè de medio termino, ut S: minor autem, ut R, dicatur uniuerſaliter, & affirmatiuè de eodem medio: ſequitur, ut maior extremitas remoueatᷣ neceſſariò particulariter à minori, ut P ab R. Quia ſi dicatur, omne R eſſe P, quod quidẽ eſt cõtradictorium ipſius cõcluſionis, cum omne S ſit R, omne S eſt P, contrà q̃ aſſumptum fuerat. Hic aũt quintus eſt modus, qui diciᷣ Brocardo.

Quòd ſi maior extremitas, ut P, uniuerſaliter, & negatiuè dicaᷣ de medio termino, ut de S: R aũt quæ eſt minor extremitas, particulariter, & affirmatiuè de eodẽ medio termino: ſequitur, ut maior extremitas neceſſariò remoueaᷣ particulariter à minori, idq; per cõuerſionem propoſitionis particularis in particularẽ, quo quidẽ modo prima cõſtituitur figura. Atq; hic eſt ſextus argumẽtandi modus in hac figura, qui uocaᷣ Feriſon. In hac ergo figura ſi fiat ſyllogiſmus, cõſtat, illũ fieri oportere in uno aliquo ex illis ſex modis. quia ſi aliter fiat (ut facilè intelligi licet, ſi diligẽter attendaᷣ) nõ ſequetur neceſſariò cõcluſio. Manifeſtũ etiã uidetur eſſe ex his quæ dicta ſunt, tertiæ quoq; figuræ ſyllogiſmos oẽs eſſe imperfectos, quippe qui oẽs perficiũtur ſumptis quibuſdã extrinſecus, quemadmodũ oſtendimus. Omniũ aũt figurarum modos uiſum eſt, memoriæ cauſa, ſimul oẽs cõprehendere his infrà ſcriptis uerſib. qualeſcũq; ſint, qui ab iſtis recentiorib. inuenti ſunt.

» Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
» Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
» Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
» Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

SECTIO IX.

QVoniã uerò demõſtrauimus, oẽs ſyllogiſmos ſecundæ & tertiæ figuræ eſſe imperfectos, perficiq; ſi redigantᷣ ad primã figurã, q̃d fit uel cõuerſione terminorũ, uel deductione ad id quod fieri nequit, cũ ſcilicet ex oppoſito eius q̃d inferẽ, cũ altera illarũ propoſitionũ quæ ſumptæ fuerãt, inferimus oppoſitũ alterius propoſitionis acceptę, ut in quarto modo ſecũdæ figuræ, & in quinto tertiæ explicatũ eſt. Quoniã ergo ſyllogiſmi ſecundæ

&

& tertiæ figuræ ad hunc modū perficiuntur, non erit alienū docere, qua ratione illi ipſi modi redigant̄ ad primam figurā. Primæ igitur literæ quatuor dictionū primę figurę, ſunt hę quatuor cōſonantes, B, C, D, F. quibus ſanè literis illud notatur, omnes reliquarū figurarū modos incipientes à B, redigi ad Barbara, qui primus eſt modus: à C, ad Celarēt: à D, ad Darij: ab F, ad Ferio. Omniū aūt figurarū modi omnino ab una aliqua iſtarum literarū incipiunt. Illud quoq; animaduertendum eſt, in quocunq; horū modorū reperiatur S, nobis per illud indicari propoſitionē eam, quæ notatur uocali, quæ illam ipſam cōſonantem S antecedit, ſimplici cōuerſione cōuerti oportere, id eſt in terminis, ſi modus ille in quo reperitur S, ad primā rediga tur figurā. Per P aūt ſignificari, conuertendam eſſe propoſitionē per accidens, id eſt ex aliqua parte. Per M, ex minori maiorem fieri oportere, uel cōtrà. Per C, eos modos in quibus reperitur, ad primam figurā eſſe reuocandos, deductione ad id quod fieri nequit. Quæ omnia per hos uerſus, qui infrà ſcripti ſunt, ab iſtis recētiorib. deſignari ſolent. Simpliciter uerti uult S, P uerò per acci. "

M uult tranſponi, C per impoſsibile duci. "

Quod quidem cum ita ſit, rectè cōcludi poteſt hęc uniuerſalis cōcluſio, oēs ſyllogiſmos redigi ad uniuerſales ſyllogiſmos primę figuræ: ſi quidē & ij qui ſunt particulares in prima figura, & ſi per ſe perfecti ſunt, tamē poſſunt deductione ad id quod fieri nequit, redigi ad uniuerſales ſecūdæ figuræ ſyllogiſmos, qui poſtmodū redigunt̄ ad uniuerſales primæ. Cuius rei hæc erūt exempla. Omne B eſt A, aliquod H eſt B, ergo aliq̄d H eſt A. Omne B eſt A, nullū H eſt A, ergo nullū H eſt B. Sed poſitū fuerat, aliq̄d H eſſe B: ergo manifeſtū eſt, illam cōcluſionē, Aliquod H eſt A, neceſſariò ſequi ex illis propoſitionib. Ita in ſyllogiſmo negatiuo, Nullū B eſt A, aliquod H eſt B, ergo aliq̄d H non eſt A. quod ſi nō ita ſit, omne H erit A. Itaq; licebit argumentari, Nullū B eſt A, omne H eſt A, ergo nullū H eſt B. At poſitū fuerat, aliquod H eſſe B, ergo uera eſt cōcluſio illa, aliq̄d H nō eſt A. Particulares igit̄ ſyllogiſmi primæ figuræ primùm redigunt̄ ad ſecundā figuram, deinde reuocant̄ ad primā. itaq; omnes ſyllogiſmi redigunt̄ ad duos uniuerſales modos primæ figuræ. Iam de ſyllogiſmis qui oſtēdunt ineſſe, uel non ineſſe, ſatis dictū eſt, quomodo ſe habeant, & ſecundùm ſe, qui eiuſdem ſunt figuræ, & ad ſe inuicem, qui diuerſarū.

SECTIO X.

De ſyllogiſmis de neceſſario.

VErum enimuerò, quoniam inter ſe differunt propoſitiones, quæ ſignificant prędicatum ineſſe ſubiecto, & quæ neceſſariò ineſſe, & quæ contingenter (alia enim prædicata, quemadmodum ſuprà dictum eſt, inſunt ſubiectis, quæ non inſunt neceſſariò, ut Homo currit: alia neceſſariò inſunt: alia non inſunt quidem, poſſunt tamen ineſſe) conſentaneū eſt, ut ſyllogiſmi, qui ex his cōficiuntur propoſitionibus, eandē inter ſe differentiā habeant, ut alij quidem ſint tantūmodo de ineſſe, alij de ineſſe neceſſariò, alij ex contingentibus. Cæterùm cum explicatum ſit,

sit,quo pacto ex materia,quæ inesse significat, cõstituantur syllogismi,explicandum iam uidetur esse, quemadmodum ex reliquis quoque materijs constitui posśint. aliter enim imperfectam ipsius syllogismi simpliciter cognitionem traderemus. Primùm autem ostendemus,qua ratione fiant ex materia illa, quæ significat necessariò inesse: quod quidẽ quàm breuiśsimè fieri poterit,docere conabimur.

Eodem igitur ferè modo constitutis & terminis,& propositionib. erit,ac rursus non erit syllogismus ex propositionibus necessarijs,iuxta atq; ex propositionibus de inesse. Hoc autẽ interest, quòd in his additur ex neceśsitate: itaq; dicitur inesse ex neceśsitate,aut non inesse. Id quod à nobis facillimè intelligetur,si illud intueamur,propositiones necessarias uniuersales, uel particulares, siue negatiuæ sint,siue affirmatiuæ,eandem subire cõuersionum legem,quam quæ sunt de inesse. Huc etiam accedere, ut id quod de omni, & de nullo dicit, eodem modo accipiatur in necessarijs propositionibus,quemadmodum in eis quæ significant inesse, uti suprà explicatum est. Quare in cæteris figuris, præter primam, per conuersionem ostendetur, hos ipsos syllogismos qui ex materia necessaria constituuntur,conclusionem necessariam concludere, similiter atq; eos qui inesse significant: excepto tamen quarto modo secundæ figuræ,qui Baroco,& quinto tertiæ,qui Brocardo dicitur. In his enim duobus modis,propter materiæ & modorum difficultatem,longè facilius ostendetur,sequi conclusionem necessariam per expositionem,quàm per deductionẽ ad id quod fieri nequit: propterea quod perinde erit, ac si per ipsos terminos adhibeatur ostensio, qua quidem ostensione nulla ferè alia in his rebus clarior adhiberi potest, ut ex eis quæ infrà dicentur,perspicuè patebit. Sumamus igitur aliquid, quod comprehendatur sub minori extremitate, à quo perspicuè remoueatur medius terminus uniuersaliter,& de hoc ipso conficiamus syllogismum in eadem figura: ita enim sequetur, ut maior extremitas necessariò remoueatur ab eo quod sumptum est,itemq; ab eo sub quo id quod sumptum est comprehenditur. ut si dicamus,omne B est A necessariò,aliquod C non est A necessariò,ergo aliquod C non est B necessariò. Hoc autẽ si fortè dubium sit, accipiamus aliquid quod comprehendatur sub C,& perspicuè amoueatur ab A uniuersaliter,idq; sit D,atq; ita dicamus: omne B est A necessariò,nullum D est A necessariò,ergo nullũ D est B necessariò. Cum autem ex eo quod pro certo,cõcessoq; sumptum est,constet,aliquod C esse D necessariò,sequitur,ut aliquod C necessariò non sit B: quod quidem nobis propositum fuerat ostendere. Itaque uerè dictum est,si syllogismus necessarius sit de eo quod sumptum est,fore item necessarium de eo sub quo comprehenditur id quod sumptum est. Hoc idem de quinto modo tertiæ figuræ dicendum est: sed ut diximus, syllogismum in eadem tertia figura fieri oportet.

Sectio

SECTIO XI.

Mixtio necessarij, & de inesse in prima figura.

CVm uerò syllogismorum materiæ non sint eæ tantummodo quas diximus, uerum etiam accedat alia, quæ ex illis est admixta: necessariũ uidetur esse, declarare, & quomodo ui principiorum syllogisticorum inferant huiusmodi syllogismi, & quid inferant. Prius tamẽ agemus de syllogismis ĳs, qui ex materia de inesse, & necessaria confecti sunt: utranq; enim huiusmodi materiam satis iam pertractauimus, illud in primis admonentes, nos propositiones de inesse uocare eas, quas diximus esse ab ipsis necessarĳs & contingentibus distinctas: aliter enim frustra fuissent distinctæ. Si maior igitur propositio necessaria sit, minor autem de inesse, necessariò sequitur necessarium in prima figura, id quod ex dicto de omni facilè patet. Quod quidem ita definitum est, cum nihil est sumere, quod ad subiectum pertineat, de quo non dicatur prædicatum eo ipso modo, quo dicitur de subiecto. Nam si omne B sit A necessariò, omne C autem sit B actu: sequitur, ut A dicatur de omni C necessariò. aliter enim cum C pars sit ipsius B, sequeretur, A non dici de B: id quod tamen pro certo concessoq; positum est. Quamobrem illud consequitur, ut ui principĳ syllogistici, ex maiori necessaria, & ex minori de inesse, inferatur conclusio necessaria. Quod autem dictum est de modo uniuersali affirmatiuo, idem etiam dicendũ est de negatiuo ex definitione ipsius dici de nullo.

Si uero maior propositio fuerit de inesse, minor autem necessaria, sequitur conclusio de inesse, & non necessaria. Quod etsi satis perspicuum fieri potest ex dicto de omni, tamen nõ alienum erit, hoc idem ostendere deducendo aduersarium ad id quod fieri nequit. Prius tamen faciemus hunc syllogismum: Omne B est A de inesse, omne C est B necessariò, ergo omne C est A de inesse: quæ quidem non est conclusio necessaria, quia contingeret aliquod B esse A necessariò, quod omnino falsum est. Consequi autem absurdum hoc quod positum est, ex prima & ex tertia figura licet intelligere. Nam cũ ex aduersarĳ sententia omne C sit A necessariò, aliquod B autem sit C necessariò, per conuersionem minoris propositionis, in tertio modo primæ figuræ sequetur, ut aliquod B sit A necessariò: quod quidem falsum est. quia B tale est, ut ei nulli insit A. In tertia uerò figura hoc idem ostenditur ad hunc modũ: Omne C est A necessariò, aliquod C est B necessariò, ergo aliquod B est A necessariò: quod quidem fieri nequit, ut ex eo quod positum est, constat. Eodem quoq; modo dicendum erit, si prior propositio uniuersalis negatiua fuerit: eadẽ est enim demõstrandi ratio. Cum ergo id quod de omni dicitur, ostendat sequi conclusionem de inesse, itemq; deductio ad id quod fieri nequit, quæ in hoc alia est, ab ipso dici de omni. Item etiam termini ad hunc modũ, Omne animal mouetur, omnis homo est animal necessariò, ergo omnis homo mouetur: non ex necessitate, quia neq; ani-

mal mouetur ex necessitate. Cum inquam ita sit, nõ licet illud dicere, per deductionem ad id quod fieri nequit, posse ostendi, sequi conclusionem necessariã: quia neq; affirmatiua necessaria sequi poterit, neq; negatiua necessaria. affirmatiua enim de inesse tollit utranq;. Neq; itẽ sequitur conclusio contingens, quia nulla huiusmodi propositio est accepta. Quòd si maior propositio, siue sit affirmatiua, siue negatiua, erit uniuersalis, & necessaria: minor autem particularis, & de inesse: sequitur conclusio particularis affirmatiua, uel negatiua eodem modo, secundùm proportionẽ, ut in uniuersalibus dictum est, & in particularibus. quod quidẽ patet ex definitione eius quod de omni, uel de nullo dicitur. Sin aũt è contrario cõstitutæ fuerint propositiones, nõ sequitur cõclusio necessaria, sed de inesse: ut patet ex definitione de omni, & de nullo, et ex terminis, quemadmodũ ostẽsum est.

SECTIO XII.

Mixtio necessarij, & de inesse in secunda & tertia figura.

IN secunda aũt et in tertia figura, in qua fit huiusmodi mixtio, si ea propositio sit necessaria, quę cũ syllogismus ad primã redigitur figurã, fit maior, sequitur cõclusio necessaria. Si uerò illa quæ nõ fit maior, sed minor, sit necessaria, sequitur (ut ex eis patet quæ superius dicta sunt) conclusio de inesse. In Baroco aũt, & in Brocardo, cũ syllogismus nõ posit per cõuersionem ad primã figurã redigi, tradi nõ potest regula. Quoquo modo tamẽ se habeant propositiones, ex illis nõ infertur cõclusio necessaria, sed de inesse: quia termini ostendunt, sequi cõclusionem de inesse. ut in Baroco ad hunc modũ, Omne ambulans mouetur de necessitate, aliquis homo nõ mouet̃, ergo aliquis homo nõ ambulat de inesse: potest enim ambulare. Item etiã, omnis homo ambulat: aliq̃d, q̃d mouetur, nõ ambulat necessariò: ergo aliquid quod mouet̃, non est homo de inesse. Cõtingit enim, aliquid q̃d mouetur, esse hominẽ. In Brocardo uerò sic, Aliquis homo nõ uigilat, omnis homo est animal necessariò, ergo aliq̃d animal nõ uigilat de inesse. uel ad hunc modũ, Aliq̃d animal nõ est bipes necessariò: omne animal mouet̃: ergo aliquid, quod mouetur, nõ est bipes de inesse. Cũ ergo termini ostendant, sequi conclusionem de inesse, non potest sequi, neq; conclusio necessaria affirmatiua, neq; negatiua, quia de inesse euertit utranq;.

Quod cum ita sit, non licet per deductionem ad id quod fieri nequit, ostendere, sequi negatiuam necessariam. Recte igitur dictũ est, quoquo modo ponantur propositiones in hac mixtione, sequi conclusionem de inesse, quòd hoc ex terminis ipsis patet.

SECTIO XIII.

De syllogismis de contingenti.

CVm suprà egerimus de syllogismis, qui ex propositionibus de inesse, et necessarijs conficiuntur, deq; eorundem mixtione, ut perfectam syllogismorum omnium cognitionem consequamur: explicandum uidetur, quando, et

quomodo,

quomodo,& ex quibus ſint ſyllogiſmi de contingenti. Verùm antequam ad ea quæ dicenda ſunt, ueniamus, neceſſe eſt declarare, quid ſit contingens illud, de quo nunc loquimur.

Huiuſmodi ergo contingens eſt ens, quod non neceſſe eſt nõ eſſe. Per ens, diſtinguitur ab his quæ omnino non ſunt: quæ quidẽ ſunt ea, quæ neq; actu, neq; potentia extant. Per id autem quod non eſt, diſtinguitur ab eis quæ ſunt, ſiue actu tantùm ſint, ſiue neceſſariò. huiuſmodi enim contingens non eſt, illa uerò ſunt. Per uoces, Non neceſſariò non eſt, ſeiungitur etiam ab iјs quæ non ſunt, ſed tamen neceſſariò uel futura ſunt: ut, ſol cras orietur (quod enim non neceſſariò non eſt proprie, fieri poteſt ut ſit, idemq; non ſit: quæ uerò neceſſariò futura ſunt, hæc non poſſunt non eſſe. itaq; non propriè dicitur poſſe id eſſe, quod neceſſariò futurum eſt) uel non futura ſunt, ut nullus homo eſt aſinus. talia enim neceſſariò nõ ſunt. Contingens autem non eſt, ſed non eſt neceſſarium ut non ſit.

Huiuſmodi autem eſſe contingens, uidetur colligi poſſe ex affirmationibus & negationibus ſibi inuicẽ oppoſitis. quia ſi, Non contingens eſt eſſe, & Impoſsibile eſt eſſe, et Neceſſe eſt non eſſe, uel ſunt eadem, uel ſequuntur ſe inuicem, conſequens eſt, ut quæ his ipſis oppoſita ſunt, uidelicet, Cõtingit eſſe, Poſsibile eſt eſſe, Non neceſſe eſt non eſſe, uel ſint eadem, uel ſe inuicem ſequantur. De omni enim dicitur uel affirmatio, uel negatio. Quòd ſi, Neceſſe eſt non eſſe, conſequitur huic, Non cõtingit eſſe, uel nihil ab eo differt, Non neceſſe eſt nõ eſſe, quod quidẽ illi oppoſitũ eſt: conſequet̃ huic, Cõtingit eſſe, uel nihil ab eo differet. Itaq; cõtingens erit, Non neceſſe eſt non eſſe: ac rurſus, Non neceſſe non eſſe, erit contingens: quia neceſſe eſt non eſſe, eſt non contingens eſſe. Ex quo ſanè patet, contingens eſſe illud ens, quod cum non ſit neceſſarium, ſi ponatur ineſſe, nihil ſequitur abſurdi. hæc enim eadem eſt definitio, quæ ſuperior. Nam per illam particulam, ſi ponatur ineſſe, nihil ſequitur abſurdi, circumſcribitur non eſſe. non enim uerè dicitur poni ineſſe, niſi quod non eſt. Itaque perinde ualet, ac ſi diceretur, Contingens eſt ens, quod non neceſſarium eſt non eſſe. Contingens autem, quod definitum eſt, tripliciter dicitur. nam aliud dicitur Contingens natum, ſiue ut in plurib. aliud, ut in paucioribus, ſiue à fortuna: aliud indefinitum. Contingens natum dicitur id, quod tametſi nõ ſemper eueniat, euenit tamẽ ut in pluribus, eo ſcilicet tempore, quo aptum eſt euenire. ut Contingit hominem maſculum ſuo tempore barbam emittere. id enim (ut patet) non ſemper eſt, ſed frequenter euenit. nam nõ ſemper quis huius eſt ætatis: cum autem eſt, non neceſſe eſt hoc euenire.

Contingens à fortuna dicitur, quod non eſt, ſed poteſt eſſe; raro tamen accidit: ut ſi quis terram fodiens theſaurum reperiat.

Contingens indefinitum dicitur id, quod nullo diſcrimine ſeſe habet ad eſſe, & ad non eſſe. ut, Contingit hominem ambulare. De quibus etiam ſuperiore libro egimus.

Animaduertendũ eſt aũt, quo melius ea quæ dicenda ſunt, perci-

piantur, cõtingens dici de neceſſario, et de ineſſe, & de poſsibili æqui uocè. Hęc enim omnia cõtingentia appellari poſſunt, ſed æquiuocè: illud tamen quod propriè dicitur cõtingens, eſt quod definiuimus.

SECTIO XIIII.

HIs ita expoſitis, ſciendum eſt, omnes propoſitiones, quæ ueri contingentis naturam obtinent, conuerti inter ſe: non tamen ſic, ut eæ quæ in lib. de Enunciatione appellatæ ſunt uerè affirmatiuæ, cõuertantur in eas quæ uerè negatiuæ dictæ ſunt. hoc enim fieri non poſſe, nulli planè poteſt eſſe dubium. ſed eæ quæ uerè affirmatiuæ ſunt, conuertuntur in eas quæ non uerè ſunt negatiuæ, quia non habent modum negatum, ſed relatione aliqua dicuntur negatiuæ, quia negatiuam habent figuram, cum tamen re uera affirmatiuæ ſint. in his enim modus ita ſe habet, ut uerbum Eſt, in eis quæ ſunt de ineſſe. modus autem ipſe non negatur, ſed uerbum. quod tamen ad conuerſiones attinet, quas ſuprà demonſtrauimus, ſimiliter ſe habent, ac uerè negatiuæ. Cuius quidem rei hæc uidetur eſſe cauſa, quòd contingens eſt nõ neceſſarium, non neceſſarium autem contingit non ineſſe. Manifeſtum eſt igitur, ſi contingit A ineſſe B, contingere etiam non ineſſe. Vniuerſales autem conuertuntur in uniuerſales, itemq́ particulares in particulares. Quæ enim conuerſiones ſic accipiendæ ſunt, ut contingens natum non conuertatur in contingens natum, ſed in contingens ut in pluribus, atque ita è contrario. Indefinitum uerò contingens conuertitur in contingens indefinitum: non enim magis hoc modo ſeſe habet, quàm illo.

SECTIO XV.

CÆterùm explicandum etiam uidetur, quid ſit dici de omni, uel de nullo, in propoſitionibus de cõtingenti. nam ſine his definitionibus, nulla ſyllogiſmorum de contingenti comparari poſſet cognitio. De omni igitur ſubiecto dicitur aliquod prędicatum in propoſitionibus de contingenti, cum nihil eſt ſumere, quod ad ſubiectum pertineat, uel actu, uel contingenter, de quo non dicatur contingenter ipſum prædicatum. De nullo autem, cum nihil eſt ſumere, quod ad ſubiectum pertineat, uel actu, uel contingenter, à quo non remoueatur prædicatum ipſum contingenter.

SECTIO XVI.

De ſyllogiſmis de contingenti in prima figura.

HIs ita poſitis, conſequens eſt ut dicamus primùm, quis erit ſyllogiſmus ex propoſitionibus ambabus de contingenti. Ex utraque igitur propoſitione de contingenti in quatuor modis primæ figuræ, ſequitur ſemper concluſio per ſe de contingenti eo modo, quo dictum eſt in propoſitionibus de ineſſe, & de neceſſario. ut ſi exempli cauſa dicamus, Contin-

git

git omne uigilans currere, contingit omnem hominem esse uigilantem, ergo contingit omnem hominem currere. Id quod patet ex definitione de omni, quam posuimus.

Si uerò in prima figura ponantur ambæ propositiones uniuersales negatiuæ, uel si prior uniuersalis sit, & affirmatiua, altera uniuersalis, aut particularis negatiua, ex huiusmodi propositionibus non concludetur necessariò conclusio de contingenti. sed tamen, quoniã huiuscemodi propositiones conuertuntur in affirmatiuas, quibus quidem ita conuersis fit syllogismus, ex his inferri dicitur conclusio contingens. at hi imperfecti sunt syllogismi, ut si ita dicamus: Contingit nullum uigilantem currere, cõtingit nullum hominem esse uigilantem, ergo contingit omnem hominem currere. Conuertantur autem ambæ propositiones in affirmatiuas: uel hæc, Contingit nullum hominem currere, sit tantùm minor. si aliter uerò sese habuerint huiusmodi propositiones, ex his confici non potest syllogismus, ut in omnes modos primæ figuræ intuenti patebit.

SECTIO XVII.

Mixtio contingentis, & de inesse in prima figura.

SI uerò ita se habuerint propositiones syllogismi, ut una sit contingens, altera de inesse: contingens autem ponatur cum maiori extremitate, uel affirmatiuè, uel negatiuè, de inesse uerò cum minori affirmatiuè, aut uniuersaliter, aut particulariter: sequitur conclusio de contingenti. atque hi quidem syllogismi sunt perfecti: rectè enim constitui possunt per id quod de omni, uel de nullo dicitur.

Si uerò propositiones è contrario se habuerint, ut prior sit de inesse, altera de contingenti, uel uniuersaliter, uel particulariter, prior autem sit affirmatiua, concludent conclusionem de contingenti uero. Sin autem sit negatiua, concludent conclusionem quidem de contingenti, sed non de contingenti uero, quod definitum est esse illud ens, quod non necessarium est non esse, sed contingenti pro inesse. Atque imperfecti quidem sunt hi syllogismi. non enim demonstrantur per id quod de omni, uel de nullo dicitur, sed per deductionem ad id quod fieri nequit. Quod quidem ita esse, ex hoc facilè intelligi potest, si ponatur, ex falso possibili non sequi falsum impossibile. Si igitur omne B sit A de inesse, contingat autem omne C esse B, sequitur ut contingat omne C esse A: quia nisi sequatur hæc conclusio, sequetur eius opposita, Non contingit omne C esse A: quæ idem ualet quod hæc, Necesse est aliquod C non esse A. Huic autem si adiungamus minorem propositionem, quæ ex contingenti facta est de inesse, uidelicet omne C est B, quæ quidem falsa est, sed non impossibilis, ut ex ijs quæ superius dicta sunt patet, in tertia figura sequitur, ut aliquod B non sit A, quæ tollit maiorem primi syllogismi, id quod fieri nequit. Falsa ergo est talis conclusio, & impossibilis. Sed cum falso posito, at non impossibili, id quod accidit, non possit esse

 impossibile,

impoſsibile, neceſſe eſt cõcluſionem eam quæ falſa eſt, & impoſsibilis, ſequi (ut ita dicam) impoſsibilitatẽ maioris propoſitionis, ex qua infertur id quod uolumus. Verùm in huiuſmodi mixtione non uidentur accipiendæ, niſi propoſitiones uniuerſales affirmatiuæ de ineſſe, quarum ſubiectum nõ latius pateat, quàm prædicatum: ut Omnis homo currit, cõtingit omnem uigilantem eſſe hominem, igitur contingit omnem uigilantem currere. Nam huiuſmodi propoſitiones dicuntur ſimpliciter de ineſſe, & nõ definitè iuxta tempus aliq̃d, propterea quòd his nihil opus eſt illa temporis cõditione, qua indigent eæ quarum ſubiectũ plura cõprehendit, quàm prędicatum: ut, Omne quod mouet̃, eſt homo. Neceſſariò enim dicendũ eſt, ne propoſitio uideatur falſa, nihil obſtare, quo minus aliquãdo omni quod mouetur, inſit homo: ut, ſi nihil aliud moueat̃. quia ſi ita dicamus, Omne quod mouet̃, eſt homo: cõtingit autem, omnẽ equum moueri: ſequitur neceſſariò, nullũ equum eſſe hominẽ. Item ſi dicamus, Omne quod mouet̃, eſt animal: cõtingit autẽ omnem hominẽ moueri: ſequitur neceſſariò, omnẽ hominẽ eſſe animal. Ex his tamen nõ fit ſyllogiſmus, ut patet, ꝓpterea quòd pugnant cũ eis quibus cum cõiunguntur, cõtingentibus. Nam illa propoſitio, Omne quod mouet̃, eſt homo: ſi intelligatur uniuerſaliter, falſa eſt. Sin autẽ de animali rationali tantũ, uera eſt, ſed cõtingens falſa. Falſum eſt enim, cõtingere equum eſſe tale quod moueat̃, quale eſt animal rationale. Si uerò q̃d mouetur, in una propoſitione alio modo accipiat̃, atq; in altera, ſyllogiſmus erit in quatuor terminis. Hoc idem dicendũ eſt de illa propoſitione, Omne quod mouetur eſt animal. nam ſi ſumatur uniuerſaliter, falſa eſt: ſin autẽ de eo tantùm quod moueatur, quod eſt animal, falſum eſt, cõtingere hominem, de uero contingenti, eſſe idem quod moueatur, quod eſt animal. quia ſi animal actu mouetur, non ſolùm non contingit, de uero contingenti, hominem moueri, ſed etiam neceſſariò mouetur. Quapropter apertè falſa eſt illa propoſitio, Contingit hominẽ moueri de uero cõtingenti, ratione illius quod actu mouetur. Pugnant igitur inter ſe huiuſmodi propoſitiones. itaq; nõ hæ accipiendæ ſunt, ſed illæ quarum ſubiectum non cõprehendit plura quàm prædicatũ: ex quibus quidem nihil tale ſequitur, quod abſurdum ſit. Si uerò fingatur nullum B eſſe A, cõtingat autẽ omne C eſſe B, neceſſariò ſequet̃, ut cõtingat nullũ C eſſe A de ineſſe: quia niſi id ſequat̃, neceſſe erit aliquod C eſſe A. Cum aũt omne C ſit B, neceſſariò aliq̃d B erit A: quæ cõcluſio planè maiorẽ euertit propoſitionem. Non igitur fieri poteſt, ut ſequatur cõcluſio de uero cõtingenti: quia termini ipſi oſtendunt, ſequi cõcluſionem neceſſariã. ut, Nullũ ambulans eſt coruus: cõtingit, omnem hominẽ ambulare: ergo neceſſe eſt, nullũ hominem eſſe coruũ. Itaq; nõ ſequitur cõcluſio cõtingens, uerùm neq; neceſſaria ſemper. ut, Nullũ quieſcens eſt ambulans, contingit omnem hominẽ quieſcere, igitur nullus homo eſt ambulans. Quia uerò cũ huiuſmodi oſtenſione terminorũ coniuncta eſt deductio ad id quod fieri nequit, ſequi fortaſſe poteſt cõcluſio de ineſſe.

Præterea

Præterea si minor negatiua sit, quæ tamen potest conuerti in affirmatiuam, etsi imperfecti sunt hi syllogismi, concludunt tamen huiusmodi conclusionem contingentem.

Quod autem dictum est de mixtione contingentis, cum eo quod est de inesse, hoc idem uidetur quodammodo dicendũ de mixtione necessarij & cõtingentis, uidelicet terminis simpliciter se habẽtibus, futurum ut fiat, ac non fiat syllogismus in prima figura.

SECTIO XVIII.

De syllogismis de contingenti in secunda figura.

IN secunda uerò figura confici non potest syllogismus ex ambabus propositionibus de contingenti, quomodocunque ponantur. Cuius quidem rei hæc uidetur esse ratio, quia neq; si ambæ sint affirmatiuæ, recte constitui potest syllogismus (in hac enim figura, ut nemini obscurum est, ex ambabus affirmatiuis nullus fit syllogismus) neq; si una sit affirmatiua, altera negatiua. nam oporteret redigi ad primam figuram. Quod quidem nullo modo fieri posse, hinc facilè intelligi licet, quòd in huiusmodi syllogismo ad primam figuram redigendo, conuertenda esset uniuersalis negatiua de contingenti in terminis, quod planè absurdum est. sequeretur enim, ut uniuersalis affirmatiua (quemadmodum ex eis quæ dicta sunt, perspicuum est) conuerti posset in uniuersalem affirmatiuam. id autem quàm à ueritate alienum sit, nemini obscurum esse arbitror. Hoc autem insequi perspicuè apparet, quia superius explicatum est, contingentes affirmationes conuerti cum negationibus. Nam si contingat omne B esse A, contingit etiã Nullum B esse A: quæ si conuertatur, conuertetur in hanc, Contingit nullum A esse B: quæ ex ea quam diximus regula, conuertitur in illam, Contingit omne A esse B. itaque à primo ad extremum ualebit, Contingit omne B esse A: ergo cõtingit omne A esse B, id quod nobis propositũ fuerat ostendere. In illo etiam modo qui Baroco dicitur, cuius quidem maior est uniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, non erit syllogismus. non enim per deductionem ad id quod fieri nequit, redigi potest ad primam figuram. Nam uniuersalis affirmatiua de contingenti, quam oportet concludi per syllogismum, cuius minor sit contradictoria particularis negatiuæ de contingenti, quæ concludebatur per priorem syllogismum, non tollit particularem negatiuam de contingenti. ut, Contingit omne B esse A, contingit aliquod C non esse A, ergo contingit aliquod C non esse B. Si enim per deductionem ad id quod fieri nequit, liceret ostendere, ad hunc modum fieret, Contingit omne B esse A, necesse est omne C esse B, ergo contingit omne C esse A: quæ conclusio non euertit illam, Contingit aliquod C non esse A. Præterea, si fieret ex huiusmodi complicatione syllogismus, sequeretur conclusio de contingenti, quia non accepta est ulla propositio,

quæ non ſit de contingenti: ſed non poteſt eſſe de contingenti, ergo nullo modo fieri poteſt ſyllogiſmus. Hoc autem ita eſſe, ex eo patet, quòd huiuſmodi concluſio de contingenti, aut affirmatiua eſſet, aut negatiua. ſed non poteſt eſſe neq; affirmatiua, neque negatiua: ergo nullus fit ſyllogiſmus. Illam autem non poſſe neque affirmatiuam eſſe, neque negatiuam, ex eo colligi licet, quòd termini ipſi declarant, ſequi concluſionem negatiuam neceſſariam, quæ quidem euertit utranque contingentem. ut ſi ita dicamus, Contingit omnem hominem eſſe album, Contingit aliquem equum non eſſe album, ergo neceſſe eſt nullum equum eſſe hominem. Non ſequitur autem neceſſaria negatiua, propterea quòd nulla accepta eſt propoſitio neceſſaria. Quod autem dictum eſt de Baroco, hoc idem licet dici de omnibus modis ſecundæ figuræ ſecundùm proportionem.

SECTIO XIX.

Mixtio contingentis, & de ineſſe in ſecunda figura.

IN ſecunda figura ſi propoſitio quæ conuertenda eſt, in ſyllogiſmo ad primam figuram redigendo, ſit de ineſſe, altera uerò de contingenti, ſyllogiſmus concludit concluſionem contingentem pro de ineſſe, quia ſemper in prima figura maior eſt de ineſſe, minor autem de contingenti. Si uerò hæc ipſa quam conuerti oportet, ſit contingens, nullus fit ob eam quam attulimus cauſam ſyllogiſmus, ſiue negatiuæ ſint ambæ propoſitiones, ſiue altera ſit affirmatiua. Nam hoc tantùm uidetur intereſſe, quòd ex negatiuis, ut negatiuæ ſunt, nihil ſequitur neceſſariò, niſi conuertantur in affirmatiuas, in quas diximus contingentem poſſe conuerti. Atque hoc quidem uerum eſt in omnibus modis ſecundæ figuræ, præterquam in eo modo, cuius maior eſt uniuerſalis affirmatiua, minor particularis negatiua, qui dicitur Baroco: in quo quidem quomodocunq; ponantur propoſitiones, nulla omnino ſequitur concluſio. Non enim (ut perſpicuum eſt) neque per conuerſionem poteſt ad primam redigi figuram, neque per deductionem ad id quod fieri nequit: ſiquidem ipſi termini oſtendunt, ſequi concluſionem neceſſariam. ut Contingit omnem hominem eſſe album, aliquis equus non eſt albus, ergo neceſſe eſt nullum equum eſſe hominem. Hoc idem planè ſequitur, ſi minor ſit contingens: ut, Omnis homo currit, contingit aliquem aſinum non currere, igitur neceſſe nullum aſinum eſſe hominem. Cum ergo termini ipſi oſtendant, ſequi concluſionem neceſſariam, non poteſt ſequi concluſio, neque de ineſſe, neque contingens, ſiue affirmatiua ſit, ſeu negatiua. neceſſarium enim neque eſt contingens, neque de ineſſe. Manifeſtum eſt autem, ſequi non poſſe concluſionem neceſſariam: quia neceſſarium inferri non poteſt, niſi aut ex ambabus neceſſarijs, aut certè ex altera neceſſaria. Cum uerò in tali mixtione nulla ſit propoſitio neceſſaria, nullus ideo fit ſyllogiſmus.

Sectio

SECTIO XX.

Mixtio contingentis, & necessarij in secunda figura.

IN hac secunda figura eodem modo dicendum uidetur de mixtione necessarij, & contingentis: uidelicet fieri syllogismũ, ac non fieri, sicut in eis quæ sunt de inesse. Nam in Baroco etiam termini ipsi declarant, sequi conclusionem necessariam: ut Necesse est omnem cygnum esse album, contingit aliquẽ hominem nõ esse album, ergo necesse est nullũ hominẽ esse cygnum. nõ igitur cõtingens, neq; de inesse. Neq; etiam sequitur cõclusio necessaria, quia necessarium uidetur sequi, aut ex duabus necessarijs, aut certe ex altera negatiua uniuersali necessaria. Idem etiã, si negatiuè ponetur necessaria: ut, Contingit omnem equum moueri necessariò, aliqua substantia abstracta non mouetur, igitur necessariò nulla substantia abstracta est equus.

SECTIO XXI.

De syllogismis de contingenti in tertia figura, deq; mixtione necessarij, contingentis, & de inesse.

IN tertia figura si utraq; propositio sit de contingenti, uel altera de contingenti, altera autem de inesse, aut de necessario, erit utiq; syllogismus, eamq; concludet conclusionem, quam in prima figura cõcludit modus ille, ad quem redigitur. Modus autem is qui uocatur Brocardo, in mixtione, non in simplicibus de contingenti, concludit conclusionem contingentem per deductionem ad id quod fieri nequit: ut, Contingit aliquod C nõ esse A, omne C est B, ergo contingit aliquod B nõ esse A. uel, Necesse est omne B esse A, omne C est B, ergo necesse est omne C esse A. uel, Contingit aliquod C non esse A, omne C est B necessariò, ergo contingit aliquod B non esse A. uel, omne B est A necessariò, omne C est B necessariò, ergo omne C est A necessariò.

SECTIO XXII.

CVm uerò syllogismi bipartitò diuidantur (alij enim sunt ostensiui, alij ex suppositione dicuntur, in quibus sunt qui ad impossibile uocantur) hactenus autem declaratum sit, syllogismos ostensiuos fieri in una aliqua trium figurarum, faciendum esse uidetur, ut declaremus etiam reliquos syllogismos fieri in una aliqua trium figurarum: cum prius tamẽ ostenderimus, qui sint huiusmodi syllogismi.

Ostensiui igitur syllogismi sunt, qui ex propositionibus simpliciter & absolutè sumptis, recta ratione concludunt eam cõclusionem, quam nobis propositum est concludere.

Ex suppositione dicuntur, qui nõ ita se habent, sed procedunt sup ponendo

ponendo aliquid: ut si est A, est B: sed nō est B, ergo nō est A. Vel cōtrà: sed est A, ergo est B. item, Aut est dies, aut est nox: sed est dies, ergo nō est nox. Syllogismo enim ostēsiuo probaremus uel A esse, uel B nō esse: B uerò esse, si A sit, intelligitur ex suppositione. aliter enim non esset syllogismus ex suppositione. Cuius sanè generis (ut diximus) est syllogismus is, qui ad impossibile nuncupatur, propterea quòd ostendit id quod fieri nequit, syllogismo ostensiuo. Quod aūt à principio erat ex suppositione, monstrat. Dico ex suppositione, ꝓpterea quòd id supponūt, cuius oppositū uolunt demonstrare. Differt tamen syllogismus ad impossibile, ab eo qui simpliciter dicitur ex suppositione, quoniā in hoc opus est fateri antè, si debeat quis assentiri: ueluti si monstrata erit una cōtrariorum potentia, & scientiā eandem esse. In illis autem hoc minimè fit, sed cōcedunt per id quod perspicuè est falsum: ueluti si positum fuerit, Diametri commensurabilis imparia æqualia esse paribus. Cum igitur omnes hi syllogismi indigeant ostensiuo syllogismo, fiunt in una aliqua trium figurarū.

SECTIO XXIII.

CVm omnis autem cognitio dubij complexi, & in Dialectica, & in Rhetorica, & in reliquis omnibus artibus, comparetur per eas quas diximus figuras, non erit alienum exponere etiam, quemadmodū inductio & exemplum fiant per huiusmodi figuras. Inductio igitur est processus à singularibus ad uniuersalia: ut Socrates currit, Plato, hic & ille: ergo omnis homo currit. Redigitur autē ad syllogismū, qui quidem syllogismus probat, maiorē extremitatē inesse medio per minorem extremitatem, ad hunc modū, ut in superiore exemplo persistamus: Omnis homo currit: Socrates, Plato, Cicero, hic & ille sunt homines: ergo Socrates, Plato, Cicero, hic & ille currūt. Quòd si cōuertatur, fiet syllogismus ex inductione: Omne quod est Socrates, Plato, & Cicero, & sic de singulis, currit: omnis homo est Socrates, Plato, Cicero, & sic de singulis: ergo omnis homo currit. accipienda enim sunt singularia omnia: Tali autē syllogismo utimur ad declarandas primas & immediatas propositiones, syllogismo autem mediatas.

SECTIO XXIIII.

De exemplo.

EXemplum est, cum ostendimus maiorem extremitatem inesse medio, per id quod est simile minori extremitati. sed oportet & medium minori extremitati, & maiorem extremitatem simili euidentius inesse: ut, Omnis petens custodiam tyrannidi insidiatur, Dionysius petit custodiam, ergo Dionysius tyrannidi insidiatur. Probatur maior, quia Pisistratus petens custodiam tyrannidi insidiatus est: item etiam Theogenes, & alij, quos constat idem fecisse: Petentes ergo custodiam tyrannidi insidiantur. Cum igitur Dionysius sit sub hoc uniuersali, concludimus, ipsum quoq; de quo nondum aliquid scimus, si petat

custodiam,

custodiam, tyrannidi insidiari. Atq; hoc pacto exemplum à parte ad partem procedit: eoq; ab inductione differt, quòd hæc ab omnibus singularibus, ipsum uerò non ab omnibus procedit.

SECTIO XXV.

De Enthymemate.

DE Enthymemate, quia ex eis quæ dicta sunt, facile intelligi licet, redigi ad eas quas suprà diximus figuras (est enim syllogismus imperfectus, ut Omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia) nullā eius mentionem faciendam esse arbitramur.

SECTIO XXVI.

De inuentione medij.

QVoniam uerò oportet, non modo syllogismi conficiendi rationē tenere, uerumetiā inueniendi facultatem adipisci, operæprecium est tradere modū, quo suppetent propositiones ad concludendū, quod ostendere uelimus. In primis autem illud ponendum est, eorum quæ sunt, alia esse singularia, quæ quidē de nullo prædicantur per se: alia uniuersalia, ut superiore libro dictum est. Ac uniuersalium rursus alia esse, quæ quidem ipsa de alijs prædicantur, ipsis aūt nulla alia sunt priora: (non enim in eis quæ prædicant̃, datur processus in infinitum) alia esse, quæ & ipsa de alijs, & alia de ipsis prædicātur, ut homo de Socrate, & de homine animal, de quibus potissimùm hoc loco nos agimus.

Exponendum est autem prius, quæ sint antecedentia, quæ consequentia, & quæ repugnantia. Antecedens est, subiectum secundùm naturam uel prædicati, uel subiecti conclusionis, quæ quidē sunt maior & minor extremitas: ut si cōclusio sit, Homo est animal, Socrates dicitur antecedens hominis, & animalis.

Consequentia dicūtur, quæcūq; secundùm naturā prædicant̃ uel de subiecto, uel de prędicato: idq; aut uerè, aut secundùm opinionē.

Repugnantia sunt, quæcunque non possunt uerè & affirmatiuè prædicari, uel de prædicato, uel de subiecto, aut illis subijci: ut lapis, ratione habita ad animal.

His ita expositis, si uelimus cōcludere aliquā conclusionē uniuersalem affirmatiuā, accipienda sunt ea quæ prædicati quidē sunt antecedentia, cōsequentia uerò subiecti, modo sint eadē: ut si uelimus cōcludere, oēm hominē esse corpus, sumendū est animal, q̃d est antecedēs corporis, & cōsequens hominis. Quòd si uelimus cōcludere cōclusionē particularē, sumemus ea quæ utrūq; antecedunt. ut si uelimus cōcludere, aliq̃d animatū esse animal, sumemus hominē, qui & animal, & animatū antecedit. Sin aūt negatiua erit cōclusio uniuersalis, sumenda erūt quæ repugnēt prædicato, & cōsequentia sint subiecti, uel è cōtrario: ut si cōclusio sit, Nullus homo est lapis, sumemus animal, quod repugnat prędicato, & sequitur subiectū: uel insensibile, quod

quod ſequitur prædicatum,& repugnat ſubiecto. Si uerò concluſio fuerit particularis negatiua, accipienda erunt antecedentia ſubiecti, & repugnantia prædicato: uel conſequentia prædicati, & repugnantia ſubiecto, ut in Baroco. Eodem modo dicēdum uidetur etiam de neceſſarijs, & de contingentibus in inuentione medij termini, niſi quod in contingentibus non accipiuntur ea ſolùm, quæ inſunt, ſed etiam quæ non inſunt, poſſunt tamen ineſſe. Animal uerò eſſe antecedens corporis, & conſequens hominis, & repugnans lapidi, non eſt artis Logicæ tradere, ſed eius facultatis, ad quam ſpectat conſiderare hominē, & animal, & lapidem: itaq; ſecundùm proportionem dicendum eſt de reliquis. Sed de his rebus in ſequenti libro copioſius agemus. His, quòd ad medij inuentionem attinet explicatis, conſequens eſſet, ut doceremus redigere ſyllogiſmos ad eas quas diximus figuras, multaq; item alia, ad perfectiorem ipſorū ſyllogiſmorum cognitionē traderemus. Sed quoniam uel ex eis quæ dicta ſunt, ſatis hoc conſequi licet, uel huius non uidetur eſſe Inſtitutionis, hæc omittenda ducimus, ſatis à nobis inſtituto noſtro factum eſſe exiſtimantes, cum ſyllogiſmos conficiendi rationem, medijq; termini inueniendi facultatem, quàm breuiſsimè fieri potuit, tradiderimus.

ANTONII

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI INSTITVTIONIS IN POſteriora Analytica, Liber primus.

SECTIO PRIMA.

CVM declaratum ſit ſuperiore libro, quemadmodum conficiatur omnis ſyllogiſmus, conſequens eſt ob eam, quam diximus, cauſam, ut doceatur quo pacto fiat demonſtratio. Itaque neceſſariò ponenda ſunt quædam principia, quibus eam quam quærimus cognitionẽ conſequi poſsimus. In primis autem tradenda eſt, cùm ipſius ſcire, tũ etiam demonſtrationis definitio: hinc enim prçcipuè omnis eorũ quæ docenda ſunt, oritur cognitio. Sed ne uideamur prorſus inania eorum quæ tradituri ſumus, quaſi fundamenta iacere, illud primùm explicandum eſt, ſcire, eſſe ignotũ quippiam addiſcere. Quidam enim, & illi ſanè peregregij Philoſophi exiſtimauerũt, ſcire eſſe reminiſci: argumẽtantes ad hunc modũ. Quod quis addiſcit, aut prius nõ ſciebat, aut ſciebat. ſi nõ ſciebat, nõ addiſcit: quia ſi occurrat, nõ cognoſcit. Sin aut ſciebat, diſcit, quod nouerat: at diſcere, quod quis nouerat, eſt reminiſci: ſcire igit̃ eſt reminiſci, nõ per cauſam cognoſcere. Vt ergo oſtendat̃, ſcire, eſſe ignotũ quippiã addiſcere, neceſſariò ponẽda eſt illa propoſitio: Omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua fit ex præcedenti cognitione axiomatis, affectionis, & ſubiecti. quæ omnia duobus omnino præcognoſcuntur modis, ut ſcilicet teneatur quid eſt, & quia eſt: Quia eſt de axiomate, ut omnis affirmatio uel negatio uera eſt: Quid eſt de affectu, ut triangulus eſt figura, quæ ex tribus lineis conſtat: Quid eſt, & quia eſt, ſimul de ſubiecto, ut linea eſt longitudo ſine latitudine. Cuius quidem propoſitionis ueritas ex eo facilè perſpici poteſt, quòd omnes ſcientiæ, omnes artes & facultates, ex aliqua antecedente cognitione, quæ ad ipſas propriè pertineat, conſtituunt eorum quæ ignorantur doctrinam. Quare minime quidem abſurdũ uidetur, illud fateri, nos, ante demonſtrationes factas, quibus demonſtrationibus addiſcimus ea quæ ignorabamus, partim ſcire, partim ignorare: ſcire, quatenus antè cognoſcimus ea quæ ſuprà diximus, quæ quidem hac de cauſa præcognita uocantur, quibus quodammodo, hoc eſt in potentia, ea ipſa continentur, quæ diſcimus: ignorare autem res ipſas propriè, ac per ſe, quia nondum ex concluſione cognitæ ſunt. Idq; ita eſſe, patet: cùm ſtatuerimus omnem doctrinam, & omnem diſciplinam exiſtere ex priore aliqua cognitione, ſicuti demonſtrauimus. Id quod non ſolùm accipiendum eſt de uera ſcientia, quæ eſt uniuerſalium rerum cognitio, ſed etiã de cognitione alicuius rei ſingularis, nobis ignotæ, quæ comprehendatur ſub aliquo uniuerſali, quod uniuerſale cognitum habeamus. ut ſi

exempli causa, nescientes, hanc figuram, quæ sit in semicirculo, habere tres angulos: discamus id ex præcedente illa cognitione, omnem triangulum habere tres angulos. Quo quidem in genere, antequam confectus esset syllogismus, uerè illud dici potuit, nos aliquo modo scire, uidelicet per ipsum uniuersale præcognitum: & aliquo modo non scire, uidelicet hanc figuram habere tres angulos, quòd ignoraremus eam esse triangulum. Itaq; minimè à ratione abhorret, si dicatur disci id, quod aliquo modo sciretur. Abhorreret quidem certè, si quod addiscitur, hoc ipsum cognitum fuisset eo ipso modo, quo discitur. Ex quo sanè concludendum uidetur, scire non esse reminisci, sed id quod ignoraretur, addiscere. Talis igitur erit eius definitio.

SECTIO II.

Scire unumquodq; complexorum simpliciter, est cognoscere illud per causam, propter quam est: atq; exploratum habere, eam esse illius causam: neque fieri posse, quin ab illa causa existat. Quare cuius simpliciter est scientia, id nullo pacto potest aliter se habere: quod autem non potest aliter se habere, hoc ipsum profectò necessarium est. Demonstratio est syllogismus, per quem sciuntur complexa. De omni dicitur prædicatum illud, quod & in omnibus, & semper inest: nec in alio quidem inest, in alio uerò non inest: aut aliàs inest, aliàs non inest. ut, Omnis cygnus est albus. Per se dicitur esse id, quod inest omni subiecto secundùm naturam, quodq; in ipsius subiecti definitione ponitur, ut homo est animal. Per se etiam dicitur, quod de omni subiecto enunciatur secundùm naturam ita, ut subiectum ipsum ponatur in definitione prædicati. Atque hic sanè dicitur secundus modus per se, ut homo est risibilis.

Vniuersale uocatur id quod inest omni subiecto, quatenus ipsum est, uel primò, ut triangulus habet tres angulos.

His ita constitutis (cætera enim quanquam sunt cognitu necessaria, tamen omittenda duximus, quòd essent manifesta) necessariò illud consequitur, ut demonstratio sit ex ueris, ex necessarijs, ex eis quæ dicuntur de omni per se & primò, ex proprijs, ex causis, ex prioribus, ex immediatis, ex perpetuis, ex incorruptibilibus, ex notioribus, non solùm quòd ad nos, sed etiam quòd ad naturam ipsam attinet. Quæ omnia facilè ostendi posse arbitror.

Ac primùm quidem, demonstrationem esse ex ueris, quòd hæc communiora sunt, ita ostendemus. Si demonstratio esset ex falsis, cum dictum sit, illam facere scire, falsum faceret scire: sed falsum non potest sciri (illud enim quod non est, non potest sciri esse: Falsum autem non esse, perspicuum est) ergo demonstratio non est ex falsis, itaque est ex ueris.

Deinde cum expositum sit, fieri non posse, ut id quod propriè scitur, aliter se habeat, itaque esse necessarium: rectè dictum est, demonstrationem non solùm ex ueris constitui oportere, sed etiam ex ueris

quæ

quæ sunt necessaria: quia si non esset ex necessarijs, esset ex contingentibus: ex contingentibus autem non faceret scire necessarium: igitur non potest esse ex contingentibus. Probatur autem quod assumptum est, ad hunc modum: Contingentia possunt corrumpi necessarijs manentibus. at contingentibus corruptis, necessarium non potest sciri per ipsa contingentia. quod enim semper est, non potest sciri per id quod non est. nam quod non est, non potest facere ut aliquid sit: ergo neque ut sciatur, quia scire aliquid est cognoscere eius causam, propter quam est. ergo demonstratio, si esset ex contingentibus, non faceret scire necessarium. at positum est, eam facere scire necessarium: ergo est ex necessarijs. Neque uerò (mea quidem sententia) hoc absurdum quisquam effugere potest, si dicat, Per medium contingens sciri tum, cum non est corruptum. nam quod accidit medio corrupto, hoc idem euenit, si fieri potest, ut corrumpatur. Itaque demonstratio erit ex propositionibus de omni, quia omne prædicatum de omni est necessarium. Præterea, cum id quod propriè scitur, sciatur simpliciter, & propter quid, consequens est, ut demonstratio sit ex propositionibus, in quibus uel prædicatum sit causa propria subiecti, uel subiectum prædicati. Nam si non esset ex huiusmodi propositionibus, non faceret scire simpliciter, & propter quid: quia scire simpliciter, & propter quid, est cognoscere aliquid per causam propriam. At cognoscere aliquid per id in quo subiectum, non est propria causa prædicati, uel contrà, non est cognoscere per causam propriam: itaque non est scire simpliciter, neque propter quid. Quare si demonstratio non esset ex huiusmodi propositionibus, non faceret scire simpliciter, et propter quid: contrà quàm positũ est. Ergo rectè diximus, illam constare ex huiusmodi propositionibus, ex quo quid est sequitur, ut sit ex necessarijs simpliciter: quoniam ea in quibus uel prædicatum est causa propria subiecti, uel subiectũ prædicati, ita se habent, ut sint necessaria simpliciter. Quoniam uerò demonstratio est ex necessarijs simpliciter, hæc autem (ut constat) sunt per se, quatenus ipsa sunt, & primò, demonstratio est ex eis quæ sunt per se, quatenus ipsa sunt, & primò. Itaque in ipsa demonstratione oportet medium inesse minori extremitati propter ipsam, & maiorem extremitatem inesse medio propter ipsum. Nam quod inest alicui, quatenus ipsum est, inest etiam propter ipsum: ergo demonstratio erit ex proprijs. quia quod inest alicui propter ipsum, & primò, hoc illi uni, & non alij inest: quodq; ita inest, dicitur propriè inesse. Ex causis etiam dicitur esse demonstratio, quia (ut dictum est) uerè scimus tum, cum causas cognitas habemus. Item ex prioribus, quoniam causa est prior effectu.

Præterea dictum est, demonstrationem esse ex immediatis. quia si esset ex mediatis, necessarium esset illa demonstrari. quod enim per demonstrationem scitur, id sciri non potest sine demonstratione. Sic autem in infinitum procederetur, ac priora essent ignota: in-

finita enim percipi non possunt. At ignoratis prioribus, ignorantur & posteriora. ergo demonstratio non faceret scire. At positum est, illam facere scire: ergo necesse est esse ex immediatis.

Cum uerò (ut dictum est) ex uniuersalibus constet, quæ sunt & perpetua, & incorruptibilia, necessariò constat etiam ex ipsis perpetuis, & incorruptibilibus.

Cæteræ particulæ à nobis infrà explicabuntur.

SECTIO III.

SEd quo melius ea quæ dicta sunt, intelligantur, non erit fortasse alienum docere, quid sit principium demonstrationis. Principium igitur demonstrationis est, propositio immediata: hæc autem propositio dicitur ea, qua nulla est prior secũdùm naturam, id est, inter cuius prædicatum & subiectum, nullum intercedit medium secundùm naturam. Hæc autem in duas partes diuiditur, in pronunciatum quod uocant, seu dignitatem, & in positionem. Dignitas, seu pronunciatum est, principiũ demonstrationis, quod nullo modo demonstrari potest: necesse tamen est, ut ab eo sciatur, qui uult discere aliquid. ut quicquid enunciat, id aut uerũ esse, aut falsum. Positio dicitur esse id, quod nec demonstrari potest, nec necesse est ab eo teneri, qui uult aliquid discere. quæ quidem positio diuiditur in suppositionem & definitionem.

Suppositio uocatur positio, quæ exprimit aliquid aut esse, aut nõ esse. id est, quæ est aut affirmatiua, aut negatiua. Definitio est, quæ non declarat aliquid esse, uel non esse, sed apprehenditur simplici apprehensione, nec enunciat aliquid de aliquo: atque idcirco definitio dicitur esse principium demonstrationis, quòd scilicet potest esse principium demonstrationis, nõ quòd re ipsa sit. Nam principium demonstrationis est, propositio immediata: propositio autem est oratio uel affirmatiua, uel negatiua alicuius de aliquo. Definitio uerò (ut patet ex ijs quæ dicta sunt) neque affirmatiuè, neque negatiuè enunciat aliquid de aliquo. itaque re ipsa definitio non est principium demõstrationis, sed uocatur principium, quia potest esse principium: ac tum quidem est, cum non est definitio. Quare principium demonstrationis, cum diuisum est in dignitatem, & in positionem, diuisum est & in id quod re ipsa huiusmodi est, et in id quod potentia tale est. non enim omnis positio re ipsa est principium, cum definitio sit positio. Sed de hac re in quinto nostræ Apologiæ libro, pluribus disseruimus. Neque uerò absurdum est, si id quod est potentia aliquid, dicatur esse illud ipsum quod est potentia. nam quod uel potentia, uel re ipsa uidet, uidens dicitur esse: itemq; quiescere tam id cui quies iam inest, quàm id quod quiescere potest. Si uerò ullum fuerit ex his principijs, quod amplitudine sua transiliat genus subiectum, de quo aliquid probare uolumus, accommodandũ erit illi ipsi subiecto, ut ex proprietatibus demonstrationis facilè intelligi potest.

Sectio

SECTIO IIII.

QVoniam uerò id quod ſcire quia appellatur, ab eo quod dicitur propter quid, differt, & ſatis ſuperq; iam dictum uidetur eſſe de ipſo ſcire propter quid, & de demonſtratione quæ eſt illius cauſa, conſentaneum eſt rationi, ſi uolumus perficere omnia inſtrumenta, quibus ſciuntur complexa, uel à priori, uel à poſteriori, ut agamus etiam de ſcire quod appellatur quia, & de demonſtratione quæ efficit huiuſmodi ſcire. ſed antè definiendum eſt, quid ſit. Scire igitur quia, eſt cognoſcere aliquid uel per cauſam remotam, ex qua modo aliquo neceſſariò pendet: uel per effectum neceſſarium, ſiue reciprocet, ſiue ſit minoris ambitus. Quod cum ita eſſe, & ex communi hominum loquendi more, & ex ipſa rei ueritate concedendum ſit, haud dubium eſſe poteſt, quin fateri oporteat, neceſſarium eſſe, eam demonſtrationem quæ efficit huiuſmodi ſcire, eſſe ſyllogiſmum ex ueris, ex neceſſarijs, ex cauſis remotis, uel effectibus, ex perpetuis & incorruptibilibus, ex prioribus & notioribus. aliter enim non faceret ſcire, contrà quàm poſitum eſt. Quemadmodum autem hoc ſequatur, patet ex ijs quæ dicta ſunt. Atque hoc ipſum ſcire quia, differt à ſcire propter quid, aut in eadem ſcientia, aut in diuerſa. In eadem ſcientia bifariam: uel per effectum, uel per cauſam remotam. Per effectum: ut, Quicquid non ſcintillat propè eſt, planetæ non ſcintillant, ergo propè ſunt. hic enim ſyllogiſmus neque eſt propter quid, neque per cauſam, ſed per effectum. nam planetæ non ſunt nobis propinqui, quòd non ſcintillant: ſed quia propè ſunt, idcirco non ſcintillant. Quare ſi ita dixerimus, Quod eſt propè non ſcintillat, planetæ ſunt propè, ergo non ſcintillant: hic erit ſyllogiſmus per cauſam, atque ita dicetur propter quid. Neque hoc abſurdum uideri debet. fieri enim poteſt, ut ex eis quæ inter ſe conuertantur, aliquando id quod non eſt cauſa, ſit ipſamet cauſa notius. ſicut etiam fit in his quæ non conuertuntur. Scire autem quia, per cauſam remotam differt ab ipſo ſcire propter quid, hoc modo. Nam ſi ita dicamus, Quicquid reſpirat eſt animal, paries non eſt animal, ergo non reſpirat: hic eſt ſyllogiſmus per cauſam remotam. Quòd ſi ita dicamus, Omne reſpirans habet pulmonem, paries non habet pulmonem, igitur non reſpirat: eſt ſyllogiſmus propter quid. etenim non habere pulmonem, eſt cauſa, cur paries non reſpiret: propterea quod habere pulmonem, eſt cauſa reſpirandi. omne enim habens pulmonem, reſpirat. In diuerſa uerò ſcientia ſcire quia, & ſcire propter quid, hoc inter ſe differunt, quòd in una ſcientia ſcitur quia, in altera propter quid. Atque hæ quidem ſcientiæ ita ſe neceſſariò habent, ut una ſit ſub altera ſic, ut ea quæ declarat quia, ſit ſub ea quæ explicat propter quid: ut Perſpectiua ſub Geometria, Muſica ſub Arithmetica. Nam Geometria tradit propter quid, complurium rerum, quæ ſunt in ipſa Perſpectiua, principia. Arithmetica item

complurium, quæ ſunt principia in Muſica, ac propterea ſubalternat utraque ſibi eam, cuius principiorum cauſam aperit. Sed de his & in Commentario noſtro, & in Apologia ſatis dictum eſt. Si uerò id cuius ſcientiam conſequi uolumus, fuerit ex ijs quæ ut in pluribus eueniunt, neceſſe erit, principia, quibus illud ipſum declaratur, quæ quidem media appellantur, eſſe item ex ijs quæ ut in pluribus eueniunt, huiuſmodiq́; ratiocinationem communiori uocabulo demonſtrationem uocabimus.

SECTIO V.

PRius, & notius, duobus inter ſe diſtingui modis, nemo eſt, credo, qui dubitet. alterum enim, quòd ad naturam attinet, prius & notius dicitur: alterum, quòd ad nos. Quòd ad nos autem attinet, priora & notiora dicuntur effectus: quod ad ipſam naturam, cauſæ. Nihil tamen obſtat, quo minus aliquando idem ſit, & nobis, & naturæ notius. aliter enim ueræ tollerentur demonſtrationes: ſiquidem dictum eſt in utroque demonſtrationum genere illas eſſe ex prioribus, & notioribus, ſiue quòd ad nos tantùm attinet, ut demonſtrationes quia: ſiue quòd ad nos, & quòd ad naturam ſimul, ut demonſtrationes ſimpliciter. Propoſitiones autem, ex quibus una aliqua concluſio diſcitur, dicuntur eſſe illa ipſa concluſione notiores: propterea quòd quoties eſt aliqua affectio accidentalis, quæ duabus rebus non propriè conueniat, & uni quidem propterea conueniat, quòd alteri prius conuenit, tunc his conditionibus diligenter conſideratis, uidebimus illam affectionem magis ſemper conuenire cauſæ, quàm effectui. Quòd quidem euenire in omni demonſtrationum genere, ratione eorum quæ diſcuntur, planè perſpicuum eſt.

SECTIO VI.

CVm uerò iam explicata ſit natura, & affectiones demonſtrationis, dictum ſit etiam, illam eſſe ſyllogiſmum, tres autem ſint ſyllogiſmorum figuræ, operæprecium eſt declarare, quæ figura, quiq́; ipſius figuræ modus maximè faciat ſcire, quò perfectiorem abſolutioremq́; ipſius demonſtrationis cognitionem conſequamur. Prima igitur figura, primusq́; illius modus hac in re longè cæteris præſtat: cuius quidem rei illud argumento eſt, quòd Mathematicæ facultates, quæ ſciendi ratione facilè inter omnes excellunt, in hac figura, & in hoc modo præcipuè demonſtrationes conſtituunt. Præterea ſcire propter quid, eſt maximè ſcire: in prima autem figura potiſsimùm fiunt demonſtrationes propter quid, ut patet, ſi rectè conſideretur: ergo prima figura, atque huius primus præcipuè modus, facit maximè ſcire. Id etiam ex eo confirmari poſſe uidetur, quòd ſcientia ipſius quid eſt, uno omnium conſenſu, eſt maxima. hanc autem ſcientiam exiſtere tantùm ex prima figura, illud facilè declarat, quòd neque in ſecunda figura eſt concluſio affirmatiua, neque in tertia uniuerſalis, quod quidem maximè

neceſſarium

necessarium est, cum huiusmodi scientia & affirmatiua sit, & uniuersalis. Quòd si quærat aliquis, quo id pacto fieri posit, cum in definitione, quæ facit scire quid est, non dicatur aliquid de aliquo: quod autem scitur per definitionem, non posit sciri per demonstrationem: unius enim rei, quatenus una est, non potest esse nisi una scientia. cum item definitio neque uniuersalis sit, neque affirmatiua, ut suprà dictum est: prima uerò figura efficiat scientiam ipsius quid est, quæ quidem scientia est uniuersalis, & affirmatiua. Dicimus, primam figuram concludere, uerbi gratia, animal rationale inesse omni homini, ut prædicatum, cum scilicet ignotum est, quod mox considerantibus intelligitur esse substantia hominis, ut in Apologia nostra disseruimus. Quare prima figura dicitur efficere scientiam ipsius quid est, quæ quidem scientia est uniuersalis, & affirmatiua, quòd scilicet huius cognitionis occasionem præbet ex conclusione uniuersali, & affirmatiua: non quòd re uera efficiat talem scientiam, & talis scientia sit uniuersalis, & affirmatiua, ob eas quas attulimus rationes. Ita enim demonstratio sese habet ad scientiam ipsius quid est, ut sensus ad scientiam. Huc etiam accedit, quòd secunda & tertia figura redigitur ad primam, ut ex necessitate uideatur concludere, atque ita faciat scire. Prima uerò non redigitur ad ipsas, neque eis planè quicquam indiget, ut faciat scire, quemadmodum illæ prima indigent. ex qua quidem re perspicuum est, eam maximè facere scire. id enim quod per se ipsum habet aliquid, dicendum est magis habere, quàm illud quod accipit ab eo. Multa uerò alia dici potuerunt, quæ tamen nos idcirco omisimus, quod ab instituto nostro, qui breuitatem, quantum rei natura patitur, sequi statuimus, ualdè erant aliena.

INSTITVTIONIS IN LIBRVM

POSTERIORVM ANALYTICORVM, LIBER II.

SECTIO PRIMA.

QVONIAM Logicæ facultati illud inprimis propositum est, ut doceat, quónam pacto conficiantur omnia sciendi instrumenta: hæc autem (ut ostensum est in exordio) sunt duo, Demonstratio, & definitio: cum satis iam egerimus de demonstratione, propter eam, quam in Apologia diximus, causam, etsi natura demonstratio est posterior definitione, consequens est, ut definitionem tanquam alterum sciendi instrumentum, pertractemus. Cæterùm, quia eius natura & affectus rectè explicari non possunt, nisi ea ratione, qua explicauimus naturam & affectus demonstrationis, uidelicet ex finis cognitione, necessarium

Digitized by Google

est ponere definitiones huiusmodi quæ erunt uti positiones, si prius tamen alia quædam, quæ maximè sunt necessaria, docuerimus. Eorum igitur quæ sunt, alia sunt uniuersalia, alia singularia, ut superioribus quoq; libris satis pro nostræ Institutionis ratione explicatū est. Vniuersale dicitur illud ens, quod de pluribus enunciatur, ut homo. Singulare, quod de nullo efferri potest, ut Socrates, Plato.

Vniuersale autem in multas distribuitur partes. nam aliud dicitur esse genus, aliud differentia, aliud species, aliud proprium, aliud accidens: quæ omnia propter eam, quam demonstrauimus, causam, definienda sunt. Genus dicitur illud uniuersale, quod de pluribus specie differentibus pariter enunciatur, in eo quod quid est, ut animal: quod dicitur de homine, de asino, de boue, & cæteris huiusmodi, atque eodem modo uniuersaliter explicat horum omnium quid est, itaq; commune est eorū genus. Diximus autem eodem modo efferri de omnibus illis, quia aliter non esset uerum genus. uerum enim genus necessariò est uniuocum. In eo autem quod quid est, ponūtur ea quibus explicari oportet ipsum quod quid est eius rei, quæ definit̃.

Differentia appellat̃ uniuersale illud, quod de pluribus, uel specie, uel numero differentibus, eodem modo prædicatur, duntaxat in eo quod quale quid, ut rationale. Dictum est autem in eo quod quale quid, quia re uera prædicantur in quid. Dicuntur uerò prædicari in quale, propterea quòd significant formam, quæ se habet instar qualitatis, ratione materiæ, quæ per genus refertur. Species est illud uniuersale, quod æquè de pluribus numero differentibus dicitur in eo quod quid est, ut homo. dicitur enim de Socrate, de Platone, & reliquis id genus. Proprium simpliciter uocatur illud uniuersale, quod de pluribus, uel specie, uel numero tantùm differentibus effertur, nec explicat quod quid est, soliq; inest, & semper, ac uicissim de illa re prædicatur, cuius est proprium: ueluti hominis proprium est, natum esse ad percipiendam Grammaticam. nam si homo sit, est id etiam quod natum est ad percipiendam Grammaticam. ac rursus, si id sit quod natum est ad percipiendam Grammaticam, est homo.

Accidens dicitur esse illud uniuersale, quod eidem eorum, de quibus dicitur, potest & inesse, & non inesse, ut sedere. contingit enim alicui eidem, & inesse, & non inesse. Atque hæc quidem definitio uidetur accidenti duntaxat separabili conuenire. Quòd si communior accidentis definitio tradenda sit, ita fortasse recte definietur. Accidens est illud uniuersale, quod quidem prædicari potest: sed non explicat substantiam eius rei, qua de prædicatur, quemadmodum genera & differentiæ: neque uicissim illa ipsa res de illo prædicatur, sicut propria simpliciter. Atque hæc mihi quidem definitio uidetur comprehendere non minus inseparabile accidens, quàm separabile: ut nigredo dicitur esse accidens corui.

Materia est causa, quæ secundùm se non est hoc aliquid, sed est potentia, & inest.

Forma est causa, qua unumquodq; dicitur esse hoc aliquid.

Efficiens

Efficiens est causa, unde motus.

Finis est causa, cuius gratia cætera fiunt.

Scire simpliciter unumquodque incomplexorum, est cognoscere illud per causam, propter quam est, cognoscendo illam esse ueram eius causam, neque fieri posse quin ab illa causa existat.

Definitio, cuius naturam, affectionesque, siue ea quæ affectionum uim obtinent, hoc loco declaraturi sumus, ut sciamus ipsas etiam definitiones conficere, confectasque iudicare: est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit. Quare necessariò constat ex genere proximo, & ex differentia proxima: uel ex genere remoto, & reliquis omnibus usque ad differentiam, quæ reciprocantur cum re quæ definitur. Nam quæ probè declarant quid est, sunt sola genera, & differentiæ. definitio autem (uti patet) constat ex eis quæ declarant quid est, igitur est ex huiuscemodi. Quocirca necesse est, ut sit etiam ex causis. tunc enim scimus, cum causas cognitas habemus. itaque constat ex materia & forma. nam causæ quæ sunt intrinsecus, sunt materia & forma, ut ex earum definitionibus perspicuum est. Definitionem autem esse ex causis, quæ sunt intrinsecus, sic ostendi potest. Quod explicat uerè quid est alicuius rei, dicitur esse illi intrinsecus: definitio uera, est ex eis quæ uerè explicant quid est: igitur est ex eis quæ sunt intrinsecus. Maior propositio hinc manifesta est: quia id quod est idem, quod aliqua una res, omnino dicitur inesse illi intrinsecus: quod autem explicat quid est alicuius rei, uerè dicitur esse idem quod illa ipsa res. aliter enim non explicaret uerè, quid sit illa res. Ergo id quod explicat quid est alicuius rei, inest illi intrinsecus.

His ita constitutis, illud inferri licet, genus & differentiam esse idem modo aliquo, quod est materia & forma. ea enim ex quibus constat definitio, sunt tantummodo materia & forma. siquidem hæ unæ constituunt definitum. Genus autem, & differentia, sunt ea ex quibus (ut ostensum est) constat definitio. ergo sunt idem quod materia & forma. Sed cum genus & differentia non sint omnino idem quod materia & forma, propterea quòd hæ non prædicantur in recto, neque possunt ostendere (ut ita dicam) identitatem ipsius definiti, id quod exigitur, necesse est ob ea quæ dicta sunt, ut in definitionibus, quibus explicari debet rei identitas, sint materiæ & formæ exemplaria. Sed cum differentia perspicuè formam referat, consequens est, ut genus, quamuis sumatur à forma, quæ est principium & essendi, & cognoscendi, tamen referat materiam, & sit eius exemplar. Genus igitur, & differentia, ut significetur rerum identitas, quam non potest significare neque materia, neque forma, sumuntur in definitionibus, prout locũ obtinent materiæ & formæ, suntque earum exemplaria. Quod cũ ita sit, patet, definitionem cõstare ex causis essendi. materia enim & forma (ut ostendimus) sunt causæ essendi, & per consequens genus & differentia, quæ sunt earum exemplaria. Sed definitio non potest esse ex huiusmodi causis, cum sunt

coniunctæ: quia tunc sunt idem quod definitum. idem autem propriè non dicitur sui ipsius causa. Igitur cum definitio dicitur esse ex causis ipsius definiti, dicitur esse ex ijs quæ erant causæ, antequam essent coniuncta.

Dicitur item esse ex prioribus, quia causa est prior effectu: & ex notioribus, non solùm quòd ad naturam attinet, quia sunt causæ, sed etiam quòd ad nos: quoniam per illas uerè discimus, & cognoscimus. Hanc etiam ob causam dicendum uidetur, definitionem non fieri ex translatis: quoniam ea quæ translatè dicuntur, obscura sunt. ut si quis definiat, scientiam esse rem, quæ excidere atque amitti non potest. Neq; item ex nominibus, quæ usitata non sunt. obscurum est enim omne insolens uerbum: ut si oculum definiamus esse umbricilium, & medullam osśigenam. Nec etiam ex causis, quæ non propriè dicuntur: ut si lex definiatur esse mensura uniuersalis, & imago quædam eorum quæ natura iusta sunt. hæc enim obscuriora uidentur etiam translatione, quippe quæ aliquo modo tamen rem declarat, atque aperit per similitudinem: siquidem ab aliqua semper similitudine ducitur. In hoc autē quod proximè allatum est exemplū, nulla planè uidetur inesse similitudo, quare lex ita dicatur: quocirca obscurè admodum dicitur. Neque item ex eis debet esse definitio, ex quibus non eliciatur, intelligaturq; contrarium definiti: ut si album definiatur, ex illius autem definitione non manifesta sit nigri quoque definitio, non erit hæc uera ipsius albi definitio. Neq; etiam ex eis quæ si per se proferantur, nō pateat cuius rei definitio sit. Nam si statuamus, animal rationale esse definitionem hominis, necesse est, simulatque hoc prolatum sit, appareat, esse ipsius hominis definitionem. aliter enim uera nō erit definitio. Ex his quæ dicta sunt, illud consequi uidetur, ut definitio nō posśit esse ex negationibus, nisi priuatiuæ sint: ut si quis definiat, Cæcū esse eum qui nihil cernit, cuius tamē alioqui proprium est cernere. Neq; ex specie, tanquam ex differentia: ut si conuicium definiatur esse iniuria cum illusione. illusionem enim dicimus esse iniuriam quandam: quocirca illusio non potest poni in definitione conuicij, cum sit ipsius iniuriæ species. Nec etiam definitio potest confici ex ijs quibus idem frequenter significatur: res enim definita uideretur sæpius esse illa ipsa res, per quam definita esset. quod quidem ex eis quæ dicta sunt, patet esse absurdisśimum. Nec item potest esse ex ijs quæ insunt omnibus, quæ quidem à nulla re id quod definitur separant. necesse est enim genera distinguere rem quæ definitur, ab omnibus ijs quæ non continentur eodem genere. Neque item per oppositum definietur oppositum: ut bonum, quod malo est oppositum, per malum. nam cū opposita simul natura sint, definitio nō posset esse ex prioribus, nisi opposita essent relatiua. cū enim eorū essentia sit in ordine ad aliud, fieri non potest, ut essentia unius percipiatur absq; alterius cognitione, cum alterū necessariò percipiatur ex alterius definitione, quo continetur (ut ita dicam) eius essentia. Neque etiam definitio erit ex

eisdem:

eiſdem: ut ſi quis definiat, ſolem eſſe ſtellam, quæ die appareat. qui enim diem dicit, is ſolem quoque nominat, quoniam dies eſt radiorum ſolis effuſio ſuper terram: quocirca qui radiorum ſolis effuſionem dixit, diem etiam dixit: ex quo ſequitur, ut qui ſolem dicit, diem etiam dicat. Neque item ex eis quæ ex eodem genere diuerſo diuiduntur. nō enim definiendum eſt, imparem numerum eſſe, qui uno parem ſuperet, aut ab eo ſuperetur. ſimul enim ex eodem genere diuerſo diuiduntur. Neque erit ex inferioribus: non enim recte definitur, bonum eſſe uirtutis habitum, cum uirtus ſit bonum quoddam: quare qui uirtutem, idem bonum quoque dicit. Neque etiam erit ex eis quæ admittunt magis et minus, non admittente illa re quæ definitur. oportet enim uel utrunqꝫ admittere, uel certè neutrum, cū definitio idem planè ſit quod definitum. Neque item ex eis quæ magis quidem & minus recipiunt, at non ſimul: ut ſi quis definiat, amorem eſſe concupiſcentiam coitus. non enim uerum eſt ſemper, qui plus amet, hunc etiam magis coitum concupiſcere: quod quidem omnino conſequeretur, ſi recta fuiſſet amoris definitio. Multa præterea fuiſſent ab ipſis definitionibus excludenda. ſed quoniam ex his quæ dicta ſunt, reliqua ſatis facilè intelligi poſſe uiderētur, breuitatis cauſa omittenda duximus. Multa etiam ex his quæ connumerata ſunt, omitti potuiſſent, ut quæ ſe inuicem ſequuntur, atque ex alijs mutuò pendent. Sed quo res plenius, dilucidiusqꝫ explicaretur, non miſſa facienda eſſe ſtatuimus.

Cæterùm, orationes quæ non ex huiuſmodi generibus differentijsqꝫ, & cauſis (ut docuimus) confectæ ſunt, tamen dicuntur aliquo modo declarare quid eſt, communiori uocabulo definitiones appellantur, quemadmodum etiam de demonſtrationibus à poſteriori dictum eſt, propriè autem deſcriptiones uocandæ ſunt. Quæ tamen definitiones, aut ſi mauis, deſcriptiones, inter ſe differunt: quòd aliæ ſunt perfectiores, aliæ minus perfectæ, atque eiuſdem etiã rei plures poſſunt eſſe huiuſmodi definitiones. Quòd longè aliter euenit in ea quæ ſimpliciter eſt definitio, quemadmodum etiam in demonſtratione ſimpliciter euenire, ex eis quæ dicta ſunt, facilè intelligi poteſt. Hæc nos, quæ ad definitionem pertinerent, idcirco pluribus expoſuimus, quòd cognitionem definitionum, quibus ipſum quid eſt explicatur, maximè neceſſariam eſſe, cæterisqꝫ omnibus cognitionum generibus præſtare iudicauimus.

SECTIO II.

QVòd ſi quid à nobis definiendum ſit, illud primùm quærendum eſt, niſi perſpicuum ſit, ſub quo ex decem generibus ſit res ea quam definire uolumus: ſi tamen eſt ex his, quæ decem illius generibus continentur. Deinde pergemus diuidere uſqꝫ ad differentiam eam quæ cum re, quæ definienda ſit, conuertatur. aut inuento, ſub quo res erit genere generaliſsimo, uti uocant: omiſsis omnibus ijs quæ diximus, tanquam maniſeſtis,

nifestis, breuitatis causa sumemus tantummodo genus proximum cum differentia eius propria, itáque perfectam rei definitionem constituemus. Vtrum autem ea res quæ definitur, ut (uerbi gratia) homo, sub eo sit genere quod sumpserimus, nec ne, ex ijs quæ docentur in Prædicamentis, nec ulla omnino alia ratione, propriè licebit intelligere. An uerò ea quæ definitur res, comprehendatur, exempli causa, sub corpore animato, & sub animali: item an ipsum corpus animatum, & animal, sint in quod quid est rei illius, cuius definitio quæritur, ut hominis, non à Prædicamentis (ut pleriq; omnes, meo quidem iudicio, non rectè existimant) sed ab ipsa potissimùm naturali philosophia petendum esse arbitramur. Cuius quidem philosophiæ proprium munus esse constat, naturam, affectusq; corporis animati, & ipsius animalis cognitam, perceptamq; habere, quorum nihil sanè ad prædicamenta pertinet. Quæ uerò sint genera, quæ item differentiæ, ex eorum definitione licebit intelligere. Definitio itaque ex eis quæ de definitionibus dicta sunt, & ex doctrina Libri Prædicamentorum, & ex earum rerum cognitione, quæ ad illam facultatem pertinent, ad quam spectat & animal, & homo, cæteraq; his consimilia, facilè constabit, an rectè inuenta, confectaq; sit, necne. Non enim generis, aut ipsius definitionis definitio sola potest hoc præstare. Neque tamen idcirco existimandum est, Logicam esse superuacaneam, quòd, nunquid animal sit in homine uerè, & in quod quid est, nunquid item animal rationale mortale sit in hominis definitione, aut risibile omni homini, illiq; uni & semper conueniat, eodemq; modo de cæteris huiusmodi, ipsa per se intelligere non potest. hæc enim si Logica intelligeret, ociosæ essent (ut ego quidem arbitror) aut nihil planè agerent reliquæ facultates. Nam etsi hoc quod dictum est, præstare non potest Logica, tamen utilis est: sicuti ex eis quæ dicta sunt, quæq; dicentur, facilè intelligi licet. Etenim Philosophus naturalis (quod idem cæteri faciunt artifices) intelligens ex ijs quæ à se pertractantur, animal rationale esse in substantia hominis, ex regulis, quas Logica tradit, facilè cognoscit, huiusmodi orationem esse ipsius hominis definitionem. id quod etiam de demonstratione dicendum est. Itaque nouit sese ea tenere, quorum habentur definitiones, & demonstrationes. Atque hæc utilitas est, quam nobis potissimùm affert ars ea, quæ Logica appellatur, sine qua nullam haberemus cognitionem instrumentorum, quibus cognoscimus ignota. Quod uerò dictũ est de homine, & de animali, hoc ipsum intelligendũ est de cæteris omnibus, cum quadam tamen similitudine. Neq; uero cuiq; mirum uidebitur, quòd cum nobis illud propositum fuerit, ut Institutionem quandam in Posteriorum lib. cõscriberemus, nõ eandem tamen definitionis naturã, eosdemq; affectus esse statuerimus, quos Aristoteles in eo ipso libro tradidit. hoc enim à nobis idcirco factũ est, quòd existimamus, ea quæ ibi scripserit Aristoteles, non ut quod ipse sentiret, ueramq; definitionum naturam doceret, scripsisse: sed ut ea quæ ex ipsa loquendi consuetudine

tudine magis manifesta erant, sequeretur. Quod quare ab eo factum sit, diligentius alio loco, quantùm quidem per nos poterit, explicabitur. Iam uerò de demonstratione, ac definitione, quæ sunt ueluti instrumenta quædam, per quæ omnem rerum scientiam consequimur, satis superq; pro instituti nostri ratione dictum esse arbitramur.

SECTIO III.

VErumenimuerò cum dixerimus, principia, ex quibus constituuntur demonstrationes, nullo modo posse demonstrari, ut omnis quæ hinc oriri posit dubitatio tollatur, declarandum esse ducimus, quá nam ratione cognoscantur. & cum quinq; sint habitus, quibus uerum uel assentien do, uel dissentiendo perspicimus, ars uidelicet, scientia, prudentia, sapientia, intellectus: opinione uerò fiat, ut interdum decipiamur: quærendum est etiam, quo habitu illa ipsa principia percipiantur. Sed prius dispiciendum esse uidetur, quó nam illa pacto in nobis reperiantur. Cum ergo fieri non posit, ut nascentibus illa nobis insint, sequeretur enim (quod quidem ab omni ratione prorsus abhor ret) ut nos laterent, quæ nobis inessent, admodum perspicuæ cognitiones: cum item haberi non posint (ut superius dictum est) ex præcedente aliqua cognitione, sic enim principiorum essent principia, & doctrinæ doctrina: fatendum est, cum à nobis perspicuè teneantur, à sensu illa oriri. cui sensui cum sese offerant singularia, ex eorum similitudine intellectus colligit uniuersalia, atque huiusmodi, de quibus loquimur, principia: idq; quòd sensu efficitur memoria, memoria experimentum, experimento uniuersali, quod quidem artis est, uel scientiæ principium, quatenus ratione diuersa res ipsas artes & scientiæ considerant. Itaque satis patêre uidetur, nobis illa nascentibus non inesse, sed acquiri, & comparari, idq; nullo alio habitu notiore fieri, nisi (ut diximus) sensitiua cognitione: quæ quidem etsi imbecillior est intellectiua cognitione, ea tamen est, sine qua intellectus nihil intelligat. Vt autem satis alij dubitationi faciamus, dicendum restat, non posse principia & intellectus habitu, quæ scientia dicitur, percipi. nam cum sit omnis scientia cum ratione aliqua coniuncta, principiorum cognitio ab omni ratione seiuncta est. aliter enim in infinitum procederetur. Neque illud item dici posse arbitror, ipsorum principiorum esse uel artem, uel prudentiam, propterea quòd hæ uersantur in eo quod potest aliter esse, & non esse, quodq; potest à nobis aut agi, aut fieri. nec à ratione planè seiungi possunt, siquidem prudentia est habitus cum ratione actiuus, ars uerò habitus cum ratione effectiuus, principiorum autem longè alia est cognitio. Neque item ipsorum est habitus ille, qui sapientia nuncupatur, cum sapientia ea quoq; comprehendat, quorum habentur demonstrationes, principioru͂ autem nulla

nulla planè queat eſſe demonſtratio. Cæterùm, cum numero quinq; ſint (ut dictum eſt) habitus intellectus, quibus uerum aut aſſentiendo, aut diſſentiendo perſpicimus: ipſorum autem principiorũ neq; ſit ars, neq; prudentia, neq; ſapientia, neq; ſcientia: reliquum eſt, ut eorum ſit ille habitus, qui dicitur intellectus. Quòd ſi aliquando huiuſmodi cognitio appelletur ſcientia, exiſtimandum eſt, nomen ſcientiæ accipi communiori uocabulo, pro cognitione ſcilicet, uel noticia: niſi uelimus omnia quæ dicta ſunt, funditus euertere, quod quidem eſſet omnium abſurdiſsimum.

DE SYLLOGISMO DIALECTICO.

CVm uerò (uti ſæpe iam diximus) ille ſit finis huius facultatis, ut regulas tradat, quibus regulis conficiuntur omnia inſtrumenta cognoſcendi: hæc autem ipſa inſtrumenta ſint, demonſtratio, definitio, & ſyllogiſmus Dialecticus: ac ſatis iam de demonſtratione, & de definitione egerimus: reliquum eſt, ut ſyllogiſmum Dialecticum tractemus.

Opinari igitur uerè, eſt cognoſcere aliquid per ea probabilia, quæ ſunt circa illud.

Probabilia ſunt autẽ, quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus: atq; ijs quidẽ uel omnibus, uel plurimis, uel ijs quorum ſapientia maximè cognita eſt, & perſpecta.

Syllogiſmus Dialecticus, eſt ſyllogiſmus qui gignit opinionem: quare neceſſe eſt, ut ex probabilibus cõſtet. omnis enim ſyllogiſmus qui gignit opinionẽ, eſt ex ijs quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus, & quæ ſequuntur. Ea autem quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, ſunt probabilia: igitur ſyllogiſmus Dialecticus eſt ex probabilibus, quod quidem ſatis per ſe liquet.

De ſyllogiſmo, quem litigioſum uocant.

QVia uerò non ea ſolum pertractanda ſunt, ex quibus uera opinantur homines: ſed illa etiam, quibus decipiuntur, nõ ut his quidem utamur, ſed ut ea facilius uitemus: non alienum eſſe uidetur, docere etiam conficere ſyllogiſmum ſophiſticum.

Decipi igitur eſt, credere aliquid, aut ex ijs quæ probabilia quidẽ uidentur, tamen nõ ſunt: aut ex probabilibus, quæ & in modo, & in figura recte conſtituta uidentur, non autem ſunt: aut ex ijs quæ hæc omnia quæ dicta ſunt, habere uidentur, tamen non habent.

Quæ aũt uidentur probabilia, quæ tamen nõ ſunt, ſunt ea quæ nõ probanẽ aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus: & ijs uel omnibus, uel plurimis, uel maximè notis, & egregijs: ſed uidẽtur probari.

Syllogiſmus ſophiſticus eſt, ſyllogiſmus quo decipimur. quamobrem neceſſe eſt, ſyllogiſmum ſophiſticum aut ex ijs conſtare quæ probabilia uidentur, tamen non ſunt: aut ex ijs quæ cum probabilia

ſint,

ſint, recte uidentur conſtituta & in modo, & in figura, tamen non ſunt: aut ex ijs quæ uidentur habere hęc omnia, tamen non habent. Atque hæc ipſa quidem ita ſequi, patet, quemadmodum in ſyllogiſmo Dialectico demonſtrauimus. His abſolutis, perfectam nobis uidemur inſtrumentorum omnium cognitionem tradidiſſe, ſicuti initiò polliciti ſumus. Loci enim communes, & probabiles, qui ſunt in Topicis, & loci ij qui uocantur apparentes, qui ſunt in Elenchis, nihil ad Logicam pertinent, ſed Dialecticæ propriè ſunt. Quæ quidem Dialectica (ut in prooemio uniuerſali oſtendimus) longè alia eſt à Logica. Nihil hic autem nos de Dialectica, quòd uolumus Logicam tantum pertractare. Ariſtoteles uerò (ut in Commentario diximus) utranque ſimul complexus eſt. Quare nos ad ea quæ de Dialectica ipſe diſſeruit, planè reijcimus.

INSTITVTIONIS IN VNIVERSAM LOGICAM FINIS.

ANTONII

Digitized by Google

ANTONII BER NARDI MIRANDVLANI COMMENTARIVS.

Digitized by Google

ALEXANDRO CARDINALI FARNESIO S. R. E. VICECANCELLARIO, Antonius Bernardus S. D.

CVM summo nobilitatis & amplitudinis tuæ splendori præclara literarum ornamenta adiungenda putasses: statuissesq; sublimem & præstantem animum tuum, quem ab ineunte ætate Græcis Latinisq; literis excoluisses, Philosophiæ studio perpolitè, ac planè instituere: cumq; tibi non inutilem operam nostram, ac laborem fore duxisses in hoc studiorum genere, in quibus nos scires omnem ætatem consumpsisse: equidem illud sedulò agendum mihi sum arbitratus, ut te, quasi in amœnissimos, locupletissimosq; Philosophiæ hortos, quàm breuissima possem, rectissimaq; uia, deducerem. Sed cum & tu à me, dum Aristotelem interpretarer, sæpius quæsisses, & multi præterea satis mirari non desinerent, cur tantopere ab ijs qui antea hoc idem Philosophiæ studium professi sunt, dissentirem, ut non ab ipsis decem rerum generibus, sicuti factum est hactenus, sed ab eo qui de Interpretatione inscribitur liber, Logicæ docendæ initium sumerem: ut intelligeres, non temere me, sed cum diligenti, assiduaq; Aristotelis lectione, tum etiam multis rationibus, & ijs (meo quidem iudicio) firmissimis, adductum in hanc sententiã uenisse, huiusce rei rationem tibi reddendam existimaui. Quam in Commentarium retuli, idq; ad te misi, ut tuis potissimùm auspicijs in doctissimorum manus exiret, illiq; hoc rogatu tuo diligenter accurateq; perlegerent. Cum enim ego in tanta rerum obscuritate facilè errare ac decipi possem, ita quidem sperabam fore, ut aut illi me ex hoc errore (si tamen esset error) eximerent: aut ipse ex eorum animis uetustam illam ac penitus insitam opinionem euellerem, nostraq; omnis in Philosophia dissensio tolleretur. Quorum quidem alterum etsi mihi maximè optandum uidetur, alterum tamen non minus certè gratum, iucundumq; acciderit. Vale.

AD ALEXANDRVM CARDINALEM FARNESIVM S. R. E. VICECANCELLARIVM,

ANTONII BERNARDI MIrandulani Commentarius..

SECTIO PRIMA.

QVONIAM propositum nobis est, ut (quantum per nos fieri poterit) ostendamus, eam quæ habetur in libro Prędicamentorũ doctrinam, ex Aristotelis sententia, nõ esse partẽ Logicæ, faciendũ nobis esse iudicauimus, ut primò exordium poneremus, quod etiã in Logica institutione posuimus, ut seorsum & hic liber, & illa institutio haberi posset: quo exordio finẽ principalem huius facultatis, ipsiusq; finis causam, simul & quid ipsa sit, & quo differat à Dialectica, exponeremus. His enim cognitis futurũ esse cõfidimus, ut huius rei ueritas facilè perspici posit.

Ea quæ quęrimus, sunt numero totidem, quot ea quæ uel opinando, uel sciendo cognoscimus. Quęrimus autem quatuor: ac primùm quidem, secundùm nostrum cognoscendi modum, An sit res. Quod cum assecuti sumus, sequitur illa quæstio, Quid sit: deinde, Qualis sit: postremò, Propter quid sit. Cum uerò (ut dictum est) quatuor sint ea quæ quęrimus, totidem sunt quæ inuenientes, uel opinando, uel sciendo cognoscimus. Cæterùm quia omnis quæstio mediũ aliquod, tanquam instrumentũ, quærit, quo eius rei cognitionem consequamur, qua de re ambigitur (id quod ex eo facilè intelligi potest, quòd illo reperto tollitˀ omnis quæstio) necesse est ut hoc ipsum medium quærentes, aliquã ex ijs quæ suprà dictæ sunt, quæstionibus, inuestigemus. Cum autẽ huiusmodi mediũ, aut instrumentũ, (ut nemini dubiũ esse debet) sit definitio, & syllogismus, uel demonstratiuus, uel dialecticus (omnia enim tribus his tantùm cognoscũtur. nã Quid est, definitione tantùm percipitˀ: in eo enim nõ dicitur aliquid de aliquo. Si est, & quale est, & propter quid est, demonstratione, & syllogismo Dialectico) necessariò quærendæ sunt ipsæ definitiones, & syllogismi. nã cętera quæ uidentur esse cognoscendi instrumenta, ad hęc duo sunt omnino referenda. Sed cum ita ferè usu ueniat, ut in huiusmodi definitionibus & syllogismis reperiendis cõficiendisq; erremus, existimantes uerã nos rerũ cognitionem esse cõsecutos, cũ tamen postremò reperiamus, longè deceptos esse: necesse est, si hanc rerum cognitionem cõsequi uolumus, uti sanè debemus (omnes enim homines natura scire desiderant) inuenire artem, quæ ars horum instrumentorum, quib. omnium dubiarum rerum acquiritur cognitio, regulas tradat, ex quibus intelligamus utrũ rectè cognoscamus, necne. Neq; uerò id planè difficile erit. nã quicqd sine arte ac studio ullo quandoq; fit, multo sanè magis arte curaq; adhibita fieri potest.

Sed

Sed quoniã unaquæque facultas habet unum aliquod principale, quod subiectũ dicitur. est enim subiectũ id, cuius quidem causa cętera quæ in illa facultate sunt, cõsiderantur, atque ad unum illud referũtur: quod item cõplectitur omnia quæ per se tractantur (habet enim & partes, & proprietates, quæ probantur de ipso, ac de eius partibus) illamque ipsam facultatem cuius est subiectum, non excedit: à cuius etiam unitate suam quęque facultas accipit unitatem: aliter enim neque principale, neque idoneum, nec unum subiectum esset: consequens esse uidetur, ut huius quoque facultatis unum sit aliquod huiusmodi subiectum, quod quidem erit uel oratio simpliciter, uel syllogismus simpliciter, uel demonstratio, uel syllogismus Dialecticus, uel definitio, uel argumentatio, uel ens rationis, uel ens reale, uel modus sciendi, uel modus cognoscendi. ex his enim aliquod unum maximè uidetur esse Logicæ subiectum. Sed fieri non potest, ut sit oratio simpliciter sumpta, quòd neque ipsa propter se, sed ob definitionem & demonstrationem, & cæteros syllogismos cõsideratur, nec per illam cognoscimus quicquam eorum quæ dubia sunt. Neque syllogismus simpliciter, propter hanc eandẽ causam. Si enim liceret sine syllogismo simpliciter demonstrationẽ & syllogismum Dialecticũ discere, nulla ipsius syllogismi mentio fieret. id enim quod nobis propositũ est, sine ipso assequeremur. Neque item demonstratio. cum enim excluderetur syllogismus Dialecticus, quẽ tamen per se cõsiderari oportet, efficit enim rerum dubiarum opinionẽ, quam etiam exoptamus: tum definitio, quæ scientiam gignit omnium maximã, quippe quæ declarat ipsum quid est, tolleretur. Quod quidem absurdum esse, præ cæteris ostendit maximè huius ipsius facultatis finis causa, & nos alio loco pluribus declarabimus. Neque syllogismus Dialecticus. quia nec demonstrationi, nec definitioni locus esset in hac facultate. Neque item definitio. demonstratio enim, ac syllogismus Dialecticus, omnino tollerentur. Neque argumentatio. quia siue cõprehendat ea per quæ scimus, aut opinamur cõplexa: siue nihil differat à syllogismo simpliciter, ex ijs quæ dicta sunt, excluditur. Neque ens rationis. uel quia cõprehenderet etiam ea quæ non considerantur per se, itaque ea quæ per accidens tractantur, æquè subiecto cõtinerentur: uel quia nõ reperitur hoc ipsum ens (quo modo quidẽ isti loquuntur) ut alibi ostendimus. Neque ens reale, quod complectitur cum ea quæ per se, quæque per accidens in hac facultate considerantur: tum etiam quæ nullo modo considerantur. omne enim quod est, ens est. Neque modus sciendi, quia non cõplectitur syllogismum Dialecticũ. Neque omnia simul possunt esse subiectũ. uel quia quæ per accidẽs cõsiderata sunt, per se cõsiderarentur: uel quia facultas hæc nullã haberet unitatem, quod est omniũ absurdissimũ. Reliquum igitur est, ut sit modus cognoscendi. is enim & cõprehendit omnia, quæ per se considerantur in hac facultate: & aliquam habet unitatem, à qua hæc ipsa facultas potest una nominari, quæ quidẽ est unitas ad unũ (natura enim definitio est prior demonstratione, & syllogismo Dialectico) ac propter

hoc ipſum cætera conſiderantur. quòd etſi explicitè non definiatur, definitur tamen implicitè, quoniam illius definitio elicitur ex definitionibus ſpecierum eius, quæ quidem definitiones ſunt huiuſmodi, uidelicet orationes, ex quibus cognoſcimus dubia. nec quicquã obſtat, quo minus ſubiectorũ definitiones omittantur tum cum per ſe perſpicuæ ſunt.

Quoniam uerò iſte cognoſcendi modus eſt oratio, qua uel opinando, uel ſciendo, cognoſcimus ignota: facultas ea quæ docet hũc modum conſtituere, meritò dicetur docere orationem conſtituere.

Ac cum rationi ſit conſentaneum, ut facultates ab ea quam primò & principaliter conſiderant materiam, ſuum accipiant nomen: hæc facultas, cuius proprium munus eſt, atq; officium, orationem duntaxat eo quo dictum eſt modo ſumptam contemplari, Logica uero titulo inſcribi poterit. Quæ planè cum ita eſſe appareat, non erit fortaſſe à ratione alienum, ut ipſam deſcribentes, dicamus eſſe artem, quæ orationem, qua ignota uel opinando, uel ſciendo cõſequamur, docet principaliter conſtituere, conſtitutamq; iudicare. Non ab re autem diximus artem eſſe, quia propriè non eſt ſcientia, cum manifeſtò doceat operari. Ex qua quidem re uidetur patêre, plurimùm intereſſe inter Logicam propriè ſumptam, & Dialecticam: cum Dialectica ſit facultas perſpiciendi probabile in unaquaq; re, idq; quòd includit locos communes, qui non magis ad ipſam Logicam pertinent, quàm ad reliquas facultates. atq; ob hanc quidem cauſam dicitur ſyllogizare contraria, & habere aditum ad propria omnium facultatum initia, quòd per ea probabilia, quæ in unaquaq; re ſunt, de ſingulis rebus poteſt diſſerere. Dicitur quoq; uerſari probabiliter circa id, circa quod Prima philoſophia ueris ac neceſſarijs modis elaborat. Quam quidem rem præſtare non poſſe Logicam, ex ijs quæ dicta ſunt, minimè in dubium uenire poteſt. Quòd ſi quis dicat, ipſam Dialecticam cõſtare ex reſolutiua ſcientia, id eſt ex ea parte quæ docet conditiones ſyllogiſmi Dialectici, & ex locis communibus, atque ita eſſe partem Logices, quemadmodum dicitur de Rhetorica, hæc quidem pars Logica eſt, ſed ab illa parte tantummodo quæ locos includit, propriè dicitur Dialectica: uerſatur enim inter opponentem & reſpondentem, & eſt ea de qua uerè enunciantur quæ dicta ſunt. Itaque non recte quidem uidentur illi facere, qui definiunt, Dialecticam eſſe artem artium, & ſcientiam ſcientiarum, & cætera huiuſmodi, intelligendo Logicam. Huic enim definitioni nihil planè conuenit cum ipſa Logica: quia non uera eſt de illa quoque parte Dialecticæ, quæ tradit regulas, quæq; uerè eſt Logica. Quòd ſi rationes, quæ ſunt ex locis communibus, dicantur Logicæ, propterea ſic dicuntur, quia ſunt probabiles, & uerisimiles. λόγος enim, præter cætera, id quoque ſignificat. Qui ſit igitur finis Logicæ, & quæ huius ipſius finis cauſa, quidq; ſit ipſa Logica, & quid à Dialectica differat, perſpicuè patet.

Sectio

SECTIO II.

HIs quasi totius causæ nostræ fundamentis iactis, ad id quod querebatur, respondemus, nos ideo nullam fecisse mentionē eorum quæ pertractantur eo libro, quem Prædicamenta inscripsit Aristoteles, propterea quòd nō sine optimis fortasse rationibus in hanc opinionem discesimus, ut ea ab his quæ in hac facultate traduntur, planè remota, alienaq; esse arbitremur. Facilè enim quilibet intelligere potest, eo libro Aristotelē substantiæ, cæterorumq; generum, quatenus talia sunt, & specierum eorum, quatenus continentur ipsis generibus, naturam & affectus, quoad eius fieri potuit, declarare. Non enim aliter describi possunt, ut talia sunt: neque aliæ possunt eorum proprietates afferri. substantia enim est, quæ non est in subiecto, & in Prima philosophia, & ubique, itaq; de cæteris, ut inferius dicetur. Neq; etiā ordinatur ad opus, ut patet, & ex eis quæ dicentur, perspicuum esse poterit.

Præterea nisi Aristoteles in Prædicamentis egisset de substantia, ut substantia est, illiusq; affectiones ostendisset, ac ita de cæteris generibus, mancus esset, atq; imperfectus. siquidem nusquam alibi hanc rem perfectè tractauit. Neq; enim quintò Primæ philosophiæ libro id præstitit: nam eo libro, ut Aristoteles ipse, ac interpretes isti asserunt, tantummodo distinguit ea nomina quæ uariè sumuntur. neq; alibi aut de ipsis rerum generibus meminit, aut de eorum speciebus, quatenus cōtinentur ipsis generibus, quemadmodū quidem oportuit. Quare imperfectā omnino rerum cognitionē traderet Aristoteles, quod quidē ualdè absurdū est. Perfectā enim omnium rerum cognitionem ex ipsarū substantia, proprietatibusq; & speciebus oriri, qui dubitet, arbitror esse neminem. Quæ quidem omnia nobis lucè clarius ostendunt, eo libro substantiam, ut substantia est, itemq; cætera omnia genera, ut talia sunt, considerari. Ex qua planè re perspicuū esse potest, huiusmodi pertractationem ad eam pertinere facultatem, quæ entis naturam, quatenus ens, contemplatur.

Neque uerò illud dici posse arbitror, hæc eo libro diuersis modis pertractari, qui modi per se ad diuersas pertineant facultates, uel quia eo quo dictum est modo considerantur, uel quia hoc apertè repugnat naturæ facultatum, quæ quidem sunt unius generis, cuius ratione à cæteris distinguuntur scientijs. res enim illa diuersis illis modis considerata, duo efficeret subiecta: id quod minimè uidetur intelligi posse. Quòd si dicatur, duobus quidem modis, sed uno principaliter considerari, hic ipse principalis modus erit primæ philosophiæ, ut patet ex eis quæ diximus, quæq; dicentur.

Falsam quoq;, & ab Aristotelis sententia planè alienam eorum opinionem ducimus, qui existimauerunt, hominem & animal, triangulum & figuram, cæteraq; his consimilia, quæ inter se rationem habent generum & specierum, eo libro, ut superiora & inferiora tractari. siquidem hęc doctrina minimè id præstare potest: quippe quæ non transcendit naturam substantiæ, reliquorumq; generum. nihil

enim habet, quod non pertineat ad ipsa decem genera. neq; ullas tradit eorum proprietates, ex quibus hæc cognosci possint. nam quicquid de generibus illis, ac speciebus tractat, tractat quatenus substantia est, siue aliud quodlibet prædicamentum. supponit enim, animal esse genus, & hominem speciem, tanquam id quod propriè ab alio artifice declarari oporteat: & probat, hominem qui dicitur species, esse magis substantiam, quàm animal quod dicitur genus. Ac sanè tantùm abest ut hoc contra nos faciat, ut etiam maximè nostræ faueat opinioni. Nam probare, aliquid esse magis substantiā, ad primā pertinere philosophiā, ostendit apertissimè Aristoteles, ubi demonstrat, formā esse magis substantiam, quàm materiā: idq; eo libro præstari oportere, quarto Primæ philosophiæ libro his uerbis declarat:

» *Quapropter & eius quod est, ut ens est, quæcunq; sunt species,*
» *unius est scientiæ genere, & specierum species contemplari.*

» Quibus uerbis, inquit Alexander Aphrodisæus, aperitur, diui-
» sionem entis in decem genera ad primam spectare philosophiam,
» quam ipse fecit in prædicamentis. Aperitur etiā, oportere (id quod
» à nobis dictum est) in eisdem Prædicamentis de speciebus illorum
» generum, quatenus talia sunt, agere.

Si enim de homine ageret, ut homo est, & de animali, ut animal est, itaq; de reliquis speciebus, de quibus mentionē fecit in Prædicamentis, superuacaneæ essent cæteræ scientiæ, ut patebit: sola enim relinquerentur Prædicamenta. Illud etiam sequeretur, ut ijdem illi planè sibi contradicerent. quandoquidem animal & homo sic considerata, ut superius & inferius, ad secundam (ut nonnulli istorum dicunt) intellectus operationem spectarent, de qua quidem hoc libro nulla ex ipsorum sententia fieri potest mentio.

Neq; si talis cognitio ex eo libro colligeretur, dici omnino posset, huiusmodi doctrinam esse Logicæ facultatis partem. cum enim Logica cognoscere non possit, neq; substantiā esse genus corporis, neq; corpus animalis, neq; animal hominis, ac ita de cæteris: eadē ratione ignorat, animal esse superius ad hominem, & hominē inferius ad animal. Consequens igitur est, ut decem illa genera considerari nō possint, uti superiora & inferiora.

Quod planè ex hoc, præter alia, maximè intelligi posse arbitror, quòd cū Logicus, ut Logicus, nō possit cognoscere, animal rationale esse definitionē hominis, eodēq; modo de cæteris definitionib. sequitur, ut non possit etiā cognoscere, substantiā esse genus corporis, neq; corpus animalis, neq; animal hominis. Probatur consequentia, quia nō maior est ratio unius quàm alterius, ut cōsideranti constat. Antecedens uerò confirmatur uerbis Aristotelis, qui 11. Posteriorū libro scribit, oratione sumpta ex definitione definitionis minimè ostendi posse, exempli gratia, animal rationale esse definitionem hominis, ad hunc modū: Oratio, quæ constat ex ijs quæ sunt, in quod quid est, est definitio: animal rationale est oratio, quæ constat ex ijs

quæ

quæ ſunt in quod quid eſt hominis: ergo, animal rationale eſt definitio hominis. Cum enim illa res nobis ignota ſit, ignoramus etiam ipſam eſſe, in quod quid eſt. Ex Ariſtotelis igitur ſententia Logicus, ut Logicus, non poteſt oſtendere, an talis oratio ſit in quid eſt hominis, quòd aſſumit huiuſmodi orationes ſine probatione, quas tamen oſtendi oporteret. Ita de genere, cæteriſq; huiuſcemodi erit, quia ex ſola generis definitione intelligi non poteſt, animal eſſe genus hominis. itáque de reliquis: eadem enim eſt ratio. Quòd ſi hoc præſtare poſſet Logicus, falſum eſſet quod ſcribit Ariſtoteles. Sed ſecundo noſtræ Inſtitutionis libro, quem in ſecundum Poſteriorum librum confecimus, hanc rem pluribus perſecuti ſumus: ſimulq; addidimus, quænam ſit utilitas, quam nobis pręſtat hæc facultas. Quod cum ita ſit, patet, Logicum non poſſe intelligere, animal eſſe ſuperius ad hominem, & hominem inferius ad animal, & ſic de reliquis omnibus. itaque non poſſe ab eo conſiderari decem illa genera, ut inferiora & ſuperiora: id quod nobis propoſitum fuit oſtendere.

Præterea, ſi hoc eſſet proprium Logici munus, cum de cæteris idem æquè dicendum ſit, ac de animali, & de homine: ſequeretur omnino, quod dictũ eſt, ut reliquæ facultates ſuperuacaneæ eſſent. quoniam hæc facultas una omnium rerum naturas & affectus conſideraret. fieri enim non poteſt, ut ea quæ dicta ſunt, ſine huiuſcemodi cognitione intelligantur. Quî enim poteſt aliquis cognoſcere, animal eſſe genus hominis, non cognita ipſius animalis natura, quæ eſt in homine & aſino, cæteriſq; huiuſmodi? Ita uerò nihil relinquetur cæteris facultatibus, quippe quæ ſolas rerum naturas & affectiones cõtemplantur. ſiquidem hoc eſt proprium illarum officium. Quòd ſi iam huiuſmodi res in Logica cognitæ fuerint, fruſtra omnino tradentur in alijs ſcientijs: quod quidem omnium eſt abſurdiſsimum.

Illud etiam ab omni ratione alienum exiſtimamus, quod nonnulli dicunt, neque ſubſtantiam tractari ut ſubſtantiam, neq; qualitatem ut qualitatem, eodemq; modo de reliquis, ſed ut genera. Nam ſi ita eſſet, definitio ſubſtantiæ, atq; eius proprietates cõuenirent ipſi ſubſtantiæ, ut genus eſt: itaq; de cæteris. Definitiones enim, & proprietates, quæ in una aliqua facultate oſtenduntur de aliquo ſubiecto, debent ei conuenire, ut patet primo Poſteriorũ lib. cap. 4. & 5. quatenus tale eſt ſic, ut conuertatur. Proprietates & definitiones huius rei primò conſiderantur in hac facultate, ergo hæc res eſt ſubiectum. Rurſus, hæc res eſt ſubiectum, ergo primùm definiri oportet, probandæq; ſunt de illa proprietates, quæ ipſi, quatenus talis eſt, conueniunt, ut docet Ariſtoteles primo Poſteriorum libro his uerbis:

Omnis nanq; demonſtratiua ſcientia circa tria uerſatur. ſunt enim ea, quæ ponit eſſe: hæc autem ſunt genus, cuius per ſe affectionum, eſt contemplatrix. & ea, quæ communes dignitates dicuntur, ex quibus primis demonſtrat. & tertium affectus, quorum unumquodq; quid ſignificat, ſumit. " " " "

Paulo

Paulo antè etiam dixerat:

» *Vniuersale autem dico, quod cum sit de omni, & per se, secundùm » quòd ipsum est. Manifestum igitur est, quòd quæcunque sunt uniuer» salia, ex necessitate insunt rebus. Per se autem, & secundùm quòd ip» sum idem est: ut per se inest lineæ punctum, & rectitudo. namque secun» dùm quod linea est, & triangulo, secundùm quòd triangulus est, duo » recti, etenim per se triangulus duobus rectis æqualis est.*

Et quæ sequuntur. Ex quibus quidem apparet, nisi proprietates, quæ ostenduntur de subiecto, ostendantur quatenus tale est, nõ demonstrari per se. subdit enim:

» *Quod igitur quodlibet primum duos rectos habet, aut quodcunque » aliud huic primo inest, uniuersale, & per se demonstratio huius uni» uersalis est. Aliorum autem quodammodo non per se, nec enim isos» sceles uniuersaliter, sed in plus.*

Et alio capite:

» *Propter hoc si aliquis monstret triangulum demonstratione una, » aut altera, quod duos rectos habet, unusquisque seorsum nondum cogno» uit triangulum, quod duos rectos habet, nisi sophistico modo, neque uni» uersale trianguli, nec etsi nullus est præter hunc triangulus alter, se» cundùm quòd triangulus est. neque omnem triangulum, secundùm nu» merum: secundùm speciem aũt non omnem, etsi nullus est qui nõ nouit.*

Et paulo pòst:

» *Manifestum, quoniam remoto ipso primum, ut isosschele æneo, tri» angulo insunt duo recti, sed æneo esse remoto: & isosschele, sed non » figura: & termino, sed non primis, secundum hoc inest & alijs, & » huiusmodi.*

Et capite XVII.

» *Primum quidem nihil magis in uniuersali, quàm in particulari ra» tio est. si enim quod duobus rectis inest, non secundùm quòd est æqui» tibiarum, sed secundùm quòd triangulus est, cognoscens, quoniam ip» sum minus cognoscit, in quantum ipsum est, quàm cognoscens, quoniã » triangulus est. & omnino si non scitur quidem secundùm quòd est tri» angulus, postea demonstrat, non utique erit demonstratio. si uerò sit co» gnoscens unumquodque, secundùm quod unumquodque, magis cognouit.*

Quæ omnia declarant, necessarium esse, ut proprietates, quæ demonstrantur de aliquo subiecto, demonstrentur de eo quatenus tale est. aliter enim nõ habebitur eius scientia, nisi modo sophistico. Quare si substantia ut genus considerata, subiectum est in prædicamento substantiæ, definitio, quæ ibi traditur, atque illius proprietates conuenient ipsi substantiæ, ut genus est, eodemque modo reliquis. Sed res longè aliter se habet: ergo non possunt ita considerari. Quod quidẽ ex eo colligi posse uidetur, quia si proprietates illæ non esse in subiecto, & non suscipere magis & minus, cæteræque his consimiles, conue

nirent substantiæ, ut genus est, necessariò conuenirent omni generi. ostendit enim Aristoteles primo Posteriorum libro, capite quarto:

Quod conuenit alicui secundùm quòd ipsum, hoc eidem conuenire uniuersaliter. "

Sed quod conuenit alicui uniuersaliter eo modo, quo loquitur ibi Aristoteles de uniuersali, conuenit omni illi, & primò illi, quia uniuersale est tum, cum in quolibet, & primò demonstratur. Inesse autem alicui primò, & secũdùm quòd ipsum, & propriè, est unum & idem. Quòd si ea quæ dicta sunt, conueniunt substantiæ, ut genus est: conuenient omni generi. itaq; non esse in subiecto, & suscipere contraria, cæteraq; huiusmodi, conuenient quantitati, qualitati, & reliquis prædicamentis. sunt enim genera, atque ex istorum sententia considerantur ut genera. Item æquale & inæquale cõueniet ipsi substantiæ, ac ita de cæteris. Quæ omnia sunt absurdissima.

Præterea si considerarentur ut genera, spectarent ad Primam philosophiam. quia genus ut genus, spectat ad Primam philosophiam: est enim (ut etiã probabitur) affectus entis, quatenus ens est. siquidẽ est in omni ente. Neq; huic sententiæ aduersatur (ni fallor) id quod scriptum reliquit Aristoteles in fine libri Prædicamentorũ, ubi ait:

De propositis itaq; generibus dicta sufficiant. "

Nam cum omnia ipsa decem genera in hoc inter se consentiant, ut appellentur genera, in epilogo, ut omnia unico uerbo cõprehenderentur, cõmuni nomine sic appellari potuerunt: non tamen (ut probatum est) si demonstrentur proprietates substantiæ, demonstrant̃ quatenus illa genus est, etsi re uera est genus. Nam licet in Geometria probentur passiones de magnitudine, quæ est ens, tamen nõ dicuntur probari de ea, quatenus est ens. Rationes autem, quæ ostendunt hæc non posse considerari ut genera, ostendunt etiã non posse considerari ut inferiora & superiora, itemq; ut subiectum & prædicatum.

Quòd si aliquis existimaret, hanc doctrinã esse de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, & hanc ob causam esse Logicæ facultatis partẽ, erraret quidẽ mea sententia toto (quod aiunt) cœlo. Perspicuè enim ex hac positione sequitur oppositũ magis, q̃ id quod probare uolunt. Declaratum est enim ab ipso Aristotele quarto Primæ philosophiæ libro, & primo Elenchorũ, nos uti nominib. quæ rerũ significatiua sunt, pro ipsis rebus, quia res ipsas non possumus afferre in disputationẽ: atq; ita notari res, & significari nominibus. Sunt ergo prædicamẽta de rebus, ac de illis quidẽ primò.

Propter quod enim unumquodq; est, & illud magis. "

Hoc etiam cõfirmari potest ex eis quæ ab ipsis Græcis conceduntur. cũ enim dicant, homines nominibus indiguisse, ut tantũmodo sensa exprimerent: sequit̃, ut Prædicamenta sint de uocibus per accidens, nõ per se. propter enim aliud cõsiderantur. Cũ uerò sensa ipsa sint ꝓpter res, sequit̃ omnino, ut sint de rebus. nõ ergo dici possunt partes Logicæ ex eorũ opinione, qui statuũt illam nõ esse de rebus.

Præterea

Preterea si sunt de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, non sunt partes Logicæ. Logica enim non est de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt: secundũ eorum sententiam, qui ponunt eam esse de secundis intentionib. aliter non esset de secundis intentionibus. Cum uerò inferunt, ipsa Prædicamenta esse de uocibus principaliter, quia omnis ars Logica est de oratione, petunt id (de Logica enim re Logico more loquar, ut alijs etiam, & pluribus locis facturus sum) quod est in principio: hoc enim probandum fuerat.

Præterea cogeremur fateri, cęteras facultates neq; esse de rebus, & esse ipsius Logicæ partes, quippe quæ considerant uoces significantes res, quatenus significantes sunt: siquidem (ut isti sentiunt) ea est causa, cur aliquid non sit de rebus, & sit pars Logicæ. Ipsas autem scientias esse de uocibus significantibus res, ut significantes sunt, perspicuè docet Aristoteles. neq; ego sanè intelligo (quod ad hoc quidem attinet) quid hæ propositiones, Homo est substantia, Substantia manens una & eadem numero, suscipit contraria, differant ab illis, Triangulus habet tres angulos, Homo est animal. Nihil enim, si diligenter considerentur, inter se differũt, quamobrem hæ magis dicantur esse de rebus, quàm illæ. æquè igitur omnes erunt de rebus.

Quòd si quis illud etiam uelit asserere, hanc doctrinam esse de uocibus significantibus res, ut dicunt, non de rebus, id propterea erit, quòd ostendet uocum significationes, ut (uerbi gratia) hanc uocem Homo significare substantiam, quemadmodum ipsi dicunt, quòd hoc scilicet dubium sit. aliter enim superuacanea esset omnino hęc doctrina. Aut ergo (ut dixi) ostendit uocum significationes, aut non ostendit. Si non ostendit, uti quidem ex eo libro apparet, superuacanea est, quia nullam affert cognitionem. Sin autem ostendit, euertit illud Aristotelis II. Posteriorum libro:

„ *Amplius nec una scientia demonstrat, quòd hoc nomẽ significat hoc.*

Quod quidem cum uerissimum sit, nam significationes nominũ ex communi hominum usu sumuntur, non possunt hoc libro huiusmodi uoces simplices ita considerari. Ergo sequitur, ut considerentur pro rebus sic, uti dictum est.

Quòd si concederemus, hanc doctrinam aliquo modo declarare, hoc nomen Homo significare substantiã, & hoc nomen Linea quantitatem, & ita de cæteris, ac propterea dici de simplicibus, & ad Logicam pertinere, tunc ostendendus esset hic modus. Sed hic modus non potest esse alius, nisi ut per naturam substantiæ, qualitatis, & earum affectiones, itaq; cæterorum prædicamentorum, ostendatur, Homo esse substantiã: quia manens unus & idem numero suscipit contraria, quemadmodum Aristoteles in Prædicamento qualitatis ostendit, Nigredinem & Pallorem esse qualitatẽ ex definitione qualitatis, quoniam scilicet dicimur Quales ex ipsa nigredine & pallore. Quòd si ita faciendum est, ut facit Aristoteles, hoc uerò est ostendere rem,

rem, quæ nominatur Homo, esse substantiam, non hoc nomen Homo significare substantiam. Nam quod manens unus & idem numero suscipiat contraria, hoc est ratione rei (ut patet) non uocis. Quod quidem ostendit Aristoteles in Prædicamento qualitatis, ubi ait:

Tertia uerò species qualitatis paßibiles qualitates, & paßiones. «
sunt autem huiuscemodi, dulcedo, amaritudo, & austeritas, & omnia «
his cognata: amplius calor, & frigus. Et quòd hæc qualitates sint, ma «
nifestum est. quæ enim ipsa susceperunt, qualia dicuntur secundùm ea. «
Hæc autem sunt de rebus, ergo & reliqua huiusmodi.

Præterea ijdem ipsi interpretes aduersus hæc instant, & urgent, quòd non ita reperitur in uocibus: ac difficultates omnes tollunt, accommodando hæc rebus. deinde negant esse de rebus, quod planè mirum est. Quod tamen ex hoc etiam colligi posse arbitror, quòd Aristoteles quinto Physicorum libro probauit, in substantia nō esse motum, quia substantia non est contraria substantiæ. & hoc idem XI. Primæ philosophiæ libro scriptum reliquit. Quod patet etiam ex septimo Physicorum, ubi ponit quatuor species qualitatis: hæc ergo proprietas est de rebus. Itaq; probare, aliquid esse substantiam per illas proprietates, quas attribuit Aristoteles substantiæ, est ratione rerum, non uocis, id quod nobis propositum fuit, ostendere.

Amplius, cur Aristoteles non tradidit aliam doctrinam, quæ declaret aliquo modo, Hominem significare animal rationale, quod quidem est illius magis proprium, & ita de cæteris: qua item doctrina egemus, sicut altera ex eorum sententia? Quòd si tradit, atque ea est philosophia naturalis, cur ipsam non statuunt esse partem Logicæ? & item de reliquis. Non enim maiorem doctrina illa, quàm hęc, rationem habet, cur debeat esse pars Logicæ. Sin minus hanc tradidit Aristoteles, mancus erit, atque imperfectus, cum hæc non tractentur (ut patet) in Prædicamentis.

Item primi philosophi esse, probare, aliquid esse substantiā, prȩterquam quòd & ex ijs quæ dicta sunt, quæq; dicenť, & ex multis locis Aristotelis intelligi potest, præterea ex ipso Auerroë colligi posse arbitror, qui in secūdo Physicorū libro exponēs illa uerba Aristotelis:

Naturam autem habent, quæcunq; huiuscemodi habent principia: « *Et quæ sequuntur,*

Sed uidetur, inquit, quòd hoc concedendum est à naturali, & accipit à philosopho. s. quòd natura, quæ dicitur de forma, est substantia: & uniuersaliter considerare de substantia, non est proprium huius scientiæ. Substantia enim, & accidens, sunt differentiæ entis, secundùm quòd est ens: & apparet illis, quòd materia est substantia in potentia, & quòd forma est illa propter quam est substantia in actu. Compositum igitur est dignius habere hoc nomē substantia, quàm materia, quia est in actu, & materia est in potentia: & forma est dignior habere hoc nomen substantia, quàm compositum, quoniam per illam est compositum in actu: & causa rei est dignior causato, & «

» omnes istæ propositiones sunt cõmunes, & essentiales enti. & ideo
» ponendum est hoc in hac scientia positione.

Hoc idem uisus est sentire in I. lib. Metaphys. textu XV. XVIII. & in VII. lib. textu V. IX. & XXXIX. Metaphys. I. V. & VI. Metaphys. I. & IIII. Si igitur hoc libro declaratur, nomen Homo significare substantiam, eo modo quo dictũ est, ex ipsius Auerrois sententia, qui tamẽ putat, ipsa Prædicamenta esse partes Logicæ: sequetur, ut non sint partes Logicæ, erunt enim partes Metaphysicæ.

Amplius, ex ijs quæ dicunt nonnulli Græcorum interpretum, sequetur, ut omnes scientiæ sint de uocibus, aut ipsa Prædicamenta de rebus. Sic enim argumentantur aduersus eos, qui dicunt illa esse de rebus. Si Aristoteles hoc libro tradit cognitionẽ rerum, tradit etiam uocum. nam fieri nõ potest ut res significentur, nisi per ipsas uoces. Quòd si ita est, quemadmodũ ipsi putant, reliquæ item scientiæ quæ dicũtur de rebus, erunt de uocibus, quia tradunt cognitionẽ rerum: quæ quidem res ex eorũ sententia nõ possunt significari, nisi per uoces. itaq; omnes scientiæ erunt de uocibus, quod quidẽ maximè absurdum est. Quod si cõcedant, cæteræ scientiæ similiter tractabunt, atq; ipsa Prædicamenta. Quare uel Prædicamenta erunt de rebus, & non partes logicæ: uel omnes scientiæ erunt partes logicæ, & non de rebus, quemadmodũ ipsa prędicamẽta. Sed cum notũ sit, sciẽtias esse de rebus, quamuis sint de uocibus, Prædicamenta erunt de rebus, licet sint de uocibus. itaq; Græci interpretes illi nihil cõcludent.

Non enim possunt dicere, eorum partim esse de rebus, partim nõ esse de rebus. Nam præterq̃ quòd sibimetipsis repugnarent dicentibus, illa esse de uocibus significantibus res principaliter, tollerent etiã unitatẽ illius facultatis: quod quidẽ (ut dictũ est) fieri nullo modo potest. Huc accedit, quòd ociosa esset illa rerũ pertractatio, quippe qua nihil opus sit in logica, ubi ex eorũ sententia nõ agitur de rebus. Item, etiã nõ magis pertinerent ad logicã, quàm ad aliã facultatẽ, ut liquet.

Neq; illud dici potest, cæteras facultates esse de rebus complexis, ipsa uerò Prædicamẽta de simplicibus: quia cæteræ facultates sunt etiam de simplicibus. Non enim potest ulla doctrina constituere complexa, nisi ex simplicibus: quia unaquæq; facultas habet terminos simplices proprios, qui ignoti sunt alijs facultatibus, & suas definitiones eo modo quo potest, quæ sunt ipsius principia.

Illud etiam fortasse ad hanc opinionem confirmandam addi licet, quod dicunt istimet Interpretes, hanc doctrinam ideo ab Aristotele seorsum esse traditam, ut doceremur infinitas res, quarũ non potest esse scientia, redigere ad finitas. Ex qua quidem positione præterq; quod fortasse rectius dici potuit, ut inferius ostendetur, præterea sequi manifestè uidetur, ut hæc doctrina sit de rebus, siquidem tradita est (quemadmodum ipsi fatentur) ut cognoscamus res. quæ enim non sunt res, his minimè cognosci possunt ea quę sunt res. Quod cũ ita sit, planè constat ex eis quæ superius dicta sunt, ipsam nõ esse partem eius facultatis, quæ non est, ut ipsimet asserunt, de rebus.

Illud etiam quod nonnulli dicunt, ut Boëtius, res esse infinitas, atque ob hanc causam necessariò infinitas esse uoces, quæ ipsas res significent: itaq; uelle reddere causam huius doctrinæ, apertè dissentit ab Aristotele, qui primo Elenchorum libro ita scribit:

Nomina quidem finita sunt, & orationum multitudo, res autem numero infinitæ. Necesse ergo erit, plura eandem orationem, & unum nomen significare.

Non ergo uult Aristoteles redigere infinita nomina ad numerum finitum: quæ etiam cum redigi non posint, nisi quomodo dictũ est, non erunt de nominibus, sed de rebus. Quomodocunq; igitur isti dicant, mihi uidentur semper eódem reuolui. nisi enim hoc præstet ea quam ostendimus ratione, inanis erit illa doctrina, nec quicquam nobis proderit.

Amplius, hoc idem, uidelicet decem illa genera esse de rebus, uidetur sequi ex eis etiam quæ scripta reliquit Boëtius in Prædicamento qualitatis, his uerbis:

Ipse enim testatur, esse quoq; alias qualitates, quas modo omnes numerare neglexit. Sed cur neglexerit, multæ sunt causæ. Prima, quòd elementi uicem hic obtinet liber, nec perfectam scientiam tradit, sed tantummodo aditus, atque pons quidam in altiora philosophiæ introitum pandit. Quocirca si hoc ita est, tantùm dicere oportuit, quantùm ingredientibus satis esset, nec eorum animos nõdum ad scientiã firmos, multiplici doctrinæ subtilitate confundere. Quæ uerò hic desunt, in libro qui Prima philosophia inscribitur, posuit perfectius: nanq; opus illud non ingredientibus præparatur. Quæ etsi multas habent, ac eas quidem perarduas difficultates, tamen non est hic eas attingendi locus. Tantùm dicimus, ex his sequi quod dictum est. Nam si hic liber aditum aperit ad altiora philosophiæ, Philosophia autem est de rebus, hic liber etiam est de rebus: quia si non esset de rebus, non aperiret aditum ad philosophiam: quippe qui nõ posset, quemadmodum etiam nequit Logica, ut ex eis quæ ab ipso dicuntur, facilè patet.

Præterea, si posuit in Prima philosophia quæ hic desunt, eodem modo hic, atq; ibi pertractantur. aliter enim non esset apposita. Sed ibi agitur de rebus, ergo & hîc. Cum igitur omnia quæ dicunt isti, à ratione aliena uideantur, rectè dictum est, huiusmodi pertractationem Primæ esse philosophiæ, atque ita quidem nullo modo partem esse Logicæ.

SECTIO III.

QVòd autem nullo modo sit pars Logicæ, facilè ex ipsius Logicæ fine colligi posse arbitror. Nam si illius finis est, docere conficere ea quæ diximus instrumenta, constat, illorum constitutionem rationibus & syllogismis, qui communiori uocabulo demonstrationes appellantur, doceri opor-

tere. ignotum enim complexum aliter perdiſci non poteſt, ut patet in procemio. Quare ad illud docendum, demonſtrationem eſſe ex ueris primis immediatis, neceſſe eſt utatur demõſtratione: eodemq; modo de enunciatione, ut oſtendat illam eſſe ex nomine & ex uerbo. At huiuſmodi demonſtrationes cõſtabunt ex enunciationibus, ſiue propoſitionibus (non enim poſſunt aliter fieri) hæ uero enunciationes neceſſariò erunt, uel ex ſimplicibus terminis, qui ſunt Prædicamenta, ut ex ſubſtantia, & qualitate: uel ex terminis ijs qui ſunt in Prædicamentis, ut ex homine, linea, & huiuſcemodi: uel ex communibus, ut ex neceſſario, genere, ſpecie, & cæteris, quæ communia ſunt omnibus Prædicamentis, & per conſequens decem genera erunt conſtituta, non enim datur medium. At fieri non poteſt, ut conſtituantur ex eis terminis qui ſunt Prædicamenta, neque item ex eis quæ dicuntur eſſe in Prædicamentis, ergo fient ex communibus. quod quidem notum erit inſpicienti omnes enunciationes, quę ſunt in Logica. Nam ipſa Logica neque ex ſubſtantia, quantitate, qualitate, neque ex homine, & reliquis huiuſmodi, ſuas facit propoſitiones, & per conſequens demonſtrationes, ex quibus concludat, enunciationes conſtitui ex nominibus, & ex uerbis: ſyllogiſmos in una aliqua trium figurarum confici, & ex tribus terminis: demonſtrationes ex ueris immediatis, & reliquis conſtare: ſyllogiſmos Dialecticos ex probabilibus, definitiones ex generibus & differentijs. Quæ quidem ferè ſunt omnes concluſiones, quæ pręcipuè ex hac facultate colligũtur. Atq; id ſanè patet, ut dixi, accipiendo omnes ſyllogiſmos & propoſitiones, quæ ſunt in Logica, quæ neq; ſunt factæ ex huiuſmodi terminis, neq; ulla ratione fieri poſſunt, ut apparebit etiã inferius in tabula. nõ enim ex eis regulæ generales tradi potuiſſent. Conſequens eſt igitur, ut ex communibus fiant.

Præterea, cum iſtæ concluſiones non ſint ex huiuſmodi terminis, ut patet (inferuntur enim concluſiones ex præcognitione ſubiecti & prædicati) neque item ſunt propoſitiones, ex quibus rationes eæ conſtitui dicuntur. Quare neceſſe eſt (ut diximus) propoſitiones Logicæ facultatis ex terminis communibus eſſe conſtitutas. itaque non poſſunt fieri ex terminis ijs qui ſunt Prædicamenta, neque item ex eis quæ dicuntur eſſe in Prædicamentis, ergo Prædicamenta nihil ad ipſam Logicam pertinent. Non enim quicquam eſt per ſe in ulla facultate, præter propoſitiones & concluſiones, quæ oriuntur ex propoſitionibus: ut ex eis quæ primo Poſteriorum libro ſcripta reliquit Ariſtoteles, perſpicuum eſt, ubi dixit,

„ Omnem ſcientiam eſſe circa tria.

Quod ſi quis inſtaret, quòd in Logica reperiantur huiuſmodi propoſitiones, Homo eſt ſubſtantia, Linea eſt ex punctis, Nulla ſubſtantia eſt quantitas, Omnis homo eſt animal, Omne animal eſt ſubſtantia: & inferri diceret, Omnẽ hominem eſſe ſubſtantiã, & reliqua huiuſmodi: negamus, has eſſe partes huius facultatis, ut ex eis quæ nuperrime dicta ſunt, colligi poteſt. Non enim tales ſunt, neq; pro-

poſitiones

positiones, ex quibus inferantur et addiscantur conclusiones, quæ sunt in Logica: neq; ipsæ conclusiones, quæ concludūtur: ergo sunt extra hanc artem. Itaq; sequitur, ut exempla sint aliunde petita.

Præterea declarat Aristoteles, ea quæ in deliberatione & consultatione posita sunt, quæ ipse in Rhetoricis exponit, pertinere ad ciuilem facultatem, eaq; ibi se pertractare, sumpta ciuilis artificis persona: ergo et hęc ad suos quęq; artifices pertinere, facilè apparet. sunt enim ex terminis aliarum facultatum proprijs, non ex eis quæ sunt in Logica, ut dictum est.

Hoc si quis negauerit, idem ille, mea quidem sententia, fateri cogetur, cæteras omnes facultates pariter esse Logicæ partes, quandoquidem licet in ipsa omnium facultatū exempla deprehendere: quæ planè res esset, ipsorum etiam interpretum sententia, omnium absurdissima. cæteræ enim facultates (ut patet) essent omnino superuacaneæ.

Quod autem suas quæq; facultas propositiones habeat, itemq; demonstrationes, & principia, cum ex alijs compluribus locis Aristotelis intelligi licet, tum uerò maximè, ni fallor, ex primo Rhetoricorum lib. ubi hæc ille scripta reliquit.

Propria uerò quæcūq; ex his sunt, quæ circa unamquanq; speciem ac genus propositionum sunt. sunt enim propositiones de Physicis, ex quibus nec enthymema, nec syllogismus de moralibus. et de his aliæ, ex quibus non erit syllogismus de physicis, eodem de cæteris. "

Ac ne longius faciam, quoquo modo prædicamenta ipsa considerari dicuntur, atq; ita pertinere ad logicam, si diligenter, attenteq; res consideretur: nihil prohibet, quò minus hoc idem de reliquis facultatibus dici possit. Nam in cæteris facultatibus sunt uoces simplices, sunt complexę. aliter enim cōplexa nō fierent ex simplicibus, ut dicetur inferius. In cæteris itē facultatibus sunt uoces, ac res eodē modo, quo in Prędicamētis. ergo quicquid dicit̃ de uno, dicit̃ etiā de altero.

Neq; item licet dicere, Prædicamenta, ut talia sunt, esse Logicā, nō Philosophiam, aut primam philosophiam. Ars enim, ut ostendit Aristoteles VI. Metaphys. lib. & XII. non in re facta, sed in faciente consideratur. Etsi fateri debemus, ea esse secundùm artem confecta, licereq; nominari ex arte, secundùm quam sunt factæ.

Cum igitur ex eis quæ dicta sunt, pateat, quod item inferius ostendetur, satis esse ad Logicam artem instituendam, tradendamq;, si hæc ratione doceantur, enunciationes componi ex nominibus & ex uerbis, quæ sunt orationes, in quibus dicit̃ aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo: Syllogismos fieri in tribus figuris, & ex tribus terminis: quia omnis oratio, ex qua sequit̃ aliquid necessariò, cōponitur ex eis quę dicta sunt: Demōstrationes constitui ex ueris primis immediatis, prioribus notioribus, et causis conclusionis, quia est syllogismus faciens scire per causam, atq; omnis huiusmodi syllogismus ita componit̃: Syllogismum dialecticum ex probabilibus, quia fidem facit. Cum hæc inquam doceri satis sit (his enim solis consequitur hæc ars finē

 suum)

ſuum) perſpicuè ſequitur, ut ſuperuacaneum ſit, ad hãc doctrinam, quatenus docet ſic operari, illa adiungere, ſubſtantiam non ſuſcipere, neq; magis, neq; minus: eandem, cum maneat una & eadem numero, ſuſceptibilem eſſe contrariorum: & ſic de cæteris affectibus, qui in Prædicamẽtis cõnumerantur. Item hominẽ eſſe ſubſtantiã, Lineã quantitatẽ, & ita de reliquis: quandoquidẽ nihil præterea (ut dictũ eſt) ex hac facultate quæritur, niſi ut doceamur cõſtituere ea quę demõſtrauimus, cognoſcendi inſtrumẽta, id quod ſatis ſuperq; oſtendũt, quæ diximus. Nõ ergo alijs indigemus: ac quomodocunq; accipiatur doctrina prædicamentorum, ſuperuacanea eſt huic facultati. Quamobrem ex his quoq; refelli poſſe putamus argumentum illud, quo utuntur Græci iſti interpretes, ut oſtendãt, doctrinam libri Prædicamentorũ eſſe huius facultatis partem neceſſariã: quòd ſcilicet finis Logicæ facultatis eſt de demonſtratione, quę percipi non poteſt, anteq; diſcatur ſyllogiſmus ſimpliciter: qui item diſci non poteſt ſine propoſitionibus, de quibus egit Ariſtoteles lib. Perihermenias, quæ quidẽ cognoſci non poſſunt ſine uocibus ſimplicibus, ex quibus cõſtituũtur. Sic intulerunt, Ariſtotelẽ prædicamenta tradidiſſe, atq; in his docere ſimplicium uocum poteſtates, & ſignificationes. Ita ſuam putarunt ſatis confirmari opinionem. Verum tametſi apparet ex eis quæ diximus, falſam eſſe horum interpretum de fine huius facultatis opinionem: atq; argumentum hoc, quo ipſi utuntur, ex eis quæ dicta ſunt, facilè mea quidem ſententia diſſolui poteſt: tamen faciendum eſſe putauimus, quò res iſta melius intelligi poſſet, ut diſſolutionem ipſius argumenti poneremus: illud primùm admonentes, duplicem ſenſum habere poſſe id quod dicunt, huius uidelicet facultatis finem eſſe demonſtrationem. quoniam uel intelligunt finem eſſe facere demonſtrationem ex quibuſcunque terminis: atq; hunc quidem ſenſum falſum eſſe, ex eis quæ dicta ſunt, perſpicuè patet. Nam Philoſophus naturalis, & Mathematici ſibi quiſq; ſuas conſtituunt demonſtrationes ex proprijs terminis, ſpectantes tamen regulas eas quæ uidelicet ob hanc cauſam in Logica traduntur. Vtuntur enim facultates omnes his regulis, ad quas quaſi dirigant ſyllogiſmos, & definitiones, ut artifices ad perpendiculum parietes, & reliqua huiuſmodi: quod tamen perpendiculum non dicitur eſſe pars parietum, neq; è contrario. Vtuntur etiam facultates his regulis ad illos refellendos, qui fortè negarent, rectè nos uel definijſſe, uel demonſtraſſe. ſiquidẽ non utimur Logica ad concludendam ullam rem in aliqua facultate, ſed ſolum ad id quod diximus, ut oſtendit Ariſtoteles II. libro Poſteriorum, his uerbis:

» *Amplius ſicut nec in ſyllogiſmo accipitur, quid eſt ſyllogizare*
» *(ſemper enim aut ut totum, aut pars eſt, propoſitio, ex quibus eſt ſyllo*
» *giſmus) ſic neq; quod quid erat eſſe, oportet eſſe in ſyllogiſmo, ſed ſe-*
» *orſum hæc oppoſita eſſe, & ad dubitantem, ſi ſyllogizatum eſt, aut nõ*
» *eſt, obuiare, quoniam hoc erat ſyllogiſmus, & adhuc neq; quod quid e-*

rat

rat esse, syllogizatum est: quoniam sine eo quod quid est syllogismus, «
aut quod quid erat esse syllogizare aliquid. «

Sequitur ergo ex uerbis Aristotelis, id quod dictum est. Huc accedit, ut facultates omnes ipsa Logica continerent, quia hæc nõ possunt fieri sine cognitione naturæ ipsarũ rerũ, atq; eorum quæ illis insunt.

Vel igitur sic intelligunt, ut demonstrauimus: uel ad hunc modũ, qui quidem uerior est sensus, huius facultatis finem esse, docere conficere ipsam demonstrationẽ, in eaq; docenda uti demonstrationibus. atq; ex hoc planè sequitur, ut primùm docere oporteat, ex propositionibus cõponi syllogismos simpliciter, ex simplicibus aũt propositiones: qui quidẽ termini simplices sunt, nomen, uerbum, affirmatio, negatio, enũciatio, oratio. Hæc igitur sunt, quæ debemus supponere.

Quòd si definitio nominis, uerbi, negationis, affirmationis, enunciationis, orationis, principia sunt cognoscendi in lib. Perihermenias, ut suprà demonstrauimus, (his enim ostenditur, quomodo fiant enunciationes) nihil præter illas definitiones possumus accipere: uel quia ista quæ posuimus nos esse principia, non erunt principia: uel quia falsa erit propositio illa,

Omnem doctrinam & disciplinam fieri ex præ existenti cognitio «
ne prædicati & subiecti. «

Alia enim quoq; requirentur præter has cognitiones. Quod cum apertè falsum sit, constat, uerum esse id quod diximus.

Neq; itẽ dicere possumus, quod quidã innuit, ea quæ sunt in Prædicamentis, declarare has definitiones: quia præterq; quòd hoc falsum est, pariter etiam cæteræ facultates (uti demonstrauimus) eas declararent. itaq; sequeretur, ut omnes essent Logicæ partes.

Neq; illud quicquam ualet, quod nomina & uerba non possint addisci sine simplicibus uocibus, quia quodlibet horum est uox significatiua: idcirco de uocibus simplicibus, ante definitionem ipsius nominis & uerbi, agendum esse in Prædicamentis. nam hæ simplices uoces, homo, asinus, & bos, non declarant definitionem nominis: sed hoc quidem ualet, declarari oportere, quid significẽt uoces, quia uox significatiua ponitur in definitione nominis. Atq; ob hanc causam uidemus, Aristotelem, sumpta alterius artificis persona, ostendisse, uoces significare passiones animæ. Quòd si liber Prædicamentorum præponendus esset Logicæ, frustra in lib. Periher. posuisset Aristoteles, uoces significare passiones animæ.

Preterea, nõ omne quod ex alia facultate accipit̃ ad explanationẽ alterius, dicit̃ esse pars illius, ut de his ipsis patet, quę citauimus ex lib. Periher. quæ ipsemet Aristoteles dicit pertinere ad lib. de Anima. Sic igit̃ quomodo quidẽ statuũt ipsi finẽ Logicę, atq; argumentant̃, nõ solum dissoluitur illorũ argumentũ, sed illud mihi luce clarius uidet̃ cõsequi, ut hęc facultas nihil eis quæ sunt in Prędicamentis indigeat.

Præterea, si ita esset ut isti dicunt, sequeretur, ut Aristoteles bis easdẽ res tractasset: quippe qui hęc simplicia lib. etiã Periher. tractauerit.

Quod ſi reſpondeatur, quomodo quidem reſpondent interpretes iſti, qui hãc opinionem ſequuntur, diuerſa illa pertractandi ratione, qua uſus eſt Ariſtoteles, fieri, ut multus ſit. eum enim de ſimplicibus egiſſe libro Prædicamentorum, ut ſignificant ſimplices conceptus, uel res: in lib. uerò Periherm. ut ſunt partes enũciationis. ex hac ipſorũ reſponſione ſequitur id, quod nos probare uoluimus, ut hæc doctrina non indigeat eis, quomodo ibi pertractãtur. Ex illorum enim argumento perſpicuè apparet, hæc in Logica eſſe neceſſaria propter enunciationem. Ex eo uerò quod reſpondẽt, conſtat, non conſiderari propter enunciationem. Manifeſta igitur in illorum dictis uidetur ineſſe contradictio, ac planè ſequit̃, ut ea quæ tractãtur libro Periher. ſatis ſint ad ipſas enunciationes docẽdas, nulliusq́ꝫ præterea opus ſit.

Huc accedit, quòd non ſunt eadem ſimplicia hic, & ibi. Nam ibi ſimplicia ſunt, homo, aſinus, bos, & huiuſmodi: in lib. uerò Periher. nomen, uerbum, oratio, affirmatio, & negatio, cæteraq́ꝫ huiuſmodi, ut ipſi concedunt: ergo non poſſunt afferre hanc diſtinctionem.

Illud etiam ex ipſis quærendum eſſet, cur non dicant, prædicamẽta eſſe partem Grãmaticæ, quæ non poteſt cognoſci ſine ſimplicibus terminis, qui ex eorum ſentẽtia tractantur in Prædicamentis: ex quo quidem ſequi uidetur, ut ipſis indigeat. Quicquid aũt afferent illi, ut hoc refellant, afferam ego etiam ad refutandum id quod ipſi dicunt, ut oſtendant prædicamenta pertinere ad Logicã, quandoquidẽ ipſa grãmatica eandem accipit nominis & uerbi definitionẽ, quã Logica.

SECTIO IIII.

VErum iam reuertamur, fuſiusq́ꝫ & apertius oſtendamus, omnes terminos et definitiones quæ in Logica reperiuntur, eſſe communes, atq́ꝫ extra decem genera: id quod ſuperius ſumptum eſt, atq́ꝫ aliquo modo probatum. ex quo planè perſpici poterit huius rei ueritas. Cũ igitur illi ipſi termini ſint affectus entis, quatenus ens eſt, ſunt communes, atq́ꝫ extra prædicamenta. ens enim eſt extra prædicamenta, itemq́ꝫ illius affectus. Quòd autem ita ſe habeat ad ens, hac ratione probari poſſe exiſtimamus. Neceſſarium, contingens, genus, ſpecies, cauſa, principium, et omnes quibus Logica utitur termini, ſunt in ſubſtantia, & in cæteris Prædicamentis, ut conſtat ex inductione, et ex 1. Topicorum libro: ergo conueniunt enti, quatenus ens eſt: non ſubſtantiæ propriè, neq́ꝫ cæteris Prædicamentis. Latius enim patet ipſum ens: eoq́ꝫ primo poſito, ponuntur & ipſi termini, atq́ꝫ eodem ſublato tolluntur, ut patet ex 1. lib. Poſteriorum, loco ſuperius citato. Quod cum ita ſit, dubitare non poſſumus, quin hi termini atq́ꝫ hæ definitiones ſint omnino communes, & extra decem Prædicamenta.

Præterea totidem modis hi termini dicuntur, quot dicitur ens: ergo ſunt communes, & extra decem genera. ens enim commune eſt, atq́ꝫ extra prædicamenta. Probatur antecedens ex Ariſtotele primo Ethicorum libro, cuius hæc ſunt uerba:

Præte-

Digitized by Google

Præterea cum bonum tot modis dicatur, quot modis ens, nam & in eo quod quid, ut Deus, & mens, & in quali uirtutes, & in quanto mensuratum, & ad aliquid utile, & in tempore occasio, & in loco dieta, eodemq; modo reliqua huiuscemodi, manifestum est non commune esse uniuersale. « « « « «

Quòd si probatur, bonum totidem modis dici, quot dicitur ens, quia est in quolibet Prædicamēto: illi etiam termini, quos diximus, quia sunt in quolibet Prædicamento, dicūtur totidem modis, quot dicitur ens: itaq; sunt extra Prædicamenta. Quod cum ita sit, sequitur id quod probare uoluimus, ut Logica non utatur Prædicamentis eo modo, quo dicunt isti.

Quòd si quis hoc minus percipiens uellet inferre, sequi ex hac opinione, ut Logica non habeat terminos, & definitiones proprias, ipsaq; sit sub Metaphysica, atque illis (ut more nostro loquar) subalternetur, quæ planè omnia ab omnibus istis existimantur absurda, dicimus, tantùm abesse, meo quidem iudicio, ut hæc absurda sint, ut sint etiam uerissima, maximeq; necessaria. Quæ quidem licet ex eis quæ dicta sunt, satis patêre possint, tamen non recusabimus, propter communem uulgatamq; consuetudinem, quæ uerum sæpenumero in falsi speciem atque opinionem adducit, rem magis etiam inuestigare, præsertim cum ex eis quæ dicentur, facilè (ni fallor) huius facultatis artificium intelligi possit. Logica igitur utitur ījs, quas habet, definitionibus in ordine ad opus. ex his enim (ut dictum est) docet conficere, & confectas iudicare enunciationes, syllogismos, demonstrationes, syllogismos Dialecticos, & definitiones. Id quod luce clarius patet, cùm ex eis quæ suprà dicta sunt, tum etiam ex his quæ tractantur in Logica, quemadmodum primo libro Priorum testatum reliquit Aristoteles, his uerbis:

His uerò determinatis dicendum est, per quæ, & quando, & quomodo fiat omnis syllogismus. « «

Et II. Posteriorum:

De syllogismo igitur, & demonstratione, quid utrunque sit, & quomodo fiat, manifestum est: simul autem & de scientia demonstratiua. idem enim est. « «

Quòd si Logica (ut dictum est) utitur his definitionibus in ordine ad opus, necesse est, huiuscemodi definitiones primò & simpliciter in aliqua alia superiori facultate tractatas esse: quia unumquodque prius est in se, quàm ad aliud referatur. Relatio enim est accidens, quod in aliquo absoluto fundatur.

Quod planè declarant ea quæ dixit Aristoteles primo Ethicorum libro, ad hunc modum:

Quod uerò per se, ac substantia, prius est natura, quàm id quod ad aliquid est. nam id tanquam adiacens quiddam, & accidens substantiæ uidetur esse. " "

Quod

Quod si quis assereret, fieri posse, ut idem in eadem facultate his duobus modis consideretur, idq; ipsum de principijs fateretur, aut diceret, hunc diuersum considerandi modum non ostendere diuersitatem ullam inter habitus intellectus: complura ex hac illius opinione, mea quidem sententia, sequerentur absurda. in quibus hæc essent absurdißima, quòd fateri cogeremur, artes Mechanicas, quæ considerant easdem figuras quas Mathematici, nihil ab ipsis Mathematicis differre, cum tamen artes Mechanicæ hoc uno secundùm formam differant à Mathematicis. Quod quidem facilè probari potest ex eis, quæ primo Ethicorum libro ita scribit Aristoteles:

» *Faber, & Geometra differenter rectum inquirunt: alter, quantùm ad opus utile est: alter, quod sit, & quale. contemplator enim* » *ueritatis.*

Cum igitur non maior sit ratio de recto, quàm de reliquis, quæ considerantur à Mechanicis, cumq; hoc ipso ordine distincta sit ars fabrilis à Geometra, consequens est, ut huiusmodi ordine distingui oporteat reliquas artes Mechanicas. Sed cum ex istorum sententia minimè distinguantur, falsa est omnino, ualdeq; improbanda hæc ipsorum opinio. Sequeretur etiam, ut Medicina, quæ sua cognoscendi principia à philosophia petit, nihil ab ipsa philosophia differret, ac deniq;, ut omnes habitus operatiui, qui sunt uel actiui, uel effectiui, non essent à speculatiuis distincti. Nam cum easdem res cōsiderent, si eodem quoq; modo considerarent, atq; hic ipse considerandi modus non ostenderet ullam eorum diuersam rationem, nihil planè inter ipsos interesset, cum nulla eorum poßit esse alia differentia: atque ita quidem nihil inter se differrent scientiæ, & artes. Quod quàm absurdum sit, neminem latêre arbitror.

Hoc etiam ab eo discreparet, quod libro tertio de Anima scribit Aristoteles,

» *Intellectum speculatiuum differre à practico fine.*

Et secundo Metaphysicæ, his uerbis:

» *Nam finis quidem contemplatiuæ ueritas est, actiuæ autem opus.*

Quæ cum ita sint, sic argumentor: Artes Mechanicæ quicquid considerant, considerant in ordine ad opus: itaq; facultates omnes, quarum finis est opus aliquod, supponunt considerationem simplicem, & absolutam esse factam in superiori aliqua facultate: ergo & hæc facultas similiter facit.

Verùm, cum superior illa facultas non poßit alia esse, nisi prima philosophia, nulla enim alia rationibus ueris potest pertractare communia omnibus entibus: ipsa Logica est sub prima philosophia, atque illi subalternatur. Quod etiam ex eo patet, quòd ab ipsa prima philosophia, sua mutuatur cognoscendi principia, ut ex eis quæ dicta sunt, constat. sunt enim affectiones entis ea, quæ sumit cognoscendi principia. Atq; ita concedimus, illud consequi, ut non habeat terminos proprios simpliciter consideratos.

Idem

Idem etiam Aristoteles eodem libro Metaphys. & x. lib. scribens, Primi philosophi esse de omnibus ijs cõtrarijs agere, de quibus ipse disseruit in Logica: ostendit hanc rem. necessariũ est enim hęc primò pertinere ad Metaphysicã, in Logica uerò tractari in ordine ad opus: itaq; ipsam Logicam cõstitui sub Prima philosophia. Quod si neget aliquis, illud consequetur, ut aut Logica & Prima philosophia non sint habitus distincti, quod tamen ipsi etiam concesserint esse falsum: aut si distincti sint, liceat descendere de genere in genus, nec tamẽ fiat scientia subalternata: quia Prima philosophia descendet in Logicã, neq; tamẽ Logica erit, & subalternata. Quod quidem euertit locum illum 1. Posteriorum libro, ubi ait, nõ licere descendere de genere in genus, ut dictum est superius, nisi ita se habuerint scientiæ, ut altera sit sub altera, quemadmodum Prospectiua sub Geometria, & consonantia sub Arithmetica. Quare cum uideamus, Primam philosophiam descendere in Logiçam, dubitare non possumus, quin Logica sit sub Prima philosophia eo modo, quo diximus.

Neminem tamẽ in eam opinionem uenire uelim, ut existimet, Logicam descendere in Primam philosophiam, at nõ è contrario: quia præterquam quòd huic opinioni multa aduersantur, quæ superius dicta sunt, ubi ostensum est, hæc in Prima philosophia cõsiderari simpliciter, & absolutè, in Logica uerò in ordine ad opus: præterea illud cõsequitur (quod quidem omnium est absurdissimum) ut facultas ea quæ natura est posterior, suppeditet materiã facultati natura priori: quod nullo sanè pacto fieri licet. facultas enim prior, quatenus est prior, suam habet materiam propriam. Primam autẽ philosophiam esse natura priorem, quàm Logicã, etsi Logica est secundùm nostrũ cognoscendi modum prior, nihil attinet ostendere: Logica est enim ex ijs quæ fiunt à nobis, quia est ars: Prima uerò philosophia ex ijs quæ naturæ sunt, nec quicq; per se potest à Logica mutuari. Quòd uerò ex regulis instrumentorũ traditis à Logica sumit, non eius hoc naturæ, sed nostro cognoscendi modo asignandũ est. Itaq; minimè licet illud dicere, Logicã descendere in Primam philosophiã, sed Primam philosophiam in Logicam, ut probet aliquid.

Præterea prima facultas nulli potest subalternari: non enim esset prima. ergo Logica nõ potest descendere in Primam philosophiam, ut probet aliquid, sed Prima philosophia descendit in Logicam. Item, Prima philosophia non esset contemplatiua, sed consideraret ea quæ considerat Logica, in ordine ad opus: nam ea quæ tractat ipsa, prius tractata essent in Logica simpliciter, & absolutè. ergo necessariò ipsa Prima philosophia eadem contemplaretur in ordine ad opus. aliter enim superuacanea esset eius contemplatio. itaque non esset iam contemplatiua: ac falsum esset, quod Aristoteles sexto Primæ philosophiæ libro sic scribit.

Philosophiæ tres erunt contemplatrices: Mathematica, Naturalis, & Theologia. "

Quod

Quod quidem cum uerum esse ipsa ratio ostendat, sequitur, ut Logica non posit in Primam philosophiam descendere, sed ipsa Prima philosophia descendat in Logicam. Itemq́, ut ea quæ sunt in Logica, quemadmodum diximus, pertineant ad Primam philosophiam simpliciter, & absolutè, & sic Logica sub illa constituatur, ut ars fabrilis sub Geometria.

Neminem tamen adduci uelim, ut existimet, Primam philosophiã explicare oportere propter quid principiorum, quæ sunt in Logica. etenim hoc tum accidit, cum principia inferioris facultatis sunt in superiori facultate conclusiones. Quòd si facultas inferior sumat eadem, quæ sunt in superiori facultate principia, id quod sæpenumero accidit, fieri non potest, ut facultas superior explicet propter quid eorum. non enim in ipsa essent principia. Neq; hoc uideri debet abhorrere à doctrina Peripatetica. quia etsi fortè omnis facultas, quæ propter quid principiorum alterius facultatis explicat, sibi hanc ipsam facultatem subijcit, atq; adeò subalternat, si minus simpliciter & absolutè, at ex ea certe parte, cuius partis explicat propter quid, ut in Medicina, & Geometria accidit: non tamen sequitur ut omnis facultas, quæ sibi aliam subalternet, dicat propter quid omnium principiorũ illius facultatis. Nam interdum nullius principij propter quid explicat, interdum aliorum quidem principiorum tradit propter quid, aliorum uerò non. Etenim quis est tam rerũ ignarus, qui dicat Geometriam ostendere propter quid definitionis circuli & trianguli? & reliquorum quæ sua sunt ipsius initia, cum tamen eadem sumant Mechanicæ artes omnes, quæ sunt sub ipsa Geometria, ut Prospectiua, & Astrologia, eisq; utantur pro principijs. Definitiones autem Logicæ esse principia in Prima philosophia, ex eo intelligi posse arbitror, quod sunt affectus & proprietates entis, de quibus necessarium est sumere quid est quod dicitur. aliter enim (ut liquet) non possent quicquam de suis subiectis ostendere.

Nec illud quenquã opinari uellem, Primam philosophiam, quòd natura prior sit, & Logicam ipsam complectatur, esse prius discendam: quia hoc minimè necessariũ est ex nostro cognoscendi modo, quanquam secundùm naturam ita sit. quandoquidem nihil prohibet, quo minus positis eis, quas diximus, definitionibus, atq; his pro ueris ex suppositione acceptis (cum item in Prima philosophia sine ulla probatione accipiantur) perdiscamus, quemadmodum constituantur ea quæ sunt cognoscendi instrumenta. Sicuti constat etiam, Rhetoricam prius quàm ciuilem facultatem esse discendam, quæ tamen complura ab ipsa ciuili facultate mutuatur, & à philosophia, ut affectus, definitiones, multaq; alia. id quod planè ostendit Aristoteles, cum ait:

" *Rhetoricam ex resolutiua scientia, & ex ea ciuili quæ de mori-*
" *bus est, esse compositam.*

Quia ciuilis prior est, non tamen prius addiscitur, multa enim incidunt

cidunt impedimenta, quibus fit, ut ea quæ secundùm naturam priora sunt, posterius discantur: quod in multis sanè accidit, ut in Metaphysicis, quòd ad philosophiã naturalem attinet. Id quoqꝫ ex lib. v. Primæ philosophiæ elici posse arbitror, ubi ita scribit Aristoteles:

Principium quoqꝫ aliud id, unde unumquodqꝫ optimè fieri poßit: «
ut & in eruditione, non à primo interdum, & ab ipso principio rei, «
sed unde facillimè quispiam discere poterit, inchoandum esse uidetur. «

Quamuis igitur Prima philosophia prior sit Logica, quippe quæ illius est principium, tamen non prius discenda est, quia cõmodius ab ipsa Logica initium ducitur. Nam Prima philosophia præbet tantummodo principia Logicæ, quæ quidem ipsa non potest probare, sed sumit ex communi more loquendi hominum: Logica uerò præbet illi regulas instrumentorum, sine quibus intelligere non potest, rectè sciat, nec ne. Sed hoc, quod ad nos attinet. Logica autem suppositis principijs illis, tanquam manifesta sint, quod quidem ipsi satis est, ex his docet operari, ut suprà dictum est.

Cum igitur illa nomina sint affectiones entis, quatenus ens est, facilè intelligi licet, subiectum & prædicatum, quibus nominibus utitur Aristoteles in Prædicamentis, quibusqꝫ inscripsit illum librum, non ostendere hanc doctrinã (ut multi perperam, mea quidem sententia, arbitrati sunt) ad Logicam primò, & per se spectare, sed contrà pertinere ad Primam philosophiam: quippe quæ sunt ipsius entis, quatenus est ens, affectus. sunt enim in omni ente. Quòd si reperiuntur in Logica, referuntur ad opus, ut ostensum est.

Præterea Aristoteles quarto Primæ philosophiæ libro,

Idcirco, inquit, Geometræ non est, quod'nam sit contrarium, aut «
perfectum, aut ens, aut unum, aut idem, aut diuersum, considerare, nisi «
ex suppositione.

Quòd si Geometræ non est, quid sit contrarium, aut perfectum, considerare, quia pertinent ad ens: Logicæ item non erit cõsiderare, quid sit subiectum, quid prædicatum, quid necessarium, quid contingens, & reliqua id genus, qui sunt affectus entis, nisi in ordine ad opus. Non ergo uerum est, quod isti dicunt.

Amplius, æquiuoca & uniuoca pertinent ad Metaphysicũ: ergo falsum est, quod aiunt isti, Prædicamenta esse partes Logicæ, quòd ibi definiuntur æquiuoca. Nam ex hoc sequitur cõtrarium, uel quia sunt affectus entis, quatenus ens: uel quia sunt in omni ente, uel quia primo Ethicorum libro ita scribit Aristoteles:

Non est ergò bonum commune aliquod secundùm unam ideam, «
quemadmodum ergo dicuntur, neqꝫ enim similia uidentur his quæ for- «
tuitò æquiuoca sunt, sed uidelicet ex eo quia ab uno sunt, aut quia ad «
unum cuncta conterminant: uel secundùm potius analogiam, ut in cor- «
pore uisus, in anima mens, & aliud certe in alio. Sed hæc fortasse re- «
linquenda nunc sunt. nam tritè discutere, alterius esset philosophiæ «
magis. similiter de idea.

Quæ uerba & D. Thomas, & nonnulli alij, ut Eustratius, & Donatus sic exponunt, ut dicant omnem ideam pertinere ad Primã philosophiam. Auerroës uel ad Logicam, uel ad Primam philosophiã, ergo ex ipsorum sententia, pertinent etiam ad Metaphysicam.

Neque illud contra nostram opinionem facere arbitramur, quod Aristoteles primo Posteriorum libro ostendens reperiri propositionem negatiuam immediatam, ita subiunxit:

» *Si enim nihil eorum in a b c d, coordinatione de nullo prædican-*
» *tur eorum quæ sunt in a b c.*

Et cætera quæ sequuntur. Nam illa sumpsisse dicitur pro exemplo, & explanatione:

» *Quòd autem contingat b non esse, in quo toto est a: aut uerum a,*
» *in quo est b, manifestum est ex coordinationibus, quæcunq; non con-*
» *uertantur inuicem, & eis utuntur ex suppositione.*

Neq; item nobis aduersatur, quod eodem primo libro scripsit, ostendens in Prædicamentis non esse processum in infinitũ, idq; probans per decem genera, quoniam ipsemet declarauit, eam rationem esse ex communibus, nõ ex proprijs Analyticorum. Quòd si eadem quoq; primo libro Topicorum accipiat, nihil id refert. accipit enim ex suppositione, ut scilicet ostendat, in illis esse prædicata Dialectica, & communia: id quod proprium est Dialecticæ, non Logicæ. Neq; etiam obstat, quod dicit in fine VI. Primæ philosophię, de affirmatione & negatione. nam præterquã quòd IX. Metaphys. hanc rationẽ aperit ipse Aristoteles, D. quoq; Thomas, & Alexander hanc instantiam dissoluunt.

SECTIO V.

QVòd si quis illud etiam addat, ex hac nostra positione insequi, ut hęc doctrina non sit de secundis intentionibus, uel per se, uel adiunctis primis: quæ quidem positio non solùm è medio doctrinam omnium ferè recentiorum tollere uidetur, sed etiam statuit, Logicam esse de rebus, id quod doctrinæ omnino Peripateticæ isti repugnare putant: etsi ex eis quæ dicta sunt, satis responsum esse arbitramur, tamen ad maiorem explanationem eorum quæ dicta sunt, quæq; dicentur, nõ recusabimus respondere. Atq; in primis negamus, quæ isti de secundis intentionibus scribunt, eo quidem modo acceptis, quo ipsi accipiunt. illudq; addimus, tantùm abesse, ut ullam planè huius nominis, aut rei mentionẽ fecerit Aristoteles, ut ne facere quidem potuerit, quippe cum nullo modo reperiantur. Nam aut istis secundis intentionibus, ut uerbi gratia, generi, speciei, necessariò contingenti, & reliquis huiusmodi, si sunt, respondet aliquid in re, aut nihil respondet. Si nihil respõdet, (dicunt enim nõ inueniri in rerum natura, sed cõsiderationem rationis cõsequi, ut ait D. Thomas) tota sunt ipsius intellectus figmenta, atq; nõ possunt eis quas isti primas nuncupant intentiones adiungi. nam si adiungerentur, necesse esset adiungi ratione rerũ. Hæc enim

propositio,

propositio, Animal est genus, in qua genus adiungitur animali, non potest esse uera, nisi quia id quod dicitur animal, re ipsa inest eis quæ specie differunt. Sed cũ ipsis secundis intentionibus non respondeat quicquam in re, nõ possunt adiungi primis ratione rerum: ergo Logica non potest esse de secundis intentionibus, quæ primis adiungendæ sint, id quod isti asserunt. Neque potest esse de secundis tantùm, quia inanes essent, ac planè futiles. Quod si ita res sese habet, illis respõdet illud accidens, quod enti in re accidit: sunt enim cõmunia, nec aliud quicquam potest respondere. non enim existentia, quia cõuenit tantummodo ei quod uerè est. Sed accidens ipsius existentiæ, & sic accidens ipsius entis, cui enti respondet in re existentia. Itaque nostra confirmatur opinio, secundas intentiones esse affectus entis, quatenus ens est: & Logicam esse de huiusmodi affectibus, non tamen simpliciter, & absolutè, sed quatenus rationibus appositis docentur ex arte constitui. quemadmodum medicina de ualetudine agit, ut doceat ex arte illam in humanum corpus inducere, nõ simpliciter, & absolutè. Atque ita Logica non erit de secundis intentionibus eo modo quo dicunt. nisi uelint has ipsas secũdas intentiones appellare, quia sunt affectus, qui quidem affectus sunt posteriores suo subiecto: quod tamen ex uerbis eorum minimè colligi posse uidetur. non enim negarent (ut faciunt) Logicam descendere à Prima philosophia.

Quod etiam declarari posse uidetur ex eorum natura, quæ dicuntur uniuersalia, & ex ea ratione, qua fiunt ipsa uniuersalia, assumpta hac uniuersali enunciatione, passiones intellectiuas esse similitudines cõplurium singularium, quod patet ex 1. lib. Periher. & 11. Poster. Ex quo quidem sequitur, ut huiusmodi similitudines, simulac factæ sunt, complura nobis singularia significent, atque referant. Similitudo enim secundùm naturam refert id cuius est similitudo: nam aliter nõ esset similitudo, neque per eam possemus ullam rerum cognitionem consequi. Sed in prima intellectus apprehensione, quam nunc appellamus operationem, fiunt rerum similitudines. intellectus enim non percipit, nisi rerum similitudines: non enim lapis est in anima. ergo in prima ipsius intellectus operatione complura nobis singularia significant, ac referunt: itaque huiusmodi passiones eodem temporis momento sunt uniuersales. In prima enim operatione complura referunt. quod autem ita se habet, uniuersale est: ergo non fiunt conferendo unam aliquam rem cognitã cum alia re cognita, quia fierent in secunda intellectus apprehensione, nõ in prima. Nam cum prius intellectus apprehendisset obiectas res, mox illas inter se conferret, atque ita prius operaretur per primam intellectus apprehensionẽ. Sed ostensum est, huiusmodi similitudines fieri in prima intellectus apprehensione: ergo non fiunt eo modo, quo dicunt. Huc accedit, ut superuacanea esset illa collatio, quippe quæ poneret ipsas secundas intentiones fieri tum, cum iam essent factæ: quod quidem est absurdum. sequeretur enim, ut & factæ essent, & non essent factæ. nam dicunt fieri, postquam sunt in anima, atque intellectũ comparando (uerbi

gratia) animal cognitum cum homine cognito, ex ea comparatione efficere secundas intentiones, quæ sunt genus & species, ac ita de cæteris. Quas mihi quidem sic definire uidentur, esse cõparationes intellectus, quibus una aliqua similitudo cognita cõfertur cum alia. Ex quo plane constat, eos ponere, has similitudines fieri per secundam intellectus operationẽ, aut certe in secundo (ut dicũt) instanti. prius enim intellectus simplicia apprehendit. Quod si ita esset, passiones animæ simulac essent cõplurium rerum similitudines, & complura referrent, non essent uniuersales: quod quidem est manifestè falsum. Non essent autem uniuersales, quia aliter non indigeremus secunda illa operatione, quæ ipsas reddit uniuersales. Sed declaratum est, simulac sunt similitudines complurium rerum, esse uniuersales: ergo non efficiuntur per secundam illam operationem, cum ex illa prima abstractione à pluribus proficiscantur. Ergo perperã (ut diximus) facere uidentur, qui eas ponunt. intellectus enim nõ potest abstrahere similitudines illas, quæ plura referunt, nisi cognita illorũ plurium conuenientia. quæ si erit in genere tantùm, illa erunt genera: sin autem in specie, species: ac ita de cæteris. cum uerò hæc habeantur ex prima operatione, minimè opus est alia.

Præterea essent complexa, non simplicia, si fierent per illam secundam operationem. cõponimus enim & diuidimus hac secunda operatione. Huc accedit, ut esset necessarium, cognito genere, cognoscere etiam speciem, si id quod est genus ita fieret, quod quidem est falsum. Cognitis enim superioribus, nõ est necessariũ cognoscere inferiora. nã aliter intellecto libro Physicorũ, in quo agitur de causis uniuersalibus, intelligeremus reliquos omnes: quod quidem falsum est.

Præterea, cum aliquid prius fiat planta quàm animal, & animal quàm homo, prius poterit intelligi planta quàm animal, & animal quàm homo. quemadmodũ enim res se habet ut sit, ita etiã ut cognoscatur, & sic genus nõ fiet ex illa cõparatione. Hoc autẽ ita esse, patet ex ijs quæ 11. lib. de Genere animalium ita scribit Aristoteles:

» *Conceptũ enim inanimatũ esse nemo statuerit uita omnibus modis*
» *priuatũ, quippe cum nihilominus semina et cõceptus animaliũ uiuant,*
» *quàm stirpes, & aliquandiu prolifica sunt: ergo animam in eis haberi*
» *uegetalem, palàm est. Sed quamobrem eam primùm haberi necesse sit,*
» *ex his quæ alibi de anima disseruimus, apertũ est. sensualem etiã, qua*
» *animal est, tempore præcedente recipi: & rationalem, qua homo, cer*
» *tum est. non enim simul & animal fit homo, nec animal, & equus: ea-*
» *demq; in cæteris animalibus est ratio. finis enim postea contingit, pro*
» *prium autem est finis cuiusque generationis.*

Patet ergo prius fieri animal, quàm hominẽ, atq; etiam prius intelligi posse, & sine inferiore haberi, quia sine eo potest esse, itaq; prius esse genus. Cõcedimus ergo, sequi ex nostra positione, ut Logica neque sit de secundis intentionib. eo modo quo loquunt̃, uel per se, uel adiunctis primis, & aliquo modo sit de rebus. est enim de affectibus

entis,

entis,quæ ſunt res. Quod tamen non ita abſurdũ putamus. nam etſi multorũ egregiorum uirorũ euertuntur opiniones, tamẽ id recte uidemur poſſe ſtatuere, cùm Ariſtotelẽ, tùm ipſam etiam rationẽ ſecuti.

Quòd ſi aliter declarẽtur huiuſcemodi intentiones, quemadmodũ nonnulli ex iſtis interpretibus fecerunt, ſic ut diuerſæ ſtatuantur ab affectibus entis, ex eis quæ diximus, quæq; dicemus, hoc facilè refelli poſſe arbitramur. Quoniã autem ad hunc locũ peruentũ eſt, nõ alienum eſſe uidetur, aliquid de natura ipſorũ uniuerſaliũ diſſerere. Ex eis igitur quæ dicta ſunt, illud conſequit, ut uniuerſalitas ſit quoddã accidens, quod neceſſariò inſequitur ſimilitudines rerũ abſtractas ex cõuenientia cõplurium particularium, nõ ex ipſis particularib. quatenus particularia ſunt, & diſtincta, ſed quatenus illis inter ſe conuenit. Hoc autẽ ipſum accidens uniuerſalitatis neceſſariò inſequitur rerum ſimilitudines, ſicut umbra neceſſariò inſequitur corpus, atq; ita quidẽ uocatur ipſa uniuerſalitas, quòd cũ ex pluribus abſtracta ſit, plura refert indiſtinctè, & indifferenter, neq; magis hoc, quàm illud. Quod quidem in dubiũ nemo uocare poteſt, cũ oſtenderimus illas ſimilitudines, ſimulac ſimilitudines ſunt, neceſſariò eſſe uniuerſales.

Quare uniuerſale erit huiuſmodi ſimilitudo, nõ abſolutè, ſed quatenus refert plura: perinde ac ſi diceret, uniuerſale eſſe ens, quod refert plura, quatenus plura refert. Atq; ob hanc cauſam uniuerſalia dicuntur fieri ex inductione, inductionem autem ex ſingularibus. Itaq; uniuerſalia fiunt ex ſingularibus, non ut ſingularia & diſiuncta ſunt, ſed quatenus inter ſe conſentiunt. Non enim à ſpeciebus propriè exiſtunt genera, ut actu ſunt ſpecies, ſed à ſingularibus (ut ita dicamus) generũ. Quamobrem ſic definiri poſſunt genera eſſe ea, quæ de pluribus inter ſe differentibus ſpecie, id eſt forma, prædicantur in quid eſt, antequam fiant ſpecies actu. fiunt enim à ſingularibus generum, quæ inter ſe differunt ſpecie, id eſt forma. Quocirca Ariſtoteles ſecundo Poſteriorum libro,

Iterum, inquit, in his ſtatur, quouſq; impartibilia ſtent, & uniuerſalia, utputa huius animalis, quouſq; animal. "

Vult ergo animal fieri ex hoc animali, & ex illo: nõ ex homine, neque ex ſpecie, quæ actu ſit ſpecies. Quia uerò huiuſmodi conuenientia eſt ex parte rei, uniuerſalitas dicitur ex parte rei aliquo modo. Hanc etiam ob cauſam cum dicimus,

Vniuerſale eſſe id, quod aptum eſt eſſe in pluribus: deſcribimus " ens illud, cui ineſt neceſſariò illa uniuerſalitas, quatenus ei ineſt, quia ſic aptum eſt eſſe in pluribus. Sunt igitur aliquo modo in re, quamuis ſint in intellectu. referunt enim res, & ſumuntur à rebus. Quare in Prædicamentis ait Ariſtoteles,

Meritò poſt principales ſubſtantias, ſolas aliorum ſpecies & genera eſſe ſecundas ſubſtantias: "

Quia ſcilicet ex ijs quæ prædicantur, ſola ipſa principaliter ſubſtantiam indicant.

Ex his mihi uidetur etiam dissolui posse argumentum illud, Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus: quod est falsum. Peccat enim per fallaciam figuræ dictionis. quia animal in altera propositione accipitur uniuersaliter, ut refert naturam animalis in uniuersali: in altera uerò particulariter, quia homo non est simpliciter & absolutè animal, sed animal quoddam. animal autem acceptũ uniuersaliter, & particulariter, non est idem. cumq; id quod non est idem, interpretatur ut idem, inest fallacia figuræ dictionis. Quare argumentum illud peccat secundùm hanc fallaciam. Sic autem accipi animal, cum dicitur de homine, declarant ea quæ scribit Aristoteles II. lib. Periherm. his uerbis:

» *Sic igitur possibile non est uerum de necessario simpliciter dicere.*
» *alterũ autem uerum est, quoniam partem uniuersalem sequitur illud,*
» *quod ex necessitate est, sequitur posse esse, sed non omnino.*

Cum ex his igitur inferat Aristoteles, uniuersale, cum prædicatur de aliquo suo inferiori, nõn prædicari secundùm totum de illo, accipitur animal in hac prædicatione secundùm partem, in altera uerò secundùm totum: itaq; inest fallacia ea quam diximus. Neque ualet argumentum, ut ob hanc uidelicet causam sint secundæ intentiones, quomodo isti loquuntur: quia hic uarius modus accipiendi ipsum uniuersale, fieri potest etiam sine illis, atq; est in re, quemadmodũ dictum est: quod item de reliquis eodem modo sumptis dicendũ est.

SECTIO VI.

VErùm ut id quod superius de his terminis diximus, illos uidelicet esse affectus entis, eaq; quæ proximè disserui- mus, magis magisq; confirmentur, neq; istis qui in uerba interpretum iurarunt, nobis hæc finxisse uideamur, nobis omnino faciendum putamus, ut adscribamus illa Aristotelis uerba quarti Primæ philosophiæ libri.

» *Perspicuum igitur est, ad unam scientiam pertinere id quod est,*
» *ut ens est, & ea quæ insunt ipsi, ut tale est, contemplari, & non solum*
» *substantiarũ, sed etiam eorum quæ competunt, scientiam eandem esse*
» *contemplatricem, eorum inquam quæ diximus, & de priore, posteriore ue, ut genere, & toto, & specie, ac parte, & huiusmodi cæteris.*

Quibus sanè uerbis aperitur, terminos qui sunt in Logica, ad Primam philosophiam spectare, atq; entis esse, quatenus ens est affectus, quod quidem ens subiectum est Primæ philosophiæ. Itemq; cõmunes esse, & extra decem genera, idq; quod insequitur res: atq; ita Logicam statui sub Prima philosophia, nec poni ab Aristotele huiusmodi secundas intentiones eo modo, quo isti dicunt. Quæ sunt omnia superius explicata. Neq; enim putandũ est, genus & speciem, de quibus loco citato IIII. lib. Metaphys. accipi uel pro animali & substantia, uel pro homine & asino, ut multi perperam (mea quidem sententia) existimarunt. Nam hæc interpretatio apertissimè ea quæ ibi scribit

bit

bit Aristoteles,euerteret.siquidem animal,substantia,homo,asinus, & huiusmodi, non sunt affectus entis. non enim sunt in omni ente. ergo necessarium est, accipi genus pro eo quod in quid est prædicatur,de pluribus inter se specie differentibus. Quod etiam ita confirmari licet, quia eo modo debemus intelligere genus pertinere ad Metaphys.quo modo definitur ab ipso.

Sed genus v.Metaphys.lib.definitur esse, quod prædicatur in quid est:ergo debemus intelligere,ipsum genus sic acceptum pertinere ad Primam philosophiam. Perperam igitur locum illum Aristotelis interpretantur,quomodo dictum est.

Quod autem de genere, & de specie dicitur,de reliquis item omnibus dici potest.nam infert Aristoteles,

Et huiusmodi cæteris. "

Quibus uerbis ostendit, se uelle cōprehendere enunciationem,& cętera ad hunc modum cōmunia,quamuis tacitam eorū definitionē prætererit:eadē enim est ratio. Præsertim cū docuerit 1.Poster.lib.

Nihil prohibere quasdam scientias quædam horum despicere,ut " *genus,non supponere esse,si sit manifestum, quoniam est, passiones nō* " *recipere,quod sint,si sint manifestæ.*

Hæc autem cum ex his quæ consimilia sunt,manifesta essent,nihil necesse fuit eorum mentionem facere. Nam cum pateat, genus, speciem,totum,partem,ad ipsam Primam philosophiam spectare, quia sunt affectus entis:patet etiam,ad eandem spectare nomen,uerbum, quæ item affectus sunt entis,& in omni ente reperiuntur.

Quanquam illud etiam sine nefario scelere dici potest, nō esse omnia relicta.Nam cum dicat Aristoteles quarto Metaphys.lib.

Vniuersalis artificis esse de principio illo uniuersali, de quolibet " *dicitur affirmatio,uel negatio, agere eo modo, quo agi potest de eis* " *quæ per se nota sunt: atq; ad eundem artificem pertinere, disputare* " *& ostendere, contraria non posse eidem simul inesse: contradictoria* " *uerò non posse,neq; simul esse uera,neq; simul falsa:* "

Minimè dubitandum uidetur,quin intelligendum sit,factam esse mentionem de affirmatione, negatione, enunciatione, & de cæteris huiuscemodi. aliter enim nō possemus intelligere illud principium, si ignoraremus,quid sit affirmatio,quid negatio, & per consequens quid sit enunciatio, cum affirmatio & negatio sint enunciationes,& orationes,quia ipsa enunciatio est oratio.

Quòd si minus exactè facta est de omnibus his mentio in Metaphysic. quàm in Logica (quanquam etiam complura huiuscemodi accuratius pertractata sunt in ipsa Prima philosophia, quam in Logica) tamen ex hoc non possumus inferre, illa non pertinere ad Metaphysicam, quod quidem declarat pertractatio affectuum in Rhetoricis. Ibi enim accuratius multò pertractantur ipsi affectus, quàm in philosophia, & in Ethicis, ad quæ tamen propriè spectat huiuscemodi pertractatio. Sed huius rei causam alibi ostendemus.

hoc loco satis est ostendisse, non sequi id quod complures dixerunt.

Præterea hæc sunt Aristotelis uerba IIII. Metaphys. lib. quæ quidem maximè uidentur opinionem nostram confirmare:

» *Ac uerò neq; fit, ut inter contradictoria quicquam cadat, sed ut affir*
» *metur de uno quoduis, aut negetur, necesse sit. Patebit autē id ita esse*
» *uerùm, ubi quid nam sit uerum, & quid falsum, definierimus. Nam di-*
» *cere quidem id quod est, non esse, aut quod non est, esse, est falsum. Di*
» *cere uerò id quod est, esse, & id quod non est, non esse, est uerum.*
» *Quare qui dicit illud medium esse, aut non esse, uerum aut falsum di-*
» *cet, sed neq; id quod est, neq; id quod non est, esse.*

Præterea luce clarius uidetur sic ostendi posse, hęc ipsa de quibus agimus, primò & per se spectare ad Primam philosophiam: quoniā Prima philosophia debet primò, & per se probare, in omni affirmatione & negatione reperiri aut ueritatem, aut falsitatem: item entia necessaria priora, posteriora, item etiam uniuersalia: & sic genera, & species, non esse substantias. hæc enim manifesta sunt, ex Prima philosophia. ergo necesse est, ipsam per se cognoscere quid sit uerum, quid falsum, quid necessarium, quid contingens, quid prius, quid posterius, quid uniuersale. Quod quidem uniuersale septimo Metaphys. libro, sicut primo Perihermenias, definitur esse, quod de pluribus dicitur. Item quid sit genus, quid species. de his enim quæ sunt probanda per se de aliquo, & de subiectis, de quibus illa probari debent, supponi oportet quid est quod dicitur. Consequitur ergo, ut per se, & primò à Metaphysico considerentur, non à Logico.

SECTIO VII.

QVam quidem rem (nisi mea me fallit opinio) confirmare etiam possumus ex eis quæ D. Thomas, Latinorum interpres optimus, initio V. Primæ philosophiæ libri scripta reliquit: ut facilè appareat, ipsosmet ueritate compulsos, eam, quam diximus, sententiam uel inuitos comprobasse. Hæc igitur sunt ipsius Thomæ uerba:

» In præcedenti libro determinauit Philosophus, quid pertineat ad
» considerationem huius scientiæ. hic incipit determinare de rebus,
» quæ scientia ista considerat. Et quia ea quæ in hac scientia conside-
» rantur, sunt omnibus communia, nec dicuntur uniuocè, sed secun-
» dùm prius & posterius de diuersis, ut in quarto libro habitum est:
» Ideo prius distinguit intentiones nominum, quæ in huius scientiæ
» consideratione cadunt. Secundò incipit determinare de rebus, quæ
» sub consideratione huius scientiæ cadunt, in VI. lib. qui incipit ibi,
» Principia & causę. Eiusdem autem scientiæ est considerare subiectū,
» & passiones, & causas: quare hic quintus liber diuiditur in tres par-
» tes. Primò determinat Aristoteles distinctiones nominum quæ si-
» gnificant causas: deinde nominum quæ significant subiectum, uel
» partes huius scientiæ, eo loco unum dicitur aliud secundùm acci-

dens.

dens. Postremò nominum quæ significant passiones entis, quatenus ens, ibi, Perfectum uerò dicitur. "

Cum ergo eo libro definiatur necessarium, cõtingens, causa, principium, genus, accidens, & reliqua huiusmodi, hæc per se, & primò, ex ipsius Thomæ sententia, spectant ad Primam philosophiã, quia uel sunt causæ subiecti, uel subiectum ipsum, seu partes subiecti, uel passiones entis, quæ quidem primò pertinent ad illum artificem. Sed cum hæc omnia sint in Logica, non possunt simpliciter & absolutè considerari in ipsa Logica: aliter enim Logica non erit distincta à Prima philosophia. itaq; superuacanea erit ipsarum altera: quod quidem fieri non potest.

Cum uerò eadem sit reliquorum omnium ratio, rectè diximus, omnes terminos qui sunt in Logica, simpliciter & absolutè pertinere ad Metaphys. neq; esse proprios ipsius Logicæ, nisi quatenus refert ipsos ad opus. non enim eodem modo possunt (ut dictum est) in diuersa facultate considerari. atq; idipsum quod diximus, satis perspicuum est, cum dicat D. Thomas in IIII. Metaphys. lib. exponens ea quæ citauimus uerba, species esse accidentia entis, quatenus ens est.

Auerroës quoq;, uelit nolit, idem sentire cogitur. nam initio eiusdem quinti Primæ philosophiæ libri,

" Intendit, inquit, in hoc tractatu distinguere significationes nominum, secundùm intentiones considerandas in hac scientia, & omnia ista nomina dicuntur secundùm relationem ad unum quid modis diuersis. Et ideo expositio horum nominum est pars huius scientiæ per se. fit enim ad numerandum ea de quibus agit hæc scientia, non uti consuetudo est in naturali scientia, exponendo nomina in quæstione illa, ad quam pertinent, ut appareat * sensum accipiant. Ratio igitur de nominibus, est de genere considerationis in modis subiecti, in quo considerat ista scientia, & ideo oportet poni per se. & cum hoc latuit Nicolaum, uidebit, quod melior ordo est in scientia exponere nomen apud considerationem de intentione illius nominis, non ut ponatur pars istius scientiæ per se, sicut latuit illum dispositio & ordo sermonum Logicorum in hac scientia, sicut diximus in tractatu tertio.

Quod si termini distinguuntur quinto libro, pertinent ad Metaphysicam. sequitur, ut non posint pertinere primò & principaliter ad Logicam, ut probatum est aduersus D. Thomam. Cumq; sint affectus entis, quatenus ens est, ut ipse etiam Auerroës in quarto & sexto Metaphysicorum libro, de genere ac specie testatum reliquit, consequens est, ut Logica non indigeat eis quæ sunt in Prædicamentis. itaq; sibi non constet Auerroës, cum dicat, librum Prædicamentorum esse partem Logicæ.

Sequitur etiam ex eo quod isti ponunt, ut hæc facultas sit sub Metaphys. eo modo quo dictum est: neq; sit facultas ex se ipsa.

Neq; illud opinioni nostræ aduersatur, quod Aristoteles in Prædicamento quantitatis posuerit orationem: quia ex eis quæ ibi dixit, patet

patet ipſum accepiſſe ibi orationem, quatenus illum metimur ſyllaba breui, uel longa. in Logica uerò, & Metaphyſica accipitur, ut eſt uox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars per ſe ſignificat ſeparata, ut dictio, & cætera.

Neq; item, quòd in Prædicamento relationis poſuerit ſcientiam. Nam quod ibi de ſcibili & ſcientia dixit, ut ſentit etiã Hammonius, ex communi hominũ opinione dixit, nõ ut ſeſe res habet: ſicuti multis alijs in locis interpretari cogimur. Præſertim uerò, cum eam attulerint inſtantiam, quam non tollit. Quare ipſi expoſitores, prout ſibi uidetur, reſpondent. Quanquã licet etiam aliter dicere, nempe illud exemplum eſſe. Alia multa dici poſſent, ſed nihil hoc loco attinet.

SECTIO VIII.

NEque fieri (mea quidem ſententia) poteſt, ut ad ea quæ dicta ſunt, ita reſpondeamus, hæc poni in Logica, & in Metaphyſica, quod dixit Auerroës in ſeptimo libro Metaphyſ. de ratione illa, qua probat Ariſtoteles, ſubſtantiam eſſe primum ens, his uerbis:

» Sciendum eſt, inquit, quòd iſta declaratio eſt Logica, & plures de-
» monſtrationes in hac ſcientia ſunt Logicæ, quoniam ſcilicet propoſi
» tiones eius ſunt acceptæ à Dialectica. Dialectica enim uſitatur duo-
» bus modis. uno modo ſecundùm quòd eſt inſtrumentũ, & ſic uſita-
» tur in ſcientijs alijs: & alio modo, ut accipitur illud quod eſt declara-
» tum in aliqua ſcientia ſpeculatiua ad aliam ſcientiam, cum iſtæ conſi-
» derent de ente ſimpliciter, et propoſitiones Dialecticæ ſunt entis ſim
» pliciter, & ſic definitiones, & deſcriptiones, & alia dicta in eis. Ita ut ſecundùm hanc ſententiam dicendum ſit, ea ſic accepta eſſe Logica, id quod nonnulli perperam dicunt. Nam utcunq; ſit, quòd ad rationem illam Ariſtotelis attinet, ſatis eſt hoc loco huiuſmodi reſponſionem redargui, cùm ex eis quæ dicta ſunt (probauimus enim has definitiones, ex ſententia etiam ipſius Auerrois, per ſe conſiderari in Metaphyſ. neq; ſumi ex Logica) tum etiam, quia hæc Auerrois diſtinctio non uidetur Peripatetica, neq; ad rem facere. Nam uel idem uoce Logica & Dialectica intelligit, uel contrà. ſi intelligit idem, ut quidem præ ſe fert, ex eis quæ in 1. lib. Phyſ. dixit, & loquitur de ea quam iſti interpretes Logicam appellant, quæ uidelicet eſt illa quæ tradit regulas conficiendi inſtrumenta, aduerſatur ijs quæ ſcribit Ariſtoteles locis citatis in procemio uniuerſali. Neque enim Logica eſt facultas perſpiciendi probabile circa unamquanq; rem, neq; ſyllogizat contraria, neque eſt generis indeterminati, neque eſt conuertibilis cum Rhetorica, neque poteſt probare rationibus probabilibus id quod demonſtrat Primus philoſophus: ſed ſolùm tradit regulas, ex quibus diſcimus conficere inſtrumenta cognoſcendi, & confecta iudicare, cuiuſmodi quidem non eſt ipſa Dialectica.

Præterea illa diſtinctio nõ conuenit Logicæ: non enim quod declaratum eſt in Logica, accipitur in alijs ſcientijs, quemadmodũ acci

pitur

pitur id quod declaratum est in aliqua scientia speculatiua, si accipiatur in alia quapiam scientia. Nam ex eis quæ sunt in huiusmodi facultate, non possumus declarare quicquam aliarum, ut dictum est, nisi illud, instrumenta recte esse facta. Neque utimur ea ut instrumento, sed ut regula instrumenti. instrumenta enim sunt uniuscuiusque facultatis propria. ergo huiusmodi distinctio non conuenit Logicæ, si accipiatur, nihil inter Logicam & Dialecticam interesse. Non possunt ergo dicere, ea quæ sunt in Metaphysica, esse in Logica, ut nonnulli uidentur uelle dicere.

Si uerò non intelligat idem esse Dialecticam & Logicam, de qua nos loquimur, sed rationibus Logicis accipiat rationes ex communibus, ut usurpat Aristoteles, nihil ad rem facit quod ait: quia nos loquimur de Logica, quæ tradit conditiones instrumentorum. Præterea si accipiant Logicam pro omnibus locis communibus, ut idem est, ac Dialectica, neque huiusmodi Logicæ & Dialecticæ conuenit illa distinctio, quia huiusmodi Dialectica neque docet regulas instrumentorum, neque est instrumentum discernendi uerum à falso, comprehendit enim tantummodo probabilia, quibus non efficit scientiam, sed opinionem: neque uerum est alterum membrum, quia non utimur propositionibus declaratis in una scientia, ad concludendum aliquid per se in alia scientia. non enim licet descendere de genere in genus eo modo, quo utimur propositionibus Dialecticis, quæ accommodantur omnibus rebus. Non ergo apta est & congrua similitudo, & per consequens recta distinctio: non enim Dialectica possumus uti, nisi uno modo, ut ex ijs quæ dicta sunt, patet. est enim uis inueniendi probabilia, ex quibus fiunt syllogismi Dialectici de omni proposito problemate.

Sin autem accipiant Dialecticam pro eo quod constat ex uera Dialectica, & ex parte resolutiua, quæ docet proprietates syllogismi Dialectici, quæ non est propriè Dialectica, ut diximus in exordio, & dicemus inferius, erit diuisio Dialecticæ communiter sumptæ, ut scilicet comprehendit diuersas partes. Neque illud recte dictum erit, Dialecticam duobus modis usurpari: quia quod duobus modis usurpatur, propriè debet esse unum, quod hic secus est. Huc accedit, quòd iste sensus quem dixi, non uidetur Auerrois, ut patet ex primo Physicorum libro. Hæc igitur distinctio neque est Peripatetica, neque ad rem facit.

Neque item audiendus est D. Thomas in IIII. lib. Metaphys. exponens uerba illa Aristotelis, quibus ostendit circa idem uersari Dialecticũ, Metaphys. & Sophisticũ. habet enim easdem oẽs difficultates, quas cõmemorauimus aduersus Auerroẽm, quia ponit Logicam & Dialecticã idem esse, saltẽ quatenus est pars & totũ, genus & species. Ponit etiam Dialecticam per entia rationis probare eadem accidentia entis, quæ probat Metaphysica, ex proprijs principijs. Item duplex ens, naturæ scilicet & rationis, quod (ut ipse ait) non inuenitur in rerum natura, sed insequitur considerationem rationis: quibus

quidem

quidem in uerbis habet omnes difficultates, quas demonstrauimus aduersus Auerroëm, quia per ea quæ sunt in Logica, quæ (ut opinatur ipse) sunt entia rationis, & regulæ, non possumus concludere, Deum esse, & cætera huiusmodi, quæ cõcludit Metaphys. Ac si sunt entia rationis, quæ ex illius opinione non inueniuntur in rerum natura, ut genus & species, & huiusmodi, non possunt esse accidentia entis, quatenus ens est, sed ipse paulo pòst ait esse accidentia entis: falsum est igitur, esse entia rationis eo modo, quo dixit. Probatur cõsequentia: quia si sunt accidentia entis, quatenus ens est, sunt realia. quæ enim conueniunt per se, & secundùm quod ipsum enti reali, necessariò sunt realia. Sed quæ per se, & secundum ipsum conueniunt enti, quatenus ens est, conueniunt per se, & secundùm ipsum enti reali: ergo quæ conueniunt per se, & secundum quòd ipsum enti, quatenus ens est, sunt realia. Maiorem propositionem hinc confirmari posse arbitramur. Quæ conueniunt alicui, uel primo, uel secundo modo prædicandi per se, ita sese habent, ut aut prædicatum insit in definitione subiecti, aut subiectum prædicati. Sed quæ conueniunt enti reali per se, & secundùm ipsum, conueniunt ei uel primo, uel secundo modo prædicandi per se: ergo ita se habent, ut aut prædicatũ insit in definitione subiecti, aut subiectum prædicati. At ea quorum uel subiectum reale est in definitione prædicati, uel prædicatum subiecti realis, sunt realia. definitio enim & definitum idem sunt re, ut ostendere etiam uidetur Aristoteles 1. Posteriorum lib. his uerbis:

" *Præterea quòd substantiã significat id, quod si illud est, aut quod*
" *illud est quoddam, id esse significat de illo quo prædicatur: quod uerò*
" *non substantiam significat, sed de subiecto dicitur alio, quod quidem*
" *nec est idipsum, quod illud est quoddam, id omne accidens est. ut cùm*
" *album cum homine prædicatur, homo neq; id est quod album, neq; id*
" *quod album est quoddam, sed animal fortasse.*

Si ergo prædicata substantialia non significarent illud idem quod subiecta, essent (ut patet) accidentia. at suppositum est, esse essentialia: ergo sunt idem re, quod eorum subiecta. itaque sunt realia. Præterea quî fieri potest, ut id quod nõ est res, exprimat essentiam illius quod est res? Ea ergo quorum uel subiectum reale est in definitione prædicati, uel prædicatum subiecti realis, sunt realia: sed quæ conueniunt per se, & secũdum quod ipsum enti reali, sunt huiusmodi: ergo quæ cõueniunt per se, & secundùm quod ipsum enti reali, sunt realia. Sed genus, & species, & huiusmodi (ut ait Aristoteles, & ipse D. Thomas) sunt accidentia entis, quatenus ens est. ens enim quatenus ens, reale est, quia est subiectum Metaphys. Et sic conueniunt per se, & secundum quod ipsum enti reali, igitur sunt realia. Non sunt igitur entia rationis, ut ipse dicit: neq; reperitur duplex illud ens. Quæ quidem (ut patet) inter se pugnant.

Præterea distinctio illa, ut Dialectica posit cõsiderari, ut docens, atq; utens, uidetur à Peripatetica disciplina abhorrere. Nam quæ ab

eo uocatur docens, hæc (ut ipse etiam concedit) modum argumentandi tradit. itaq; nō potest esse scientia, quia instituta est propter operationem: habitus autē operatiui, & speculatiui, fine distinguuntur. Quod si est ꝑpter ipsum operari, ut fatetur ipse, non est propter ipsum scire, quocirca propriè non potest esse scientia. Habitum autē speculatiuum & operatiuum fine distingui, cùm ex eis quæ superius dicta sunt, perspici potest, tum etiam ex multis alijs rationibus.
Dissentit etiam ab Aristotele, qui I. Rhetor. libro ita scribit:

" *Si quis autem aut hanc, aut Dialecticam, non ut facultates, sed ut scientias instruere ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere uidetur, cum nō solum in sermonis, sed in quarundam subiectarum rerum scientias redigat.*

Ac de ea loquitur, quam ipse D. Thomas appellat docentē, quia est illa quæ tradiť in Topicis. Dixit enim, esse facultates quasdā inueniendi rationes probabiles: non uult ergo, Dialecticam esse scientiam. Negare igitur non possumus, falsam esse de hac re, & contra Aristotelis dicta, ipsius Thomæ opinionem.

Præterea, aut illa utens est eadem, atq; ipsa docens, sed aliter considerata: ut, exempli gratia, hæc est Dialectica docens, syllogismus Dialecticus est ex eis quæ apparent pluribus, aut sapientibus, & cætera: atque hæc ipsa etiam est utens, cum scilicet ea utimur, aut diuersa. At non potest esse eadem, quia (ut ipse ait) utens est, quatenus " modo adiuncto usurpatur ad concludendum quippiam probabili- " ter in singulis scientijs. Falsum est autem per huiusmodi regulas (ut dictum est) concludi posse quicquam probabiliter in singulis scientijs. Primùm, quia huiuscemodi non sunt res, secundùm eorum sententiam: Deinde, quia ostensum est superius ex Aristotelis sententia, huiusmodi Dialecticam nō adhiberi, nisi ad ostendendum, aliquam orationem esse, uel syllogismum, uel demonstrationem, uel syllogismum Dialecticum, uel definitionem. At hæc non sunt probabilia, sed necessaria, ut concedit etiam ipse D. Thomas: quia demonstrantur per propositiones necessarias: ergo non potest esse eadem.

Quòd si diuersa est, ut diximus, & docens constat ex illis intentionibus rationis, utens nō erit ex ijsdem intentionibus, quod quidem illi repugnat: quippe qui dixerat,

" *Dialecticus autem procedit ad ea consideranda ex intentionibus rationis, quæ sunt extranea in natura rerum.*

Illud etiam quod dicit, in ea parte Logicæ, quæ demonstratiua di- " citur, doctrinam solum pertinere ad Logicam, usum uerò ad philo- " sophiam, & ad reliquas particulares scientias, quæ sunt de rebus na- " turalibus: & usum demonstratiuæ consistere in utendo principijs re- " rum, de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinet, " non utendo intentionibus Logicis: magnam habet difficultatem. Nam quemadmodum se habent regulæ, quæ traduntur in Poster.

ad ea quæ constituuntur per ipsas regulas, ita se habent regulæ quæ traduntur in Top. ad ea quæ cōstituuntur per ipsas regulas. eadē est enim planè similitudo. Quare ut doctrina quæ habetur Poster. pertinet solum ad Logicā, usus autē ad alias particulares scientias, quæ sunt de rebus naturæ: Ita etiā doctrina quæ habetur ex regulis, quæ docent cōstituere syllogismū Dialecticū, pertinet ad solam Logicā: usus uerò ad eam tantùm facultatē quæ realis est, quia in unaquaqꝫ re sunt sua probabilia, quæ quidē sunt res, sicut etiam sunt principia.

Præterea quemadmodū usus demōstratiuæ cōsistit in utendo principijs rerū, de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinet, nō utendo intentionibus Logicis: sic item usus Dialecticæ est ea doctrina, quam dicit D. Thomas.

Neqꝫ uerò illud dici potest, in Logica effici scientiam, quod in ea sint demōstrationes, & definitiones, quæ faciunt scire: quandoquidē nō dicuntur simpliciter & absolutè demonstrationes, sed cōmuniori uocabulo, quamuis sint ex ueris necessarijs: quia nō factæ sunt ad sciendū tantum, sed ad operandū. Nam (ut dictū est) accipiuntur, et referuntur ad opus. aliter enim artes Mechanicæ, ac omnes deniqꝫ artes essent scientiæ, quippe quæ utuntur huiuscemodi rationibus: cū ars nihil aliud sit, nisi habitus effectiuus cū ratione. Sed cū in illis huiusmodi rationes adhibeantur ad cōcludendas earum cōclusiones, itaqꝫ referantur ad opus, cognitio illa non potest esse scientia.

SECTIO IX.

CVr aūt hęc doctrina seorsum tradita sit, id (ni fallor) causæ fuit, quod cum scopus & finis Primæ philosophiæ esset, causas entis, quatenus ens est, & x. generum, ut talia sunt, inuestigare, ut patet ex I. & IIII. & VI. & XII. Primæ philos. lib. & multis alijs locis: atqꝫ ex his causis substantiæ à materia separatæ principem locū obtinerent: neqꝫ ex Aristotelis sententia perfectè indagari possent, nisi per motum: necesse fuit, ut cognitio motus earū cognitionem præcederet. Cum uerò uisum esset Aristoteli, ac fortasse non sine optima ratione, naturā & affectiones motus pertractare in Phys. siue quia motus, ut est actus entis simpliciter, ad Primā spectat philosophiam, ut uerò est actus entis naturalis ad naturalem: siue quia semper philosophi naturalis est, de ipso motu agere (nihil enim id hoc loco refert) necessariò philosophia prima quæ est natura prior, quippe quæ est uniuersalior & perfectior, collocanda fuit post naturalē philosophiam, quæ est natura posterior & imperfectior. idqꝫ satis declarant ea quæ XII. Primæ philos. lib. scribit Aristoteles, ubi ponit eas rationes, quas VIII. lib. de Physic. auditu scriptas reliquerat, licet alio modo. Cæterùm cum necesse esset, ut reliquas facultates omnes quæ de rebus particularibus agunt, antecederet cognitio decem generū, quippe quæ sunt uniuersaliora, atqꝫ in ipsis scientijs necessariò insunt: aliter enim fieri nō potuisset, ut philosophia naturalis definiret hominē, naturāqꝫ ipsius hominis cognosceret, nisi notū illi fuisset, hominē aut esse, aut non esse substantiam,

quod

quod idem de reliquis scientijs dicendũ est, quæ decem illis generibus subijciunt. Cum igitur inquã necessariũ esset, ut cognitio decẽ generũ cæteras scientias antecederet, ex Prima philosophia, quã posteriore loco statui oporteret, necessariò extrahenda fuerunt decẽ ipsa genera, illaq; describenda: simul ostendẽdæ proprietates, quæ eis cõueniunt, quatenus talia sunt, ut per cognitionẽ quæ substãtiæ, ut substantia est, ac ita reliquorũ generum habetur, uti sanè fateri cogimur (nõ enim absoluta perfectaq; esset rerũ cognitio) itemq; per naturas, & affectus ipsorũ generũ, intelligere liceret, quæ res essẽt substantiæ, quæ quantitates, quæ deniq; qualitates: quæ omnia haberi poterant ante exactã motus cognitionẽ. id quod planè declarat, huiusmodi cognitionẽ ad Primã spectare philos. cũ istæ res ostendant per naturã substantiæ, quatenus est substantia, & per proprios eius affectus. Id aũt cũ per se ipsum satis perspicuũ est, tum multis etiã locis ab Aristot. pręcipuè uerò I. de Anima lib. his uerbis ostẽdi uidet:

Primùm autem necessarium est diuidere, in quo genere, & quod "
sit. dico autem utrum sit hoc aliquid, & substantia, aut qualitas, aut "
etiam quoddam aliud dictorum Prædicamentorum. "

Cum ergo ex Aristotelis sententia (ut rectè definiamus animam) ante nobis cognoscendũ est, utrum sit substantia, an aliud aliquod prædicamentũ, ac ita de cæteris: omnium enim eadẽ est ratio. Cum autẽ huiusmodi cognitio non posit haberi, nisi ex natura ipsius substantiæ, atq; ex illius proprietatib. eo modo quo habet: facilè cõstat, haberi posse tantummodo ex lib. Prædicamentorũ. Cum uerò hæc cognitio præcedat omnẽ philosophiam naturalẽ, sequitur, ut Prædicamenta debeant præcedere. Sed de his in II. Poster. lib. cap. III. pluribus disseremus. Secũdum ergo nostrũ cognoscendi modum, liber ille collocãdus est post Logicam, & ante philosophiã naturalẽ.

Quòd si quærat aliquis, quo loco in Metaphys. hæc pertractata fuissent, si non oportuisset seorsum tractari, præsertim cum dictum sit, aliter pertractari V. lib. Metaphys. ubi de illis agit Aristoteles, atq; hic pertractata sunt: responderi potest, ea pertractanda fuisse initio VII. lib. ubi ita scribit Aristoteles,

Id quod est, multipliciter dici, ut prius in hisce quæ dicta sunt de "
unoquoq;, quot modis dicatur, distinximus. Præterea enim quod est, "
& hoc aliquid partim quale, aut quantum, aut cæterorum quodque, "
quæ hoc prædicantur pacto, significat. "

Deinde persecutus esset naturam, & affectus singulorum Prædicamentorum, ac postea subdidisset:

Cum autem id quod est, tot modis dicatur, patet horum primum "
ens esse ipsum quid est, "

Et cætera quæ sunt septimo illo libro pertractata.

Quod quidem ex hoc colligi posse arbitror, quod ea pertractatio quæ VII. lib. habetur, supponit cognitionẽ naturæ substãtiæ, & cæterorum Prædicamentorũ, affectuumq; illorũ: quæ quidẽ cognitio

habetur ex solo libro Prædicamentorũ, ac sequitur ea quæ superioribus sex libris pertractata sunt, ut ipse innuit proœmio illius libri.

SECTIO X.

Ex hac autem causa, propter quam diximus, doctrinam Prædicamentorum seorsum esse traditam, ut ex eis quæ in ipsis Prædicamentis tractantur, facilè apparet, doctrinam illam nõ esse de simplicibus, nisi eo modo quo sunt reliquæ facultates, in quibus sunt simplicia, & simplices definitiões, & composita, seu complexa, quæ probantur ex illis (ut dictum est superius) quæ cuiusq; doctrinæ sunt propria. In ea enim doctrina sunt definitiones, ex quibus probantur proprietates de illis decem generibus, quæ sunt complexiones, non secus atque in Geometria, quæ probat triangulum habere tres angulos, & ita de cæteris.

Nisi ita dicatur, esse de simplicibus, quam ob causam seorsum tradita est: ut intelligamus, exempli gratia, hoc simplex Homo esse substantiam, non hoc compositum, Homo est albus, quod quidem ex substantia & qualitate aggregatum est, & sic de reliquis.

Atq; ob hanc differentiam, Aristotelem ita scripsisse arbitror:

" *Eorum quæ sine ulla complexione dicuntur singulum, aut substan-*
" *tiam significare, aut quantitatem, aut qualitatem.*

Atque ostendere uoluisse, doctrinam Prædicamentorum debere præcedere omnes particulares facultates, quia sub illis omnia, propter eam quam diximus causam, cõtinentur, nõ id significare, quod aiunt isti Interpretes. Agere uerò de simplicibus eo modo quo diximus, nihil planè adiuuat artem Logicam. In ea enim nõ definimus quicq; eorum quæ ipsis decem generibus subĳciuntur, neq; item facimus enunciationes ex ipsis generibus, ut dictum est.

Præterea dubitari non potest, quin illæ cognitiones, quæ de simplicibus habentur, sint complexæ, ut hominem esse substantiam, lineam quantitatem: addiscuntur enim per ratiocinationem. Quocirca non uidetur Aristoteles eo loco aliter interpretari posse.

Quòd si ita scribit,

" *Singula eorum quæ dicta sunt, ipsa quidẽ secũdùm se in nulla affir*
" *matione dicitur, horũ autẽ ad se inuicem affirmatione fit cõplexione.*

Non uult tamen inferre, illa esse partes Logicæ: quoniã affirmationes quæ fiunt ex illis simplicibus, spectant ad facultates, quæ de rebus dicuntur agere, non ad Logicam.

Ac propterea quidẽ illud rectè diximus, ea ut sint de uocibus primò, siue de rebus, non pertinere tamen ad Logicã, quia Logica (uti demonstrauimus) non utitur huiusmodi rebus, aut uocibus. Hoc autem loquendi modo non significari Logicã, patet ex eis quæ scribit Aristoteles lib. III. de Anima, II. & IX. Metaphys. ubi quidẽ ait,

" *Ex indiuisibilium intelligentia fieri compositionem, & diuisionem.*

Quod quidem nihil aliud sibi uult, nisi ex simplicibus fieri cõplexiones,

xiones, affirmationes, & negationes. Cum enim ex his non liceat inferre, librum illum esse partem Logicæ, neq; item ex his.

Neq; uerò hanc nostrã opinionem illud uidetur refellere, quòd in omnibus libris impressis hic ipse liber ante omnes Logicæ libros cõstitutus reperit̃, cum liceat uidere multos libros in philosophia non eum ex Aristotelis sententia obtinere locũ, quem in impressis libris sortiti sunt: ut liber de Generatione animaliũ, qui collocat̃ post librũ de Partib. cum tamen suus nõ sit hic locus. Id quod eo magis confirmari uidet̃, quod apud Macrob. & alios cõplures scriptũ est, libros Aristotelis plenos & mendis, & confusione, sub terra esse repertos.

SECTIO XI.

Enimuerò, ut ea quæ dicta sunt, præcipuè in tertia sectione, facilius percipi possent, nobis faciundum esse putauimus, ut tabulã quandã subscriberemus, in qua primò sitæ essent omnes principales cõclusiones, quæ sunt in Logica, & ea ex quibus illæ cõcluduntur: simul & quo pacto facultates omnes utantur regulis quas tradit Logica, & quemadmodũ rationes eæ quibus Logica utit̃, cõstent ex propositionib. quæ cõstitutæ sunt ex simplicibus terminis, quæ quidẽ omnia sunt extra x. Prædicamenta. Sed prius ea quæ initio dicta sunt, breui recẽsebimus: quæsita scilicet, ac dubitationes esse omnino quatuor, an res sit, quid sit, qualis sit, propter quid sit. Cum uerò scita totidẽ numero sint, quot quæsita, sequit̃, ut quatuor sint: quid res est, quid est, qualis est, propter quid est. Modus cognoscendi est oratio, qua quæsita illa & dubia assequimur. Logica est ars, quæ (uti demõstrauimus) docet constituere hunc ipsum cognoscendi modum: quare illũ pertractat non simpliciter, & absolutè, sed ut ex arte docetur cõstitui. Ac propterea quidẽ necessariò docendus fuit hic modus, & hæc Logica, ut exploratum nobis fieret, utrum quatuor illa quæsita assecuti essemus, nec ne, qui quidem modus diuiditur in omnes has species: Definitionem, Demonstrationem, syllogismum Dialecticum, & Sophisticũ, ut comprehendamus etiam modum cognoscendi apparentem.

Quoniã uerò nobis propositũ est docere, quemadmodũ constituantur hæ species, atq; in primis demõstratio, prius docendũ est cõstituere ipsum syllogismũ. omnis enim demõstratio est syllogismus, at nõ è cõtrario. Sed anteq̃ doceamus cõstituere ipsum syllogismũ, necessariò docendũ est cõstituere enunciationẽ. Quia uerò enunciationes constituuntur ex nominibus & ex uerbis, necesse est initium ducere à definitione nominis, uerbi, negationis, affirmationis, enunciationis, orationis: siquidem omnis doctrina, & omnis disciplina oritur ex illa antecedente cognitione, quid sit prædicatum, quid subiectum. Describendum est etiam, quemadmodum fiant in scientijs enunciationes. Ad hunc igitur modum describemus tabulam.

A

Enunciatio Metaphysica:	Homo est ens, homo est substantia.
Enunciatio naturalis:	Homo est risibilis.

Enunciatio Mathematica: Triangulus est figura tribus lineis cõtenta.
Enunciatio medicinæ: Corpora plectorica sunt phlebotomãda.
Enunciatio ciuilis: Ex bonis actibus fiunt boni habitus.
Enunciatio Logica: Syllogismus est ex tribus terminis, & ita de reliquis.

Hæ omnes sunt enunciationes, quæ docentur fieri per primã rationem, quæ uocata est A.

Atq; ex his patet, non magis eas quæ sunt in Prædicamentis, esse necessarias ad lib. Periherm. quàm quæ sunt in cęteris facultatibus.

LIBER PERIHERMENIAS.

Nomen est uox significatiua ad placitũ, sine tempore, cuius nulla pars, & cætera: quæ dicta sunt in Institutione.

Verbum est uox significatiua cum tempore, &c.

Oratio est, cuius aliqua pars est significatiua, separata per se, &c. Enunciatio est, in qua reperitur ueritas, uel falsitas.

Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo.

Negatio est enunciatio alicuius ab aliquo.

Antecedens cognitio, ex qua oritur & discitur illa cõclusio, enunciationes, affirmationes, negationes confici ex nomine, & ex uerbo, est definitio nominis, uerbi, enũciationis, affirmationis, negationis. Nomen aũt, & uerbũ, hoc loco sunt prædicata: cętera sunt subiecta. Atq; ita patet, definitionẽ nominis, uerbi, enunciationis, affirmationis, negationis esse principia, ex quibus addiscimus hanc conclusionem: Omnẽ enunciationem cõponi ex nomine, & ex uerbo. Cuius quidẽ cognitio appellatur doctrina. Ex eo uerò quod hæc sunt principia, cõstat, nihil opus esse ulla alia cognitione. Omnis oratio, in qua dicitur aliquid de aliquo, constat ex nomine, & ex uerbo.

Omnis enunciatio, affirmatio, negatio, est oratio, in qua dicitur aliquid de aliquo.

Ergo omnis enunciatio, affirmatio, negatio, cõstat ex nomine, & ex uerbo. Quòd si redigatur ad immediata, patebit necessarium esse assumere definitionem nominis & uerbi. Atq; eodem modo dicendum est de reliquis rationibus, quæ insequuntur.

B.

Omne B est A,
Omne C est B,
Ergo omne C est A.

Omne S est P,
Omne S est R,
Ergo aliquod R est P.

Nullum M est N, Omne X est M, Ergo nullum X est N.

Huiusmodi autem rationes, qui sunt syllogismi, ex secunda ratione, quæ uocata est B, docentur constitui.

B. LIB. PRIORVM.

Propositio est affirmatio alicuius de aliquo, uel negatio alicuius ab aliquo, quæ uel est uniuer

Omnis oratio, ex qua sequit̃ aliquid necessariò, cõstat ex tribus ter

salis, uel particularis, uel indefinita.

Terminus est, in quem redigitur propositio, hoc est prędicatum, & id de quo prædicatur.

Figura est dispositio medij termini inter extrema. De omni dicitur, cum nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur prædicatum, & de nullo similiter. Hæ sunt antecedentes cognitiones, ex quibus addiscimus hanc conclusionem:

Omnis syllogismus constat ex tribus terminis, & ex duabus propositionibus, & cōficitur in una aliqua trium figurarum.

Omnis syllogismus est oratio, ex qua sequitur aliquid necessariò: ergo cōstat ex tribus terminis, & ex duabus propositionib. & conficitur in una aliqua trium figurarum.

Demonstratio Metaphysica: Omne quod est ens, est aliquid: Omnis homo est ens: Ergo omnis homo est aliquid.

Demonstratio naturalis: Omne animal rationale est risibile, Omnis homo est animal rationale, Ergo omnis homo est risibilis.

Demonstratio Mathematica: Omnis figura tribus lineis contenta, est collocabilis super datam lineam: Omnis triangulus est figura tribus lineis contenta: Ergo omnis triangulus est collocabilis super datam lineam. Eodemq́ modo de reliquis demōstrationibus, in cæteris facultatibus. Atque hæc quidem fiunt per tertiam rationem, quæ uocata est C.

LIBER POSTERIORVM PRIMVS.

Scire autem opinamur unumquodq; cōplexum simpliciter, non sophistico more, hoc est secundum accidens, cū causam arbitramur cognoscere, propter quā res est, atq; hanc illius esse causam, neq; contingere hoc aliter se habere.

Demonstratio est modus cognoscendi, an res sit, qualis sit, propter quid sit, uerè sciendo. Hæc est præcedens cognitio, ex qua oritur illa cōclusio, omnem ueram demōstrationem fieri ex ueris primis immediatis, prioribus, notioribus, & ex causis conclusionis.

" Omnis syllogismus faciens scire, est ex ueris primis immediatis, prioribus, notioribus:
" Omnis uera demonstratio est syllogismus faciens scire:
Ergo omnis uera demonstratio est ex ueris primis immediatis, prioribus, notioribus.

Definitio Metaphysica: Deus est ens perfectissimum.
Definitio naturalis: Homo est animal rationale.
Definitio Mathematica: Linea est longitudo, sine latitudine. & sic de reliquis definitionibus in cæteris facultatibus. Atque hæc docentur constitui per quartam rationem, quæ dicta est D.

LIBER POSTERIORVM II.

GEnus est,quod prædicatur de pluribus differentibus specie,in eo quod quid est.

Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie,uel numero,in eo quod quale quid.

Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, in eo quod quid.

Proprium autem est,quod quidem non indicat quid est, soli autẽ inest,atq; ita prædicatur de re, ut illa rursus de ipso prædicari posit: ut proprium est hominis, Grammaticæ esse susceptibilem.

Accidens est,quod continget et inesse cuilibet uni,& eidem etiam non inesse:ut sedere contingit alicui uni,& inesse,& non inesse.

» *Scire aũt unũquodq; incõplexũ opinamur simpliciter,nõ sophistico*
» *more,quod est secũdum accidens,cũ causam arbitramur cognoscere,*
» *propter quam res est,atque hanc illius esse causam, neque contingere*
» *hoc aliter se habere.*

Definitio est modus sciendi uerè quid est,si est uera definitio. Sed de his habitus est sermo exactius in Institutione nostra, quam conscripsimus in II. Poster. lib. hic uerò posuimus has definitiones, ut tantummodo eorum quæ dicerentur,essent exempla. Hæ sunt antecedentes cognitiones, ex quibus discimus hanc conclusionem. Definitio est composita ex genere & differentia.

Omnis oratio qua cognoscitur quid est, est cõposita ex genere & differẽtia. Ergo omnis definitio est cõposita ex genere & differẽtia.

Ex quibus planè cõstat,libro Porphyrij locũ nõ esse,nisi in ea parte,ubi ostendunt̃ proprietates definitionis. Huiusmodi enim definitiones referunt̃ tantũmodo ad opus in hac facultate,neq; debẽt præcedere definitionẽ nominis. omne enim genus est nomẽ,at nõ è contrario. Neq; illud quicq; obstat, quòd ad intelligendã nominis definitionẽ,an recte constituta sit,necessariũ est scire,in illa esse genus & differentiã. Nã pariter ad cognoscendã definitionẽ generis, an recte cõfecta sit,oporteret scire,quid esset genus & differentia : atq; ita genus præcederet genus, & oporteret scire proprietates definitionis: quod minimè fieri potest. ergo nihil repugnat, quod dictũ est. Necessarium est igit̃,in principijs quædã intelligere,quæ quidẽ est simplex cognitio : quædam uerò supponere,atq; ita fit exacta cognitio. Præterea si ad cognoscendã definitionẽ nominis necessariũ esset intelligere quid sit genus,quid differentia:ad cognoscendã item æquiuocorũ & uniuocorũ definitionẽ,necessariũ fuisset eandẽ ipsam generis definitionẽ cognoscere, quæ (ut uidere licet) cũ minimè sumpta sit,reprehendendus uidetur esse Aristot. qui necessaria omiserit. Quòd si quis dicat, illã quidem necessariam non esse,sed utilẽ,atq; ita recte omitti potuisse,item etiã ante definitionem nominis omitti potuit,itaq; nihil id contra nos facit. At nõ animaduertunt interpretes isti, dum uolunt Porphyrium tueri, sese Aristotelem ipsum redarguere:quia nõ modo est utile (ut ipsi dicunt) ad illa quatuor cognoscere

ſcere hæc, ſed eſt ita neceſſarium, ut aliter fieri non poſsit. Falſa enim eſſet propoſitio illa,

Omnis doctrina, & omnis diſciplina fit ex præexiſtenti cognitio- "
ne prædicati, & ſubiecti. "

Nam liceret addiſcere, definitionem cõponi ex generibus & differentijs, quæ ſunt prædicata, ſine illa præexiſtenti cognitione. Falſum etiam eſſet, quod ſcribit Ariſtoteles initio Periherm.

Oportere primùm ponere quid ſit nomen, quid uerbum, & cætera. "

Quia nullã aliam ob cauſam id neceſſarium fuit, niſi ut oſtenderet enunciationes cõponi ex nominibus & uerbis. Præterea ſi neceſſarium eſt ad cognitionẽ Prædicamentorũ Ariſtotelis, intelligere prius quid ſit genus, quid differentia, quæ quidẽ cognitio habetᷣ in Logica, dicendũ omnino uidetᷣ, librũ ipſum Prædicamẽt. artis Logicæ lib. inſequi oportere, non antecedere, quemadmodũ illi falſo fortaſſe putant. E.

DIALECTICI SYLLOGISMI.

Si quod minus uidetur fieri poſſe, tamen fit, multo magis id fiet, quod magis uidetur fieri poſſe: At minus uidetur fieri poſſe, ut miles capiat urbem, tamen cæpit: Ergo & exercitus capiet.

Id quod per ſe eſt cauſa boni, magis eligendum eſt, quàm id quod eſt cauſa per accidens: At uirtus per ſe eſt cauſa boni, fortuna per accidens: Ergo uirtus magis eſt eligenda, quàm fortuna.

Finis eſt magis eligendus, quàm ea quæ ad ipſum finem pertinẽt: Operatio ſecundùm uirtutem eſt finis, at diuitiæ & ſanitas ad finem pertinent: Ergo operatio ſecundùm uirtutem eſt magis eligenda.

Hæc ſunt argumenta Dialectica. cõſtant enim ex rationibus communibus, quæ ad omnes accõmodantur. Ac propterea quidẽ Dialectica dicitur non eſſe cuiuſq; certi definiti'ue generis, quia uerſatur in omni ſubiecto. Hæ uerò rationes dicuntur cõſtitui per quintã rationem, quæ dicitur E. Atq; is liber inſcribitur Topica, qui quidem duplicem nobis uſum utilitatẽq; affert. eius enim altera pars, ne fruſtra id fieret per plura, q̃d potuit fieri per pauciora, atq; æquè bene perficit, atq; abſoluit Logicã. tradit enim conditiones ſyllogiſmi Dialectici, ſine quibus perfecta nõ erat Logica. Altera uerò cõſtituit Dialecticam, quatenus habet locos illos communes, ex quibus de omni re differere poſſumus. In hoc autẽ ipſo libro Topic. agit Ariſtoteles de proprietatibus Dialecticorũ ſyllogiſmorum per accidens, quatenus ſcilicet Logici perſonã ſuſcipit, quemadmodũ etiam in Rhetor. cum Politica pertractat, Politicum ipſum agere dicitur. Vno igitur libro duo nobis præſtitit Ariſtoteles. principaliter tamen cognitio illa eſt Dialectica, quæ idcirco quidem coniuncta eſt cum Logicæ libris, quod in ea traduntur proprietates ſyllogiſmi Dialectici, quæ perficiunt ipſam Logicam, ne (ut diximus) fruſtra fieret per plura, quod non minus recte per pauciora fieri poſſet. Probabilia ſunt, quæ uidentur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his quidem uel omnibus, uel pluribus, uel maximè notis, ac præcipuis.

Syllogiſmus

Syllogismus Dialecticus est, qui facit opinari: hæ sunt antecedentes cognitiones, ex quibus oritur hæc doctrina. Syllogismus Dialecticus est ex probabilibus, &c. Omnis syllogismus faciens opinari, est ex eis quæ uidētur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, &c.

Omnis syllogismus Dialecticus, est syllogismus faciens opinari: ergo huiusmodi syllogismus est ex eis quæ uident̃ omnibus, aut pluribus, aut sapientibus. hæc autem huiusmodi sunt probabilia, igitur est ex probabilibus.

F.

SOPHISTICVS SYLLOGISMVS.

Omnis canis currit, Sidus cœleste est canis, Ergo sidus cœleste currit. Fel est coloris citrini, Mel est coloris citrini, Ergo mel est fel. Hæc docentur confici per sextam rationem, quæ dicitur F.

LIBER ELENCHORVM.

QVæ autem uidentur probabilia, tamen non sunt, sunt ea quæ non apparent omnibus, uel pluribus, uel sapientibus: & his uel omnibus, uel pluribus, uel maximè notis & eximijs, sed uidentur apparere.

Syllogismus litigiosus, uel sophisticus est, qui gignit deceptionē. hæ sunt antecedentes cognitiones, ex quibus addiscimus hanc cognitionem, & conclusionem.

Omnis syllogismus qui gignit deceptionē, est ex eis quæ uidētur probabilia, tamen nō sunt; uel ex probabilib. Sed est apparens syllogismus, uel ex eis quæ uident̃ probabilia, et est apparēs syllogismus.

Omnis syllogismus litigiosus, uel sophisticus, gignit deceptionē: Ergo omnis syllogismus litigiosus, est ex eis quæ uidentur probabilia, at nō sunt: uel ex probabilibus. Sed est apparens syllogismus, uel ex eis quæ uidentur probabilia, & est apparens syllogismus. Hæc sunt, quæ docentur in tota Logica principaliter.

Patet ergo, propositiones, ex quibus cōficiuntur omnes quas enumerauimus ratiōes, & termini simplices, ex quibus cōstituunt̃ ipsæ ꝓpositiones, esse extra Prædicamēta, ut dictū est. Nam sunt affectus entis, quatenus ens est. reperiunt̃ enim in omni ente. Atq; ita patet, Logicā docere cōstituere demōstrationes, definitiones, syllogismos Dialecticos, et sophisticos. Sophisticos tamē docet cōstituere, nō ut illis utamur, sed ut eos refellamus. Cum autem docendo utatur syllogismis & propositionibus, quæ non constant ex terminis simplicibus, qui sunt in Prædicamētis (nō enim ex homine, neq; ex animali, neq; ex substantia, neq; item ex reliquis, qui sunt in Prædicamentis, ut dictum est, conficitur ulla propositio in Logica) patet, nihil nos indigere Prædicamentis in Logica. Cæteræ eñ facultates suas quæque constituit demonstrationes & enunciationes ex proprijs nominibus simplicibus. Non enim Logicæ facultatis est, facere omnes enunciationes, sed docere facere, quanq; docendo ex communibus (uti dictum est) nominibus illas constituit.

Sectio

SECTIO XII.

EX doctrina igitur quæ habetur in Prædicamentis, ex eis quæ in Logica facultate concluduntur ac diſcuntur, ex fine huius ipſius facultatis, ex natura artificij quo traduntur omnes facultates, ex neceſsitate qua ſeorſum tradita ſunt Prædicamenta, ex multis alijs quæ ſuperius in medium protulimus, illud conſtare arbitramur, doctrinam libri Prædicamentorũ, neq; eſſe partem Logicæ facultatis, neque ad illam quicq; pertinere. Non ab re igitur interpretaturi nos artem Logicam, cuius propriũ munus eſt atq; officium, tradere regulas cõficiendi inſtrumenta, quibus inſtrumẽtis omnia dubia aſſequamur, omiſſa ea quæ Prædicamentis traditur doctrina, à lib. Periher. initium docendi duximus.

Neq; uerò (mea quidem ſententia) parum intereſt, ad hũc, an ad illum modum dicatur. Nam qui putauerit, huiuſmodi doctrinã eſſe Logicæ facultatis partem, cum minimè ſit, ut opinamur, omnem huius facultatis naturã prorſus ignorabit: ſiquidẽ ea illi attribuet, quæ ab ipſa planè ſunt aliena, remotaq;, ac ita quidem miſcebit quadrata rotundis. Huc accedet etiã, ut naturã Primæ philoſophiæ peruertat, cum ea ipſi adimat, quibus ademptis, mutilata ſit ac imperfecta, neceſſe eſt. Quid dicam de philoſophia naturali, cæteriſq; facultatibus, quæ res per ſe tractant? Non'ne neceſſe eſt, quod'nam ſit earum munus, quæ partes, & quid quæq; ſupponat, ignorare? Ex cõmuni enim illa, uulgataq; opinione ſequitur, ut huiuſmodi facultates definire poſsint res in particulari, atq; illas ignorare in uniuerſali. Ac ita quidẽ fieri poteſt, ut philoſophia naturalis definiat, animã eſſe actũ corporis: ignoret autem, illam eſſe ſubſtantiam. & ſic de reliquis ſcientijs. Quod quidẽ quàm ab omni ratione alienũ ſit, facilè conſtat.

Habes præſtantiſſ. Alexander, quæ ego, ut tuæ morem gererem uoluntati, in medium afferenda duxi. In quibus ſi quid forte cũ Ariſtotelica doctrina, quam unam his in rebus nobis ſectandam ſtatuimus, minus conſentire uidebitur, admonitus equidẽ facilè & libenter ſententiam commutabo. Non enim, ut aut nouas opiniones inſererem in hominum animos: aut meam doctrinam, quæ nulla eſt, aut certe perexigua, oſtentarem, id ſum aggreſſus: ſed ut ueritatem, ad quam nati ſumus omnes, quæq; cæteris rebus longè anteponenda eſt, in tanta re excitare conarer, atq; in lucem proferre. Quod ſi fortè aſſecutus nõ ero, certè uoluiſſe ſat erit. Tu iam optime Alexander, ut quid tandem ſentiendum ſit, appareat, uiros eos qui hæc ipſa profitentur literarum ſtudia, quiq; eruditiſsimi habentur, conſules. Ego enim (ut inquit Plato) εἰμὶ τῶν ἐλεγχθέντων, εἴ τι μὴ ἀληθὲς λέγοιμι. ἡδέως δ' ἂν ἐλεγξάντων, εἴ τις τι μὴ ἀληθὲς λέγοι. οὐκ ἀηδέστερον μὲν δ' ἂν ἐλεγχθέντων, ἢ ἐλεγξάντων. μεῖζον γὰρ αὐτὸ ἀγαθὸν ἡγοῦμαι, ὅσῳπερ μεῖζον ἀγαθόν ἐστιν αὐτὸν ἀπαλλαγῆναι κακοῦ τοῦ μεγίστου, ἢ ἄλλον ἀπαλλάξαι. οὐδὲν γὰρ οἶμαι τοσοῦτον κακὸν εἶναι ἀνθρώπῳ, ὅσον δόξα ψευδής.

COMMENTARII FINIS.

ANTONII BER NARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE *LIBRI* OCTO.

ALEXANDRO CARDINALI FARNESIO S. R. E. VICECANcellario, Antonius Bernardus Mirandulanus S. D.

SUPERIORE anno, cùm alijs iustis de causis, tum quòd ipse, ornatißime ALEXANDER, cùm ad perdiscendam Logicam opera mea uterêre, de me quæsieras, quid esset causæ, cur nõ uetere Philosophorum omnium consuetudine à decem generibus initium sumerem: scriptum est à me Commentarium, quo rationes omnes & argumenta congeßi, quibus opinionem meam de decem illis generibus confirmari sum arbitratus. Idq; tibi detuli, ut cùm tua potißimùm causa cõfectum esset, illud tu ad Philosophos omnes, qui tota Italia longè cæteris præstarẽt, mitteres, ab ijsq; per literas peteres, ut de ea re quid sentirent, liberè omnino indicarent, scriptasq; mitterent rationes eas, & argumentationes, quibus meam illam opinionem infirmari ac tolli putarent. Idq; à me eo certè factum est animo, ut si ueritatem ab illis esse intelligerem, in eorum sententiam continuò, libenterq; discederẽ, nec quicq; omnino repugnarem. Sin minus, ut Apologiam conscriberem, qua rationes omnes, & argumenta, quæ contra me essent allata, diluere conarer, meamq; ipsam opinionẽ tuerer. Scripsere peregregij in primis Philosophi, Buccaferreus, Genua, Madius, complures item alij, quorum nomina longum esset persequi. Ex his quidem nonnulli, ijq; præsertim quos nominauimus, doctè admodum, peringenioseq; argumentati sunt, ac nihil ferè uidentur prætermisisse, quod ad tuendam interpretum opinionem posset afferri. Sed tamen eæ sunt, ni fallor, quibus ipsi nituntur, rationes, ut planè dissolui poßint. Quare adductus sum, ut Apologiam conficerem, eamq; ipsam tuis auspicijs in lucem ederem, non tam quòd uelim ego, quemadmodum ferè consueuerunt, qui opus aliquod principi uiro dicatũ in uulgus emittũt (quod tamẽ ipsum nec à me negligitur) tuæ illam Amplitudinis nomine, studioq; tutiorem esse (hanc enim statuo ratione una, atq; Aristotelis auctoritate tectam, munitamq; exire oportere) quàm ut studiosi ueritatis homines, si quid ex ea fructus perceperint, id omne tibi in primis acceptum referant: Cui sanè ego omnia debere me, et uehementer lætor, & libentißimè prædico. Vale.

ANTONIVS BERNARDVS MIRANDVLANVS LECTORI S. D.

CVM cæteris in rebus,tum uerò præcipuè in literis ita ferè natura comparatum eſt, ut quæ diuturna conſuetudine ſemel noſtris animis inhæſerint, hæc inde difficillimè euellantur : tantamq; ſæpe uim habet inueterata falſi opinio,ut nullis penè rationibus poſsit ipſa probari ueritas. Idq; ex eo præcipuè accidit, quòd quæ longo uſu,aut maiorum auctoritate, noſtris mentibus penitus inſita habemus,hæc pro ueris ita ducimus, ut cum ea ſe aliter habere non poſſe, nobis planè perſuaſum ſit, ſi quid unquam contrà afferatur, ſtatim circumueniri nos,ac decipi ſuſpicemur,rationesq; omnes antè reijciamus, quàm planè audierimus. Quòd ſi quis aliquando rem ipſam diligentius perpendat,tum facilè à multis opinionem illam comprobari uidemus, quàm antè, omnes ne audiendam quidem iudicauerant. Nam quid obſecro uerius in re medica, quid etiam quod cum ſcriptis Hippocratis illius antiquiſsimi medici, atque adeò ipſius medicinæ parentis, magis conſentiret, excogitari aut dici potuit, quàm quæ medicorum omnium poſt Hippocratem ipſum facilè princeps Galenus literarum monumentis mandauit? Sed tamen quòd illius temporibus planè confirmatus erat corruptus quidam medendi uſus,quot, dij boni,turbas, ut ipſemet narrat, quot clamores illorum hominum excitauit hæc ipſa ab eo ueritatis amiſſæ reuocatio? Multa alia poſſunt afferri huiuſce rei exempla,ſed,quòd ſatis res ipſa per ſe nota eſt,hoc uno contenti erimus. Cum igitur tantùm apud homines ualeat inueterata maiorũ opinio, tantumq; præiudicij habeat,illud quidem nobis, qui uidemur afferre noua, maximè uerendum eſt, ne cõtra nos antè ſententiam ferant homines, quàm noſtra planè legerint, aut certè diligentius expenderint : ſimul ne interpretũ illorũ Ariſtotelis,à quibus nos diſſentimus, nomen, & auctoritas,quaſi iam altius elata, rationum noſtrarũ luminibus officiat, aditũq; ad illas obſtruat. Præſertim cum pleriq; homines ita planè ſint affecti, ut apud eos longè maiorem uim obtineat magni alicuius uiri auctoritas,quàm uel innumerabiles, certiſsimæq; rationes,quòd uidelicet ſibi penitus perſuaſum habeant, cuius uiri opinionem una aliqua comprobarit ætas, ita hunc nullo modo falli potuiſſe,ut nefas ſit cũ eo ulla re omnino diſsidere. Atqui illud potius cogitandum fuerat,& homines illos fuiſſe,& humano ingenio præditos,ut æquè ac nos,errare,decipiq; potuerint. Hoc certe propoſitũ ſibi uidentur habuiſſe præſtantiores in unoquoq; diſciplinarũ genere uiri, dum ab aliorum opinione,quibus in rebus diſſentiendũ putarent, nulla temporum , aut cuiuſquam auctoritatis ratione habita,facilè diſcreparent. Nunquid enim Ariſtotelē deterruit,uel ſumma magiſtri,uel antiquorum philoſophorum auctoritas,quo minus & huic, & illis,pro tuenda ueritate aduerſaretur? Quid? Ariſtotelem ne ipſum tutata eſt incredibilis ingenij uis,ac propè infinita rerum omnium ſcientia,quo minus ab illo diſſentiret interdũ Theophraſtus? illumq; quandoq; relinquerent omnes ipſius interpretes,& in alia omnia diſcederent? Vt uerò ad interpretes ipſos ueniam, quibuſcum mihi res omnis eſt, quàm uariè illi inter ſe,cùm Gręci,tùm Latini, in Ariſtotele interpretando diſſentiũt? quàm acriter interdum (propè dicam) digladiari uidentur? Alexandro cuncti ſine cõtrouerſia,rectè in Ariſtotele explanando,primas deferunt, illumq; apud omnes conſtat penè amiſſam temporibus ſuis Peripateticæ Philoſophiæ rationem,doctrinamq; reſtituiſſe. Cum enim diu antea perditæ inſcitiæ tenebris obſita, & quaſi ſepulta iacuiſſet, illã primus ipſe penè è mortuis excitauit,atq; in uitam & in lucem reuocauit. Ab eius nihilominus ſententia quot in rebus recedũt,cùm ueteres, tum uerò recentiores pleriq; interpretes?

Neq;

Neq; tamen eo quenquã nomine reprehendendum arbitror, ſed potius probandum eſſe, mirificeq; amandum, in Philoſophia præſertim, liberũ cuiuſq; hominis ingenium, qui cætera contemnat, unius ueritatis ſtudio teneatur. Quam quidem ueritatem, cùm omnibus, tum uerò in primis homini philoſopho maximè ſemper propoſitã eſſe oportet. Atq; hęc ipſa à me nunc dicta eò pertinent, amice Lector, ut intelligas, nunquam nõ licuiſſe in literis, licereq; adhuc, à magnis interdum uiris diſcrepare, nec in his auctoritati locũ eſſe, ſed omnia in ratione eſſe poſita. Quare ſi ego noua dicere uidebor, uel potius uetera renouare (quid enim noua magis quàm uetera appellentur, ea quæ ex uerbis Ariſtotelis eruta, ratione planè confirmantur?) peto, ne id te à noſtris legendis, perpendendiſq; deterreat: ſed quemadmodum ipſe cęteris omiſsis, unam in his rationem ſectatus ſum, ſimul & Ariſtotelis auctoritatẽ, quam quidem Peripatetico uiro rationis inſtar ducendã arbitror (cum præſertim, ſi quis diligenter attendat, difficillimum ſit, quicquam apud Ariſtotelem deprehendere, quod uel tantillum à ratione recedat) ſic tu, & ſuadeo, & rogo, hęc duo tibi in primis propoſita habeas, ita noſtra legas, accurateq; perpendas, deinde ſententiam feras. Ac tum quidem ego, ſi aliter fortè ſenſeris, non recuſo, quo minus liberè, ut tibi uidebitur, iudices. At uerò me non latet, quàm difficilè id præſtaturi ſint, qui publicè Ariſtotelem ipſum interpretantes, aliam docendi uiam, rationemq; & antea ſecuti ſunt, & hoc etiam tempore ſequuntur. Eos enim ut ipſe arbitror, permulta impedient, quo minus de tota re, æquo planè animo, recteq; iudicent. Nam primùm doctrinæ illorum initia, unde omnis oritur cognitio, pleriſq; in rebus longè alia ſunt, penituſq; cõtraria. Nimirum enim cõplura illi, quæ ſibi planè finxere, commentiq; ſunt interpretes, quæq; plurimum ab Ariſtotelis ſententia uidentur abhorrere, ſic ſectantur, & amplectũtur, ut uerisſima eſſe ducant. Nos nihil in Ariſtotele interpretando, quod non ex illius uerbis eliciatur, probandũ eſſe, aut omnino audiendum arbitramur. Huc accedit, quod haud ſcio an maximum ſit, priuati commodi, gloriæq; ratio, quibus rebus inductos perſæpe homines aliud loqui, aliud ſentire uidemus. Sed tamen hos etiam uehementer rogo, ac per ueritatem, & Philoſophiam ipſam obteſtor, ut tantiſper certè, dum mea legant, ab omni alia cogitatione animũ eò traducant, ut cùm omnes rationes & argumentationes, quas affero, tum ea quæcunq; à me citantur Ariſtotelis loca diligenter conſiderent, nec ipſum Ariſtotelem magis ex aliorũ ſenſu, arbitrioq;, quàm ex ipſiuſmet uerbis interpretentur. Quod ſi ab illis impetrauero, quam uerò poſtea ſententiam ferant, quid ùe pronuncient, uiderint ipſi. Illa quidem certe ſpes me ualde conſolatur, futurum aliquando, ut ueritas ipſa, cuius unius ego ſanè ſtudio adductus, quid ſentirem liberè protuli, penitus exiſtat, eluceſcatq;: tum ſcilicet, cum nulla re obſtrictum erit hominũ iudicium, nec illorum cuiuſquã magis hoc quàm illud iudicare intererit, ſed una fuerit ipſis propoſita ueritas. At uerò, ne quis fortè me putet, temere ab aliorum conſenſu, ſententiaq; receſsiſſe, ſed ipſa coactum ratione, uerbiſq; Ariſtotelis intelligat, mihi ſanè faciendum arbitror, ut quod mihi iuueni acciderit, quemadmodumq; nihil tale cogitans in aliã ab ea quæ paſsim circũfertur, opinionem diſceſſerim, quàm breuiſsimè potero, exponã. Ego me cùm ab humanioribus literis ad Philoſophiæ ſtudiũ, annos circiter quindecim natus, cõtuliſſem, Paulum Venetum, Occam, Egidium, Thomam, Scotum, Albertũ, Auerroëm, Themiſtiũ, Ioannem Grammaticum, Simplicium, Alexandrum, alioſq; item complures tanta apud doctores meos auctoritate eſſe cognoui, ut oraculorum inſtar eorum dicta, & tradi ab illis, & excipi uiderentur. Ex quo quidem ego tum, aliquotq; deinceps annos, illos omnes maximè admirabar, ac penè nefas eſſe iudicabã contra eos quicq; proferre. Interim tamen, quanta maxima poteram diligentia, Ariſtotelis non modo ſenſa, ſed uerba etiam ipſa notabam, memoriæq; ſedulò mandabam. Iam uerò cum circiter XXV. ætatis annum attigiſſem, atque

ut ætate, sic etiã studio longè factus essem prouectior, animaduertere cœpi, quàm inter se dissiderent omnes Aristotelis interpretes. Cumq; unã tantùm in rebus omnibus ueritatẽ esse intelligerem, haud fieri posse arbitrabar, ut illam omnes, qui inter se tantopere dissentirent, assecuti essent, potuisse quidẽ ab illa cunctos aberrare. Ita cum me ad uerba Aristotelis accuratius, studiosiusq; legenda atq; examinanda conuertissem, uix dici potest, quantùm inde uel breui tempore, lucis nobis allatum sit: quàm multa senserimus interpretes dicere, quæ & à ueritate, & ab Aristotelis sententia abhorrerent. Tum demum intelleximus, quàm stultum esset, riuulos magis quàm fontes ipsos petere: quàm turpe, Aristotelis disciplinã profiteri, illius uerò interpretes potius quàm illũ consectari. Itaq; mihi cùm statutũ omnino esset, ad ipsummet Aristotelem studium omne meum transferre, atq; illi uni penitus addictum esse, nec quicq; quod ab eius interpretibus diceretur, probare, nisi hoc idem apud ipsum Aristotelẽ deprehendissem, quotidie aliquid existebat, in quo animaduerterem, interpretes ipsos lapsos esse, longeq; ab Aristotelis sententia recessisse. Ita cum nõ pauca iam haberẽ, in quib. Aristotelẽ secutus, ab ipsis interpretibus dissentirẽ: necdum tamen quid in illis planè sentiendũ esset, mihi satis esset exploratum, multi me, quibuscum magna mihi erat familiaritas atq; necessitudo, rogabant, uti iam & ipse publicè aliquid interpretarer, utq; aliquando doctoribus operam dare desinerem, quippe qui decem ferè annos continenter illos audiuissem. Tamen eorũ precibus orationeq; adduci nunquam potui, ut quod illi à me contenderent, facere auderem: nimis enim mihi turpe futurum existimabam, si cum auctorem alijs interpretandum sumerem, in quo ipse tantopere hæsitarem. Quare cum flagrantissimo studio quatuor deinceps annos in Aristotele uersatus essem, tũ eos diligenter audiens, qui publicè profiterent, tum ipse per me dies noctesq; in eius lectione plurimùm elaborans, uisum est mihi tandẽ facere, ut quæ doctoratus insignia uocant, his ornarer: quæ adeptus, tum demũ cõstitui amicorũ meorũ & necessariorum monitis ac precibus obtemperare. Itaq; Logicã in celeberrimo Bononiensi gymnasio publicè profiteri cœpi, illud mihi statuens in primis propositũ esse oportere, ut quæ uera ipse iudicarẽ, hæc ijs qui me audirent, liberè candideq; indicarem, nec quicq; omnino celarem. Quid enim, per deos, homini philosopho turpius esse potest, quàm ea quæ à ratione ipsa, ueritateq; aliena existimet, docere, ac pro ueris tradere? Cum igitur hæc primùm ostendissem, librum illum Aristotelis, qui Prædicamenta inscribitur, non esse Logicæ partem: Logicam planè seiunctam esse à Dialectica: Secundas, quas uocant, intentiones, interpretum esse commentum quoddam, ac figmentũ, aliaq; eiusdem generis permulta: quantæ (dij boni) turbæ in me commotæ sunt? quot clamores hominum excitati? cum sui quisq; interpretis, cuius in uerba iurasset, opinionem confutari, pati nullo modo posset, crebroq; nomẽ illius & auctoritatem iactaret. Reclamabant enim, qui Auerroëm, qui D. Thomam, qui Scotum, qui Græcos, aliosq; interpretes sectarentur, ac me unum cuncti pariter, quasi grauissimum aliquod admisissem facinus, iniquo animo petebant. Ego uerò illud excusare: quæ dicerem, nullius me odio, nulla adductum inuidia dicere, sed unius ueritatis studio atq; cupiditate: libenterq; sententiam commutaturum esse tum, cum ostendisset aliquis, falli me, ac decipi: nihil uerò apud me ualere, præter rationem ipsam, atq; Aristotelis auctoritatem. Dies itaque & noctes publicè mihi, priuatimq; disputandum erat: idq; perlibenti sanè animo, ueritatis indagandæ causa, faciebam. Illud autem mihi uerè dicere uideor, neminem me unquam reperisse, cuius non argumentationes, rationesq; omnes mihi planè uiderer, uel facillimè, dissoluere ac refutare posse. Qua quidem re fiebat, ut magis magisq; quotidie meæ illæ confirmarentur opiniones, cum apud meipsum, tum apud nonnullos etiam alios, quibus cum in ijsdem studijs familiariter atq; assiduè uersabar, reliquis omnibus planè dissentientibus, ac contradicentibus. Nec sanè mirum.

rum. illi enim, cum penitus interpretes sectarentur, uel rationes eorum afferebant, uel certè quas ex illis excogitassent ipsi. Ego autem unum mihi Aristotelem sequendum in omnibus proponebam, cuius à me cùm loca plurima citarentur, ad hæc illi, ut mihi quidem, atque alijs etiam uidebantur, aut nihil, aut certè perinania respondebant. Neque tamen à suis illis inueteratis opinionibus, ulla ratione sese dimoueri patiebantur: ob id, credo, ut ille ait,

Ne, quæ imberbes didicere, senes perdenda fateri cogerentur. Ita ego Bononiæ sex annos tum Logicam, tum Philosophiam publicè magna cum animi mei uoluptate sum professus. ac uix dici potest, quàm me libenter in hoc studiorum curriculo exercuerim. Postea uerò cùm accidisset, ut grauissimis mihi de causis inde omnino discedendum esset, maximo quidem cum illius urbis desiderio, Romam sum profectus cum Ioanne Baptista Campegio Maiorensi episcopo. quò ubi perueni, incredibilis me tumultus atque inuidia excepit illorum, quibus tunc fortè meæ hic notæ erant opiniones, assiduusque cum his disputandi labor. Sed nondum anno planè perfecto, quo Romam ueneram, ipsi Campegio, apud quem eram, quo commodius ad literas incumberet, quarum sanè mirifico studio flagrabat, uisum est Patauium se conferre. Me autem, cum iustissimis de causis ab Vrbe discedere nō possem, retinuit apud se frater eius Alexander Bononiensis episcopus. Cuius ego domi nō ita multo pòst, eius rogatu, compluriumque ornatissimorum uirorum, quibus nihil à me satis honestè negari posse uidebatur, ingressus sum ad explanandam Aristotelis Rhetoricen, eam quæ ad Theodecten inscribitur. Idque cùm aliquot dies satis diligenter, accurateque fecissem (ad audiendum enim complures quotidie docti ac honesti uiri confluebant) per quosdam homines mihi pernecessarios egit Hieronymus Saulius Archiepiscopus Barensis, uir omni laude cumulatus, ut me apud se quàm honestissimis conditionibus haberet. Quod cum assecutus esset, apud eum aliquot menses ita quidem fui, ut me, quæ summa eius est humanitas liberalitasque, fratris loco haberet, ac perhonorificè tractaret. Postea reuersus ex Belgis Alexander Farnesius Cardinalis, quò legatus de pace ad Imperatorem Carolum, & Franciscum Gallorum Regem, ab auo eius summo Pont. Paulo tertio missus fuerat, ut erat humanioribus literis planè imbutus, ita Philosophiæ omnium bonarum artium parentis cognitione exornari, perpolirique cupiens, cùm intelligeret, me in Vrbe tum esse (nouerat autem me pridem Bononiæ, ubi humanioribus literis operam dederat) planè curauit, effecitque, ut Hieronymus Saulius, me sibi inuitum sanè inuitus dimitteret: quem ille quidem singulari comitate, liberalitateque complexus est. Cum enim permulta alia, magnaque in me studia & beneficia contulit, tum honestissimo patriæ meæ sacerdotio, ab auo suo Paulo tertio, Pont. max. ornandum curauit. Antequam uerò me apud se haberet, uoluit disputantem audire. Itaque mihi sæpe coram ipso cum eruditissimis ornatissimisque nonnullis uiris differendum fuit. Cùm autem plurima alia nobis in disputationē uenerunt, tum magna in primis de ijs, in quibus ego à cæteris interpretibus Aristotelis discreparē, precipueque de Prædicamentis disputatio fuit. Sed cum his disputationibus nullus posset inueniri modus, Cardinalisque ipse de me quæsisset, cùm illum iam Logica instituere cœpissem, cur non à Prædicamentis, quemadmodum cæteri consueuerunt omnes, initium ducerem: mihi omnino faciendum esse putaui, ut Commentarium scriberem, in quo rationes eas, quibus opinionē meā de Prædicamentis cōfirmari arbitrarer, exponerē. Hoc pertumultuaria quadā opera paucis diebus à me cōfectum Farnesio ipsi tradidi, id ab eo postulans, ut ad philosophos omnes, qui nō in urbe modo, sed tota Italia longè clarissimi essent, illud mitteret, eosque rogaret, ut, quid sentirēt, liberè omnino syncereque significarent, ac rationes omnes, & argumentationes, quas excogitare potuissent, scriptas mitterent: eo scilicet cōsilio, ut si ratione me, ac Aristotelis auctoritate cōuicissent, manus illico darem, libenterque sententiam cōmu

tarem (nec enim me errasse aliquando, cum id humanũ sit, mihi unq̃ turpe futurum existimaui: sed cognito errore, in eo tamẽ uelle perseuerare) simul etiam gratias illis & agerem, & haberem in perpetuum maximas, per quos de errore essem admonitus. Scripsere autem cum alij permulti, tum, quos honoris causa hic appellandos censeo, excellentissimi Philosophi, Buccaferreus, Genua, Madius: quorũ ille Bononiæ, Patauij hi publicum Aristotelis interpretandi munus sustinent. Horum autem rationes omnes, atque argumentationes, cum eiusmodi fuerint, ut nõ modo me de mea sententia nõ depellerent, sed in ea magis etiam confirmarent, quippe quas mihi uiderer nõ magno admodum negocio posse dissoluere, Apologiam cõscribendam putaui, qua tùm eorũ quos nominaui, tum reliquorum etiam rationes omnes & argumenta, quantùm quidem possem, infirmare ac tollere conarer.

Habes iam amice Lector, quemadmodum ego in eas (quas isti quidem nouas inuidiose uocant, ego autẽ perueteres arbitror, quippe quæ & ratione, & uerbis Aristotelis omnino nitunt̃) opiniones discesserim. Habes etiam, quæ mihi necessitas allata sit, eas in uulgus citius omnino q̃ putarã, edendi. Tu, quęso, omnia æqui boniq; cõsule, quodq; me ueritatis studium impulit, ut inuidiæ fluctuũ tot subirem tempestates atq; procellas, idem te ad mea legenda, accurateq; perpendenda incitet: eaq; probanda sint, necne, tuũ sit iudicium. Illud autẽ, uti quidẽ debes, spero, lubens omnino probabis, quod cum mihi ꝓpositum fuerit, ut nõ modo rationes eas quæ cõtra me allatæ essent, infirmarem atq; diluerem, sed multa etiã, quæ ad rem tamen facerent, fusius explicarem, nõ tam mihi breuitatem sectandam censui, quàm communi studiosorum hominum utilitati, quoad eius per me fieri potuit, consulendũ. Quoq; facilius ueritas deprehendi posset, pluribus etiam locis Aristotelis, q̃ interdum fortasse necesse fuit, quæ dicerem, cõfirmare uolui. Reliquũ est, ut ijs respondeam, qui πρὸς ὀλίγα ἐπιβλέψαντες, ἀποφαίνονται ῥᾳδίως, nihil, aut certè parui referre, quo loco statuatur hic Prædicamentorũ liber: utrum cum Logica cõiungatur, ad illamq; ipsam pertinere dicatur, an uerò ab ea penitus seiungatur. Quid? ut artem aliquã, scientiam ue teneamus, necesse nõ est, quæ ad illã pertineant, quæ item nõ pertineant, scire? Equidem neminem tam fatuum esse arbitror, tam rationis omnis expertem, qui hoc fateatur. Ex eo enim planè sequit̃, ut qui cuiusq; artis, scientiæq; finis sit, ignoremus, quo quidẽ in uno omnis posita uidetur esse cognitio. At uerò, si Logicæ tribuas, quæ ab ea aliena omnino sint, atq; hæc ipsa illius esse propria existimes, qui fiet unquam, ut eam rectè percipias, ac nõ tota semper (ut aiunt) uia ridiculè turpiterq; nimium erres? Quid? nonne Primæ philosophiæ naturã omnem, rationemq; penitus ignorabis, ac illã quasi mutilatã reddideris, si ei, quæ sua sunt, ademeris, atque aliæ planè facultati assignaueris? Quid hoc, obsecro, aliud est, nisi totam philosophiæ rationem perturbare & confundere, atq; (ut Poëtæ illius uerbis utar) mutare quadrata rotundis, & terræ (quod aiunt) cœlũ penitus miscere? Sexcenta possem Aristotelis afferre loca, quibus ob hanc ipsam rem (meo quidem iudicio) lapsi sunt interpretes omnes. Sed, quòd ex Cõmentario nostro, atq; ex Apologia satis hoc facilè perspici potest, simul ne epistola ipsa planè iam in uolumen excrescat, plura non scribam. Vnum illud addam, hoc etiã compulsos esse ingeniosos homines, cum ex interpretũ opinione putarent, Aristotelem librum illum Prędicamentorũ ante Logicam collocasse, ut in Aristotelem ipsum inueherent̃, totamq; reprehenderent illius docendi rationem. Cuius quidem generis editus est in lucem Petri Rami liber: ut hinc etiam, quanti res illa æstimanda sit, quiuis facilè possit intelligere, cum ex ea princeps omnium Philosophus, idemq; summus docendi artifex, nõ in leuem inscitiæ atq; imprudentiæ culpam uocetur.

Vale amice lector, nostraq; non alio, atq; à nobis quidem scripta sunt, animo lege.

Antonij

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE

LIBER PRIMVS.

PLVRIBVS rationibus, acutis ſanè, & ingenioſis, conati ſunt multi ea refellere, quæ à me ſcripta ſunt in Commentario, quod ad doctiſsimos ac celeberrimos tota Italia Philoſophos legendum, examinandumq; perferri uoluit ampliſsimus Patronus meus. Verùm quoniam ea quæ eo libello ſum complexus, exiſtimo neq; à ueritate, neque ab Ariſtotelis ſententia aliena eſſe, conabor ad ea quæ contrà ſunt allata, reſpondere, noſtramq; opinionem & Ariſtotelis auctoritate, & ipſa ratione tueri. Ac ne quis fortè putet, quicquam cuiquam falſo aſcribi, eorum qui contrà argumentati ſunt, uerba ipſa recitabo, ac deinceps, ut potero, ad rationes eorum diſſoluendas aggrediar. Ego enim, quæ & antea dixi, & nunc ſum dicturus, cum Peripateticorũ doctrina conſentire, mihi penitus perſuaſum habeo: aliorum tamen, qui non iurarunt in uerba cuiuſquam, erit iudicium. Primus autem, qui contra ipſum libellum noſtrũ ſcripſerit, extitit M. Antonius Genua, uir quidẽ & in Philoſophiæ diſciplina clariſsimus, & omnium bonarũ artiũ peritiſsimus. Quare is etiam primus fuerit, cui ipſe reſpondeã.

Quæritur, an Prædicamentorum liber inter Logicæ libros, uel diuinæ potius ſcientiæ ſit annumerandus. Excellentiſsimus Antonius Mirandula librum hunc tenet non Logicum eſſe, ſed Metaphyſicum, de Metaphyſicaq; modo quodam extractũ eſſe, ac poſt Logicam repoſitum, quandoquidem eorum quæ in libro illo continentur, noticia præexigatur ijs, quæ in naturalibus traduntur. GENVA

Fundamenta, quibus ſuam hanc tuetur opinionem, ut colligere potui, quatuor ſunt, ac ſuper his multa argumentorum ſeries ordinata. Quorum primum: In Prædicamentis res, non rerum uoces conſiderantur, cum genera, ac generis ſpecies cũ ſuis cognoſcantur proprietatibus, qui cognoſcendi modus rei, uti res illa eſt, dici debet.

Secundum: Ens, ut ens, atq; entis ſpecies, quæ genera iſta decem ſunt, à Metaphyſico cognoſcuntur, quam quidem noticiam nõ alia intentione accepit Philoſophus in Prædicamentis. inde ſequi indubiè uidetur, noticiam hanc, uel Primam eſſe philoſophiam, uel ſaltẽ aliquam eius partem. Tertium: Quoniam quæ in Prædicamentis traduntur, regulæ non ſunt, quibus ualeamus in opus exire, quomodo quæ in alijs tradita ſunt Logicæ libris, non Logicæ itaq; particula erit. Quartum: Quæ ad uniuerſam Logicam attinent, pro reperiendis hiſce inſtrumentis, definitione ſcilicet, ac demonſtratione, omnibus numeris habentur perfectæ, ſi initium fiat à libro Perihermeniarum, & in nouiſsima parte Logicæ reponatur terminus.

Super-

Superſedendum itaq; erit à libro Prædicamentorum.

Oppoſitam huic ſententiam tenent omnes, quos legerim, auctoritate digni exponentes, Græci ſcilicet, Latini, & Auerrois: cum eorum monumenta, in exponendo librum hunc, tanquam primum inter Logicæ libros, clara legantur: quamuis non defuerit, qui opinionem illam de rebus Euſtratio attribuerit, Hammonius. In hoc arduo quæſito duo mihi uidentur conſideranda, uero doctore mentem noſtram illuminante. Alterum, de quo in libro iſto Ariſtotelis fuerit intentio, rebus ſcilicet, uel rerum potius intentionibus. Reliquum, quem ordinem tenere debeat. Sit ad primi euidentiam, pro ſententia expoſitorum fermè omnium, concluſio talis: intentionem eſſe de ſimplicibus uocibus res ipſas exprimentibus, nō autem de rebus, neq; de ente, ut ens eſt. Secunda concluſio ad reliquam euidentiam, librum hunc ante cæteros totius Logici negotij libros locandum eſſe. Cōfirmatur prima. nam ſi de generibus iſtis, ut entia ſunt, intentio eſſet, ergo ut abſtracta ab omni materia, atq; immobilia legerentur. Sic requirit Metaphyſica definitio, quæ à cæteris diſtinguitur proprijs diſciplinis, VI. Metaphyſicæ II. Vel igitur per eſſentiam abſtracta erunt, quod dicendum non eſt: uel (ut aiunt) per indifferentiam. At talia, ut ſciantur, egent neceſſariò eorum quæ natura ſunt: ideo ante naturales legendus non erit liber iſte. Quòd ſi dicatur noticia confuſa, ante libros philoſophicos librum hunc cognoſci: tunc perinde dicendū erit de his, quæ per genera hæc manifeſtantur in naturalibus, ac ſi ignotum per ignotius manifeſtari diceretur.

SECTIO PRIMA.

ANT. AD hæc ipſa nunc reſpondebimus, reliqua deinceps intermiſſa repetemus, ſimul & diſſoluere conabimur. Primùm, quod dicit, genera, ut abſtracta ab omni materia pertractari, ſi ut entia ſunt, tractantur: negamus, nos dixiſſe, in libro Prædicamentorum agi de generibus illis, ut entia ſunt: ſed ſubſtantiam pertractari, ut ſubſtantia eſt, quantitatem, ut quantitas eſt, eodemq; modo reliqua. Quòd ſi uir iſte doctiſsimus illud opponeret, me ita exiſtimaſſe, ens, ut ens, ſubiectum eſſe huius libri, ac propterea neceſſariò genera illa ibi pertractari ſub ratione ſubiecti: ſciendum eſt, ita me ſenſiſſe, ens huius libri ſubiectum eſſe, quia eſt ſubiectum Primæ philoſophiæ, cuius hic ipſe liber (ut oſtendimus) eſt pars. Suum tamen in quoq; prædicamento eſſe ſubiectum, ut in Prædicamento ſubſtantiæ ipſam ſubſtantiam, in qualitate qualitatem. Itaq; neceſſariò ibi eſſe aliquod ſubiectū, quod illi doctrinæ unitatē tribuat ſimul cum cęteris partibus Primæ philoſophiæ: quia X. Prædicamenta ſunt inſtar decem librorū, quorum in alio de ſubſtantia agitur, in alio de quantitate, eodemq; modo de reliquis generibus ſigillatim. Conſentiunt autem inter ſe, & cum cæteris partibus Primæ philoſophiæ in communi ſubiecto, quod ſubiectum illi doctrinæ ſuam tribuit unitatem cum cæteris partibus. non tamen

poteſt

poteſt eſſe ſubiectum illi adæquatum, cum non ſit una aliqua doctrina ſeparatim, ſed pars diuinæ doctrinæ, ut liber de Cœlo & mundo, & liber Meteororum conueniunt in ſubiecto communi, quod ſubiectum tamen non eſt ſingulis eorum adæquatum. Quodque hic ipſe liber inſcribatur liber Prædicamentorum numero plurali, uidetur nonnihil fauere noſtræ opinioni: etſi fieri poteſt, ut appelletur liber numero ſingulari, & complectatur multas res diuerſas. Quod uerò infert, oportere decem illa genera ibi conſiderari ſub ratione illius generis: reſponderim (ut ego quidem ſentio) nō modo neceſſe eſſe, ſpecies conſiderari in tota illa facultate, cuius illud eſt ſubiectum, ſub ratione illius ipſius generis, ſed neceſſariò illas ipſas ſpecies in aliqua parte illius totius facultatis, conſiderari ſub ratione propria. Aliter enim illud negandum eſſet, unius ſcientiæ unum eſſe ſubiectum, cuius illa partes & paſsiones conſideret, niſi naturas proprias illarum partium, propriosque affectus contemplaretur. Quo quidem euertitur illud Ariſtotelis 1. Poſteriorum lib. Vnam ſcientiam eſſe, quæ conſi- " derat genus aliquod ſubiectum, eiusque generis partes, & paſsiones. "
In tota igitur diuina philoſophia agitur de ente, quatenus ens eſt: & de omnibus ijs quæ enti ſubijciuntur, quatenus entia ſunt. In hac tamen ipſius diuinæ philoſophiæ parte, hoc eſt in lib. Prædicamentorum, agitur de Prædicamentis, eorumque propria natura: & affectus oſtenduntur. quemadmodū in tota Logica agitur de modis cognoſcendi, ut arte docentur conſtitui. In priore tamen Poſteriorum lib. agitur de demonſtratione, quatenus demonſtratio eſt: in Poſteriore item lib. de definitione, quatenus definitio eſt, commune tamen ſubiectum eſt modus cognoſcendi. Si quis autem uelit ſcire, cur huiuſmodi doctrina, quæ eſt Primæ philoſophiæ pars, à reliquis ipſius Primæ philoſophiæ partibus ſeiuncta ſit, is Commentarium legat, in quo (niſi mea me fallit opinio) ſatis huiuſce rei cauſa oſtenditur.

At quanquam ex his diſſolutum putamus eſſe doctiſsimi uiri argumentum (quod enim diximus, patet ex noſtro libello) tamen nō grauabimur, ut occaſio detur nonnulla declarandi, quæ difficilia ſunt, poſito etiam antecedente, negare id quod infertur. Quod quidem doctiſsimus uir iſte non probauit, ſed fortè tanquam manifeſtum ſuppoſuit, nos ita probari potuiſſe putamus. Ens, ut ens, eſt abſtractum ab omni materia: decem genera ſunt entia, atque ut entia conſiderantur: ergo conſiderantur, ut abſtracta ab omni materia. Quòd ſi ad hunc modum probetur, quod infert uir excellens, priorem negamus propoſitionem, idque hac ratione confirmamus. Ens, ut ens, quod quidem eſt ſubiectum in diuina philoſophia, ſuas habet cauſas, ut patet ex primo Metaphyſicæ libro XVIII. & IIII. I. & VI. I. & multis alijs in locis. In ipſis autem cauſis eſt materia & forma, ut patet ex primo lib. & duodecimo Metaphyſ. ergo eſt cōpoſitum: ſimplicis enim non ſunt cauſæ componentes. Non ergo dicendum eſt, abſtrahi id à materia, quod ex ipſa materia conſtet, & ex forma: niſi propterea abſtractum uocemus, quia eſt uniuerſale: omnia

autem

autem uniuersalia sunt abstracta à materia, quod quidem nihil contrà nos facit.

Quòd si dicatur definitio Primæ philosophiæ abstracta esse, atque ex eo sequi, ut ens, quatenus ens, sit abstractum, negamus id quod assumptum est. Definitiones enim entium, quæ entia per se sunt, atque ut entia considerantur, traduntur per illas causas, ex quibus entia illa dicuntur constitui. hæc est enim ipsius definitionis natura: hæ autem causæ sunt materia & forma, ut ostensum est: ergo traduntur per materiam & formam, eo tamen ordine, quo forma materiã præcedit. atque ideo Aristoteles in Metaphys. loquitur de materia & forma. Quod autem ad illũ Aristotelis locum VI. Primæ philosophiæ lib. attinet, dicimus, Aristotelem noluisse uerbis illis negare, Primã philosophiam definire per materiam, ob eas quæ allatæ sunt, rationes. Quòd si dixerit Philosophũ naturalem definire per materiam: nos id esse causæ credimus, quòd naturalis abstracta primò nõ considerat, etsi re uera abstracta ipsa considerat.

SECTIO II.

Sed quoniam nobis in animo est, ut in procœmio diximus, non modo ea dissoluere, quæ contra nos allata sunt, sed etiam, quo facilius nostra perspici posit dissolutio, aperire multa, quibus (ut opinamur) decepti homines longè ab Aristotelis sententia aberrarunt, multas in medium dubitationes proferemus.

Primùm igitur dicat aliquis: Quid? uidêris illud sentire, Primam philosophiam pertractare materiam, et quæ ex ipsa materia cõstant, & forma: itaque definire per materiam. Quæ omnia Aristotelis testimonio cõpluribus in locis apertissimè tolluntur. Is enim VI. Primæ philosophiæ lib. text. II. Philosophiam naturalem distinguit à cæteris scientijs, propterea quòd uersatur circa ens mobile, & circa substantiam inseparabilem duntaxat. Idem text. tertio ostendit, res naturales definiri per materiam, atque idcirco distinguit ipsam naturalem philosophiam à Mathematicis. Et text. quarto ponit, naturalem philosophiam uersari circa inseparabilia, & mobilia, & quasdam Mathematicas circa immobilia, sed inseparabilia: ut in materia, primam circa separabilia & immobilia. Et lib. octauo, text. IIII. tradit formas naturales definiri per materiam: quod quidem non ita foret, nisi hoc esset proprium naturalis Philosophiæ. Et lib. secundo, text. XXVI.

» *Quoniam autem est, inquit, scientia quædam ipsius entis, ea ratione qua est ens, ac separabile, considerandum est, utrum eadem, an*
» *diuersa potius à naturali sit ponenda. Naturalis itaque circa ea uersa*
» *tur, quæ motionis principium in se habent. Mathematica uerò est*
» *quidem contemplatrix quædam, et circa immobilia uersatur & ipsa,*
» *at non separabilia, uti patet. est ergo circa ens separabile, atque immo*
» *bile, quædam ab his utrisque diuersa, si sit in ratione rerũ quædam sub-*
stantia,

ſtantia, talis ſeparabilis inquam, atque immobilis, quod quidem enite-mur poſtea demonſtrare.

Nam propter genera contemplatiuarum ſcientiarum, & propter ipſas ſubſtantias ſeparatas dicit, diuinam philoſophiam eſſe pręſtantiſsimam, & diſtinctam à philoſophia naturali. Et duodecimo libro Primæ philoſophiæ, text. II.

Subſtantiæ autem tres ſunt. una eſt ſenſibilis, cuius alia eſt perpetua, alia corruptibilis, quam omnes fatentur, quales ſunt plantæ, ac animalia: atque huius elementa ſumantur neceſſe eſt, ſiue unum ſit, ſiue multa. Alia autem eſt immobilis, hanc quidem inquiunt ſeparabilem eſſe, alij diuidentes in duas, alij in una natura ponentes formas ipſas, & Mathematica, alij Mathematica ſolum eſſe dicentes. Illa igitur naturalis ſcientiæ ſunt, ſunt enim cum motu: hæc ad aliam ſcientiam ſpectant.

Et primo libro de Phyſico auditu, text. ultimo.

De principio autem ſecundum ſpeciem, utrum unum, an plura, aut quot, aut quæ ſunt, per certitudinem Primæ philoſophiæ opus eſt determinare: ergo in illud tempus apponatur. De Phyſicis autem, & corruptilibus ſpeciebus in poſterius durandis dicemus.

Item II. lib. Phyſicorum, text. XIX. tradit, res naturales nõ definiri ſine motu. ubi perſpicuè conſtat, eum definitionem cum motu appellare eam, quæ cum materia eſt. & eodem lib. text. XXVI.

Amplius, inquit, eorum quæ ſunt ad aliquid, materia eſt: in alia autem ſpecie alia materia, uſque ad quantum. Ergo Phyſicum oportet cognoſcere ſpeciem, & quod quid eſt? aut, quemadmodum Medicum neruum, aut fabrum æs, uſque ad quendam terminum alicuius. Cuius enim cauſa unumquodque rei & circa hæc, quæ ſunt ſeparatæ quidem ſpecies in materia. Homo enim, & hominem generat ex materia, & ſol. Quomodo autem ſe habeat hæc ſeparabilis, & quid ſit, Philoſophiæ primæ eſt determinare.

Et text. LXXI.

Et tenetur Phyſicus conſiderare omnia, quæcunque mota mouent: quæcunque autem non, non amplius Phyſicæ ſunt. Non enim in ſeipſis habentia motum, neque principia motus mouent, ſed immobilia ſunt. Vnde tria negotia ſunt. hæc quidem circa immobile, alia uerò circa mobile quidem incorruptibile, quædam autem circa corruptibilia.

Et lib. I. de Generatione & corruptione, textu decimoquarto, diſtinguit diuinam philoſophiam à naturali, his uerbis:

Exiſtente autem cauſa una quidem, unde principium motus eſſe

k dicimus,

» *dicimus, una autem materia: talem causam dicere oportet. de illa e-*
» *nim dictum est prius in de motu sermonibus, quod est hoc quidem im-*
» *mobile per omne tempus, illud uerò quod mouetur semper. Horum*
» *autem de immobili quidem principio distinguere, prioris est philoso-*
» *phiæ. De eo autem quod, propterea quod continuè mouetur, alia mo-*
» *uet, posterius assignandum est, quod tale horum, quæ singularium di*
» *cuntur causa.*

Et primo libro de Anima, XV.

» *Si autem sic se habet, manifestum, quoniam passionum rationes*
» *in materia sunt: quare termini tales. ut irasci quidem, motus talis*
» *corporis, aut partis, aut potentiæ, ob hoc, & gratia huius, & pro-*
» *pter hæc. Igitur iam Physici est considerare de anima, aut omni,*
» *aut tali.*

Atque ita patet, quæcunque sunt cum materia, esse Physicæ considerationis: non ergo pertinent ad Primam philosophiam. Item eodem libro, textu decimo sexto scribit, definitionem naturalem esse, quæ ex materia & forma constet. & textu decimo septimo:

» *Aut uerò est, inquit, aliquis qui circa passiones materiæ non se-*
» *parabiles: sed Physicus circa omnes, quæcunque huius corporis, &*
» *huius materiæ opera & passiones sunt. Circa quascunque autem, non*
» *huius, alius: ut circa aliqua quidem artifex est, si contingat, ut instru-*
» *ctor, aut Medicus, non separabilium quidem. in quantum autem non*
» *talis corporis passiones, ut ex abstractione, Mathematicus: secun-*
» *dùm autem, quod omnino separatæ, primus philosophus.*

Quibus omnibus uidetur Aristoteles apertè ostendere, hoc interesse inter diuinam philosophiam, & naturalem, quod diuina philosophia pertractat ea quæ materia carent, naturalis autem ea quæ ex materia constant. Itaque perspicuè apparet, primum philosophum non considerare composita ex materia & ex forma, neque etiam ipsam materiam. Quæ omnia sunt à nobis posita.

SECTIO III.

AT uerò, quoniam & rationes prius allatæ, quæque afferentur, & Aristotelis auctoritates, uidentur id quod à nobis dictum est, comprobare, nisi uelimus, Aristotelem cùm sibimetipsi, tum etiam rationi aduersari: operæprecium est interpretari eos, quos proximè recitauimus, Aristotelis locos. Quare altius repetentes, uberioris, clariorisque doctrinæ causa, quoque, quid inter diuinam philosophiam et naturalem intersit, appareat, dicimus, & diuinā philosophiam, & naturalem considerare materiam & formam, & composita ex ipsa materia & forma, abstracta etiam à materia, quod ad ipsum esse attinet, quod item ad quid est. Quæ omnia sic ostendi posse arbitramur.

Philosophi

Philoſophi naturalis eſt, ſubſtantias quoque ſeparatas contemplari, eo quo dictũ eſt modo. nam philoſophi eſt, quatuor genera cauſarum entis naturalis inueſtigare, ut rerũ naturalium ſcientiam conſequatur, id quod oſtendit Ariſtoteles text. primo primi Phyſicorũ libri. Subſtantiæ autem ſeparatæ ſunt, unum ex quatuor illis cauſarum generibus, ut conſtat. ergo philoſophi naturalis eſt, inueſtigare ipſas ſubſtantias ſeparatas, itemque ſcire illas eſſe (ſunt enim omnino ignotæ) & ipſarum naturam cognitam habere. Scimus enim uerè tum, cum illarum, quæ quidem haberi poteſt, hanc habemus cognitionem. Huiuſmodi autem cognitio eſt, quod ad ipſum eſſe attinet, quod item ad quid eſt: ita philoſopho naturali cauſas cognitas eſſe oportet. quod enim illius proprium eſt, id ab alio perdiſci nõ poteſt: nam deſcenderetur de genere in genus. Huc accedit, ut ſubiectum philoſophiæ naturalis perfectius cognoſceret in alia ſcientia, quàm in ipſa naturali philoſophia. Præterea, ſi philoſophi naturalis eſt cognoſcere materiam & formam, quod ad ipſum eſſe pertinet, & quod ad quid eſt, quia ſunt cauſæ corporis naturalis, cur nõ eſt illius etiam cognoſcere formas abſtractas, & quod ad ipſum eſſe attinet, & quod ad quid eſt, quæ item ſunt cauſæ corporis naturalis? eadẽ eſt enim, ut conſtat, ratio. Philoſophi ergo naturalis eſt, indagare ſubſtantias ſeparatas, quod ad ipſum eſſe pertinet, & ad quid eſt. Ab illo autem materiam & formam, quæque ex his compoſita ſunt, cõſiderari oportere, nemo ſanè in dubium uocare poteſt.

Primæ etiam philoſophiæ eſt, conſiderare cauſas entis, quatenus ens eſt. hoc enim oſtendit Ariſtoteles IIII. Primæ philoſophiæ lib. & VI. primo, ultimoque. & VIII. primo, & XI. primo, & II. lib. Vbi oſtendit, in quatuor cauſis nõ eſſe progreſſum in infinitum. & XII. lib. ubi re ipſa docet omnes cauſas. Sed cum horum entium cauſæ ſint quatuor, formalis, materialis, finalis, efficiens, ut ex eiſdem ferè locis Ariſtotelis patet, conſiderabit primus philoſophus materiam, formam materialem, finem, & cauſam efficientem. In quibus ſunt formæ etiam abſtractæ à materia, & quod ad ſi eſt pertinet, & quod ad quid eſt. Itaque conſiderabit compoſita ex materia & forma. cum enim conſiderentur cauſæ, & elementa compoſitorum, conſiderantur ipſa compoſita. Hoc enim cùm ſatis ipſum per ſe conſtat, tum uerò maximè ex XII. Primæ philoſophiæ lib. text. I. Ergo definiet per materiam & formam, id quod nobis propoſitum fuit oſtendere. Definitio enim oritur ex cauſis rei, quæ definitur. aliter enim non explicaret quid eſt rei definitæ.

Ipſa quoque Prima philoſophia conſiderat ſubſtantias ſeparatas, & quod ad ſi eſt pertinet, & quod ad quid eſt, ob eaſdem rationes, quibus oſtendimus, philoſophiam naturalem eas cõtemplari. ſunt enim & ipſæ cauſæ entis, quatenus ens eſt, atque omnino latet.

Cæterùm, cum naturalis philoſophiæ ſubiectum ſit corpus naturale (ut inferius oſtendemus, cum de connexione VI. lib. Primæ philoſophiæ cum cæteris libris diſputabimus) diuinæ autem philoſo-

phiæ sit ens, ut ens, si quærant causas suorum subiectorum, necesse est, alteram eas quærere ut sunt causæ corporis naturalis, itaq; angustius & particularius: alteram, ut sunt causæ entis, quatenus ens est, & sic latius atque uniuersalius. cumq; eædem sint causæ, distingui illas oportet distinctione subiecti. Easdem uerè esse, præterquam quòd satis apparet, cum ex uniuersa diuina philosophia, tum etiam ex libro Physicorum, præterea ostendit Aristoteles lib. XI. tex. XII. his uerbis:

» *Eodem modo se habet, & circa scientiam naturalem. ipsa namq; naturalis facultas accidentia, principiaq; eorum quæ sunt, ea ratione qua mouentur, non ut entia sunt, contemplatur.*

At quia ens, quod diuina philosophia contemplatur, per se prius natura est, quàm ens naturale, quod philosophia naturalis considerat (ab eo enim nō conuertitur subsistendi cōsequentia) huiusmodi causæ sunt prius causæ entis, quatenus ens est, quàm entis naturalis. Prioris enim rei causæ, necessariò sunt priores. At in his causis sunt substantiæ abstractæ: substantiæ igitur abstractæ sunt prius causæ entis, ut ens est, quàm entis naturalis: itaq; prius natura pertinēt ad diuinā philosophiā, quàm ad naturalē. Non igitur ab re dicere licet, Aristotelem in omnibus locis citatis distinguere ipsam diuinā philosophiam à cæteris scientijs, quòd cōsiderat has causas primò. Ac licet diuina philosophia cōsideret reliquas causas primò eadem ratione, tamen Aristoteles mentionē fecit de substantijs separatis à materia, quòd ex his diuina philosophia suā præstantiā consequit̄. Dixit aūt philosophiam naturalem cōsiderare materiā, quia materia nullā affert excellētiam diuinæ philosophiæ, licet ab ipsa cōsideretur. Sed de his infrà pluribus. Quòd autem Aristoteles (ut diximus) tradat, illas esse primæ philosophiæ, quod primò ad ipsam pertinent, colligi potest etiam ex tertio libro de Cœlo, ubi ait:

» *Esse enim quædam entia ingenita, & totaliter immobilia, magis est alterius, & prioris, quàm Physicæ considerationis.*

Quo in loco, aduerbium Magis earū contemplationem philosopho naturali non derogat, quam primò tamen ipsi primo philosopho tribuit. Aristotelem uerò ita solere loqui, ut dicat quædā aliud habere, quod hoc primò habeant: aliud nō habere, quod primò nō habeāt, cū ex multis alijs locis colligi potest, tū uerò maximè ex VII. Primę philosophiæ lib. ubi sępe ait, quiditatem & definitionem esse substantiarū, non accidentiū, idq; non quod accidentium nullæ sint quiditates & definitiones, sed quod nō primò sunt ipsorum accidentium, quemadmodum substantiarum. Quia igitur, ut ostensum est, Philosophus naturalis cōsiderat easdem causas, ut sciat sua subiecta (scimus enim uerè tum, cum causas cognitas habemus, ut patet ex I. Posteriorū lib. cap. II. & II. lib. cap. III. & I. lib. Physicor. tex. I. & II. lib. XXXVII. & I. Primæ philosophiæ XVIII.) ac dicitur definire per materiam, necessariò dicendū est, primum philosophum etiā definire

finire per materiam eadem ratione. Ex quo quidem facile constat, recte dissolutum esse huius praeclari uiri argumentum, recteq; interpretatas esse auctoritates eas, quas diximus. aliter enim sibi non constaret Aristoteles. totaq; euerteretur Primae philosophiae doctrina, ac in primis XII. liber, in quo maxime de his causis agit.

Ac ne forte isti existiment, noua quaedam nos, planeq; παράδοξα in medium protulisse, non alienum erit (ut intelligant, quanta sit ueritatis uis, quae quidem saepe uel inuitos homines ad se trahit) interpretibus ijs quos ipsi sequuntur, testibus uti, horumq; ipsorum uerbis ex aliqua parte opinionem nostram confirmare. Ex Latinis igitur D. Thomas in VI. Primae philosophiae lib. ita scribit:

"Aduertendum est autem, quod licet ad considerationem Primae philosophiae pertineant ea quae sunt separata, secundum esse, & secundum rationem, à materia & motu: non tamen solum ea, sed etiam de sensibilibus, in quantum sunt entia, philosophus perscrutatur. nisi forte dicamus, ut Auicenna, quod huiusmodi communia, de quibus haec scientia perscrutatur, dicuntur separata secundum esse, nõ quia semper sint sine materia, sed quia non de necessitate habent esse in materia, sicut Mathematica."

Auerroës quoq; in II. lib. Primae philosophiae, Com. LXXI.

"Et scientia, inquit, diuina non considerat de rebus abstractis tantùm, sed & de rebus existentibus, secundùm quod existunt."

At quae existunt, constant ex materia, & ex forma. Sentit igitur, Primam philosophiam considerare etiam composita ex materia & forma. Ioannes item Gandauen. in XII. Primae philosophiae lib. quaestione secunda, haec scripta reliquit:

"Cum dicis, inquit, quòd Metaphysica definit sine materia, conceditur, quò ad tractatũ de substantijs abstractis: sed quò ad alios tractatus praecedentes, bene definit per materiam, non in quantum est subiectum transmutationis, sed in quantum est substantia, & ens."

Nihil ergo noui nos, aut absurdi diximus, cũ idem etiam asserant interpretes ij, quibus isti plurimum tribuunt. Haec ipsa autem argumenti Genuae dissolutio, infrà etiam magis perspicua fiet, ubi quemadmodum sextus Primae philosophiae liber cum caeteris superioribus libris connectatur, quidq; eo ipso libro propositum fuerit Aristoteli facere, ostendemus.

SECTIO IIII.

AT hic illico mihi uidere uideor, qui sectãtur Auerroẽm, quiq; Aristotelis animam in eum illapsam esse iactitant, hos omnes contra nos consurgere, ingentiq; spiritu clamare, nos omnem Aristotelis doctrinam penitus euertere. Ac primùm quidem negabunt, fieri posse, ut primus finis, & prima forma à philosopho naturali considerentur, ut Auerroës in procemio de Physico auditu lib. testatum reliquit: Considerari autem à primo philosopho sine ulla controuersia, idq; ob eas for-

tasse auctoritates, quas antè protulimus. eo enim loco Auerroës nulla ratione suam hanc opinionem confirmat.

Deinde clamabunt, illud omnino à ueritate abhorrere, primum philosophum considerare si est substantiarum separatarum, Naturalem quid est: idq; ex sententia etiam Auerrois in primo Physicorũ libro, Com. ultimo. cuius hæc sunt uerba:

» Sed notandum est, quod istud genus entium, esse scilicet separa-
» tum à materia, non declaratur, nisi in hac scientia naturali. Et qui di-
» cit, quod Prima philosophia nititur declarare entia separabilia esse,
» peccat. Hæc enim entia sunt subiecta Primæ philosophiæ. & decla-
» ratum est in Posterioribus analyticis, quod impossibile est, aliquam
» scientiam declarare suum subiectũ esse. Sed concedit, ipsum esse, aut
» quia manifestum est per se, aut quia demonstratũ est in alia scientia.

Eiusdem est etiã sententiæ in II. Physic. lib. XXVI. Item in secundo Physicorum lib. eodem loco.

» Consideratio autem, inquit, de dispositionibus formarum ab-
» stractarum, secundùm quod sunt abstractæ, & de quiditatibus ea-
» rum, est propria Primæ philosophiæ, non scientiæ naturalis.

Quod habetur ex eis, quæ ad hunc modum scripta reliquit Aristoteles eo loco:

» *Quomodo autem se habeat hæc separabilis, & quid sit, Primæ*
» *philosophiæ est determinare.*

Idem Auerroës in extremo Com. primi Physicorum lib.

» Si hic non demonstraretur, inquit, hoc genus entium non esset,
» si scientia naturalis, & doctrinalis.

Et in II. Physicorum lib. Com. XXII.

» Videtur, inquit, quod prima materia non possit declarari, nisi
» per signum naturale. Via autem, qua processit Auicenna, in proban
» do primum principium, est uia loquentium.

Et in XII. Primæ philosophiæ lib. Com. V.

» Impossibile est declarare, abstractum esse, nisi per motum.

Sed motus, dicent ipsi, est naturalis philosophi: ergo fieri non potest, ut Prima philosophia probet, primam materiam esse, & substantias separatas esse. Quæ quidem omnia ex ipsius Auerrois sententia repugnant ijs, quæ superius à nobis dicta sunt.

Sed quoniam uidentur eæ, quas attulimus ipsi, & rationes, & auctoritates Aristotelis ostendere, eos hac in re decipi, respõdebimus ad ea quæ isti proferre possunt ex Auerrois opinione.

Prima igitur forma, & primus finis considerantur à philosopho naturali, ut sunt causæ corporis naturalis, quemadmodum dictum est de cæteris causis: à primo uerò philosopho, ut sunt causæ entis, quatenus ens est. Hoc autem ita esse, facilè & ex rationibus, & ex ipso Aristotele intelligi licet. Nam cum prima forma, & primus finis sint etiam rerum naturalium causæ, debent cognosci à philosopho naturali. Scimus enim uerè tum, cum causas cognitas habemus.

Antecedens

Antecedens autem ſic probatur. Res naturales agunt propter ultimum finem, ut eſt ultimus finis: ergo ultimus finis eſt cauſa ipſarum, in genere cauſæ finalis. Id enim dicitur alicuius rei cauſa finalis, cuius gratia illa ipſa res fit. Confirmatur ſic antecedens: Deus eſt ultimus finis, res naturales agunt propter Deum, ergo agunt propter ultimum finem. Prior propoſitio ipſa per ſe nota eſt. alteram propoſitionem comprobat Ariſtoteles libro ſecundo de Anima, text. XXX. his uerbis:

"*Naturaliſſimum enim operum uiuentibus eſt, quæcunque perfecta, & non orbata, aut generationem ſpontaneam habent facere alterum, quale ipſum, Animal quidem animal, planta autem plantam, quatenus ipſo ſemper, & diuino participent, ſecundùm quod poſſunt. omnia enim illud appetunt, illius cauſa agunt, quæcunq; agunt ſecundùm naturam.*"

Quod ipſum oſtendens Ariſtoteles eodem lib. text. XXXV.

"*Dupliciter, inquit, eſt hoc quidem cuius, illud uerò cui. Quoniam igitur communicare non poſſunt ipſo ſemper, & diuino, continuatione propter id, quod nihil contingit corruptibilium idem & unum numero permanere, ſecundùm quod poteſt participare unumquodque, ſic communicat, hoc quidem magis, illud uerò minus, & permanet non ipſum, ſed ut ipſum, numero quidem non unum, ſpecie autem unum.*"

Secũdo item de Generatione & corruptione libro, alijs cauſis continuæ generationis allatis:

"*Hoc autem, inquit, rationabiliter contingit. quoniã enim in omnibus inquimus, quod melius deſiderare naturam: ſemper melius autem eſt eſſe, quàm non eſſe (eſſe autem quot modis dicimus, in alijs dictum eſt) hoc autem in omnibus impoſſibile exiſtere, propter longè à principio diſtare, reliquo modo compleuit omne Deus faciens continuam generationem. Ita enim maximè continuabitur eſſe, quia proximè eſt ſubſtantiæ fieri per generationem.*"

Si ergo philoſophus naturalis oſtendit continuam generationem ex Deo, Deus autem (ut ex ipſo Ariſtotele conſtat) eſt finis, neceſſe eſt ipſi philoſopho naturali cognitum habere hunc finem, ut finis eſt: aliter enim non redderet cauſam continuæ generationis ex Deo, & ex fine. Quod ſi illi neceſſe non eſſet cognoſcere perfectè hunc finem, non item neceſſe eſſet cognoſcere cæteras cauſas entium naturalium. eadem enim eſt ratio. nam quæruntur tantummodo, ut ſciamus res naturales. Secundo etiam libro de Cœlo & Mundo, textu LXIIII. uidetur prius oſtendiſſe Ariſtoteles, res naturales (ut dictum eſt) agere propter Deum, quem dicit eſſe cæterorum finem.

„ *Quod autem est, inquit, ut optimè habens, nihil indiget actione: etenim ipsum est, cuius gratia cætera agunt. actio enim semper est in duobus, cum & cuius gratia fit, & quod huius gratia. aliorum autem animalium pauciores, plantarum autem parua quædam, & una forte. aut enim unum aliquid est, quo sortietur utique, quemadmodum & homo: aut & multa alia præuia sunt ad optimum. Hoc quidem igitur habet, & participat optimo: hoc autem attingit propè per paucos motus, hoc autem permultos: hoc autem neque participat, sed sufficiens ad propè extrema uenire. Puta, si sanitas finis, hoc quidem semper sanum est, hoc quidem extenuatum, hoc autem aliquid aliud opus currendi gratia, quare hoc autem plures motus.*

Et textu LXVI.

„ *Maximè quidem illo sortiri fine, optimum omnibus: si autem non semper, melius erit, quanto utiq; propinquius sit optimo.*

Confirmatur autem sic. Si substantia separata, quæ est ultimus finis, consideratur à primo philosopho, ea omnino ratione consideratur, ut est etiam causa finalis entis, quatenus ens est. Non enim ullo alio modo possunt causæ considerari à primo philosopho, ut ipse etiam Aristoteles locis suprà citatis testatum reliquit. Ergo oportet item considerari à philosopho naturali. est enim finis rerum naturalium, ut ex eis quæ antè dicta sunt, facilè constat.

Præterea conclusio illa, Deus est abstractus à magnitudine, est philosophi naturalis, ut sentit ipsemet Auerroës: ergo hæc, Deus est intellectus purus per seipsum existens, separabilis, indiuisibilis, immobilis, erit philosophi naturalis. Talis autem est primus finis, & prima forma: ergo primus finis, & prima forma, spectant ad philosophum naturalem. Probatur consequens ex eo, quod illud uim habet: hæc substantia est abstracta à materia, ergo est intelligentia pura, separabilis, indiuisibilis, immobilis, ut concedit etiam ipse Auerroës: qui ex eo quod substantiæ primæ abstractæ sunt à materia, illas infert esse intelligentes, ut paulò infrà dicetur, quanquam satis etiam res ipsa per se manifesta est. At ex illius sententia antecedens est philosophi naturalis, ergo & consequens. Confirmatur autem, propterea quod in lib. I. de Anima, Com. II. scribit,

„ Philosophum naturalem declarare ultimum finem hominis, quatenus homo est.

At hic ipse ultimus finis hominis, est ultimus rerum omnium finis, quippe qui Deus est: ergo ex ipsius Auerrois sententia, declarat philosophus naturalis ultimum finem. Nec (meo quidem iudicio) quisquam potest eius opinionem tueri, si dicat, naturalem declarare ultimum finem hominis non simpliciter. hoc enim perperam dicitur, tum quia eundem ultimum finem habent omnia entia, ut ostendunt ea quæ suprà recitauimus, Aristotelis loca: tum quia si naturalis philosophus medium habet ad declarandum

ultimum

ultimum finem hominis, quatenus homo est, habebit etiam medium ad declarandum ultimum omnium rerum finem. Nihil enim refert, quod ad hoc quidem attinet, utrum ea res cuius ultimus finis ostenditur, homo sit, an alia quæuis res. Quare Auerroës suam ipsius sententiam euertit.

Hic ipse Auerroës eodem loco:

Diuinus autem, inquit, suscipit ab ea substantiam sui subiecti: hic enim declarabitur, quoniam formæ abstractæ sunt intelligentes, & alia multa de cognitione dispositionum consequentium intelligentiam in eo, quod intelligentia & intellectus.

Ergo naturalis considerat ipsum quid est subiecti Primæ philosophiæ. Probatur consequens à simili ex auctoritate Aristotelis, qui libro primo de Anima, textu tertio,

Inquirimus autem, inquit, considerare, & cognoscere naturã ipsius, & substantiam, postea quæcunq; accidunt circa ipsam.

Quibus uerbis ostendit, philosophum naturalem considerare, quid sit anima, ppterea quia uult inquirere ipsius substãtiam. Quòd si diuinus philosophus petit à naturali substantiam sui subiecti, petit etiã ipsum quid est: ergo petit à naturali quid est substantiæ abstractæ. itaq; naturalis considerat quid est substantiarũ abstractarũ. Sibi igitur nõ constat Auerroës, quippe qui contrarium dixerat, ut ostensum est. Cum uerò sentit, à naturali cõsiderari quid est substantiarum abstractarũ, earumq; accidentia, sequitur, ut ab eodem consideretur prima forma, ut prima forma est: & ultimus finis, quatenus ultimus finis. Non enim illi deest medium substantiarum abstractarum, quæ substantiæ sunt primus finis, & prima forma. Quod si à naturali cõsideratur ipsum quid est, & accidentia, consequens est, ut consideretur primus finis, & prima forma. A' seipso igitur dissentit Auerroës, utpote qui antè id negauerat, quod ex eius dictis sequitur. Iam uerò, ut ad argumenti formam respondeamus, negamus primam formam, ut ipsa est, & primum finem non considerari à philosopho naturali: considerantur enim & ab ipso, & à primo philosopho, eodem modo, quo ipsemet Auerroës ponit, omnes causas considerari & à primo philosopho, & à naturali, à primo scilicet, ut sunt causæ entis, quatenus ens est: à naturali, ut sunt causæ corporis naturalis, sicuti ostendunt & rationes, & Aristotelis auctoritates.

SECTIO V.

QVod uerò secundo loco obijcitur, negamus quoq; genus illud entium non probari esse, nisi in philosophia naturali: quod cũ ex Aristotelis auctoritatibus, tum etiam ex rationibus facilè intelligi potest. Nam ad primũ philosophum pertinere, ostendere substantias separatas esse, tradit Aristoteles tertio Primæ philosophiæ libro, text. v. his uerbis:

Etsi sit huiusce scientiæ circa substantias uersari, utrum una sit circa om-

» *ca omnes, an plures: & si sint plures, utrum omnes generis sint eius-*
» *dem, an aliæ ipsarum sapientiæ, aliæ aliquo alio nomine sint appel-*
» *landæ: hoc etiam ipsum quærere necessarium esse uidetur, utrum sub-*
» *stantias sensibiles solum, an præter has, alias esse, sit asserendum. &*
» *utrum unum sit genus, an genera substantiarum sint plura, ut ij qui for*
» *mas faciũt, censent, ac inter has & sensibilia, res Mathematicas me*
» *dias collocant. De his igitur (ut diximus) cõsiderandũ esse uidetur.*

Et textu IX. eiusdem tertij libri:

» *Maximè uerò quærendum est, atq; tractandum, si præter mate-*
» *riam sit aliqua per se causa, atq; hæc sit separabilis, nec ne: & utrum*
» *una, an plures numero sint.*

Itaq; proponit in Prima philosophia quærendũ esse, an sit aliqua separabilis causa, atq; utrum hæc una sit. & textu XXVIII.

» *Præterea utrum solas substantias sensibiles esse, an præter hasce*
» *dicendum est alias esse: & utrum unum sit genus, an plura substantia*
» *rum sint genera, ut ij putant, qui formas inquiunt & res eas media*
» *esse, circa quas Mathematicas uersari dicunt.*

Hæ autem, ut cõstat, sunt substantiæ separatæ. ergo sentit, ad Primam philosophiam pertinere, non modo quid sint substantiæ separatæ, sed an sint, etiam inquirere, & probare. omnis enim quæstio (ut patet ex II. Posteriorum lib. cap. I.) est medij quæstio. Idem etiã lib. VI. Primæ philosophiæ. text. IIII. confirmat his uerbis:

» *Quòd si quippiam sit in ratione rerum immobile, sempiternum, ac*
» *separabile, patet ad contemplatricem quidem scientiam illius cogni-*
» *tionem spectare, non tamen ad naturalem, quippe cum naturalis facul*
» *tas circa mobilia quædam uersetur, neq; ad Mathematicam, sed ad*
» *aliam his utrisq; priorem.*

Septimo autẽ libro eiusdem Primæ philosophiæ text. IIII. uidetur hanc rem luce clarius ostendere.

» *Sed de his, inquit, quid rectè dicitur, quid non rectè, & quæ sub-*
» *stantiæ sunt, & utrum sint quædam præter sensibiles, an non sint, &*
» *eæ quoquo modo, utrum sit quædam separata substantia, & cur sit,*
» *& quo pacto sit, an nulla sit præter substantias sensui subiectas, con*
» *siderandũ deinceps est, antea quidnam sit ipsa substantia designata.*

Si ergo spectat ad hunc artificẽ quęrere, nunquid sint substantiæ: spectat etiam ob eam quam attulimus rationẽ, ostendere ipsas esse, Textu item XLVI. eiusdem libri:

» *Quid autem, inquit, & quale quid substantiam dicere oporteat,*
» *rursus alio quasi principio sumpto, dicamus. ex his enim & de sub-*
» *stantia illa patebit, quæ à sensibilibus substantijs est separata.*

Quo loco perspicuè ostendit, uelle se de substantijs separatis, ex eis quæ ad Primam philosophiam pertinent, agere. Item lib. XI. tex. VI.

Quoniam

Quoniam, inquit, aliquam ſubſtantiam ſeparatam, præter ſenſibiles ſubſtantias, & eas quæ ſunt hic, putandum eſſe, an non putandum: ſed hæc eſſe ea quæ ſunt, & circa hæc ſapientiam ipſam uerſari putare oporteat. Quærere enim alia quædam uidemur, & hoc eſt propoſitum nobis, uidere inquam, ſi quippiam ſit in ratione rerum ſeparatum per ſe, quod quidem nulli rerum ſenſibilium ſit.

Ex quibus uerbis facilè conſtat, uelle eum inquirere, nunquid ſint huiuſmodi abſtracta. Quod etiam apertius eodem libro, textu uigeſimo ſexto ita declarat:

Naturalis itaque circa eà uerſatur, quæ motionis principium in ſeipſis habent. Mathematica uerò eſt quidem contemplatrix quædam, & circa immobilia uerſatur & ipſa, at non ſeparabilia, uti patet. Eſt ergo circa ens ſeparabile, atque immobile, alia quædam ab his utriſque diuerſa, ſi ſit in ratione rerum quædam ſubſtantia talis, ſeparabilis inquam, atque immobilis, quod quidem enitemur poſtea demonſtrare.

Inquit igitur, ſe poſtea conaturum docere, an ſit talis natura. Quod ſi philoſophia naturalis demonſtraſſet, ipſas ſubſtantias abſtractas eſſe, quatenus ſunt cauſa entis, ut ens eſt, cum ipſa præcedat, ob eas quæ à me in Commentariolo allatæ ſunt, quæq; afferentur, cauſas, dubium non eſſet, quin tales ſubſtantiæ in ratione rerum eſſent. Adde, quòd cum his ipſis locis de ſubſtantijs loquatur, perindè ac nuſquam illas demonſtrauerit, oſtendit ſentire ſe, illas ad Primam ſpectare philoſophiam. Item libro duodecimo eiuſdem Primæ philoſophiæ, loco ſuprà à nobis citato, ad aliud tamen oſtendendum:

Subſtantiæ autem, inquit, tres ſunt. una eſt ſenſibilis, cuius alia eſt perpetua, alia corruptibilis, quam omnes eſſe fatentur, quales ſunt plantæ, ac animalia: atque huius elementa ſumantur neceſſe eſt, ſiue unum ſit, ſiue multa. alia eſt immobilis, hanc quidem inquiunt ſeparabilem eſſe, alij diuidentes in duas, alij in una natura ponentes formas ipſas, & Mathematica, alij Mathematica ſolùm eſſe dicentes. Illæ igitur naturalis ſcientiæ ſunt, ſunt enim cum motu: hæc ad aliam ſcientiam ſpectat, ſi principium nullum eſt ipſis commune.

Sentit igitur, has ſubſtantias ad Primam ſpectare philoſophiam, reliquas ad philoſophiam naturalem. At reliquæ ſubſtantiæ ita quidem ſpectant ad naturalem philoſophiam, ut demonſtret earum cauſas eſſe, ſunt enim ignotæ: ergo iſtæ etiam ſpectabunt ad Primam philoſophiam ſic, ut probentur eſſe, eadem eſt enim ratio. Item eodem libro, textu uigeſimo, ad hunc modum oſtendit, illas eſſe:

Cum

» *Cum autem, inquit, tres sint substantiæ, duæ quidem naturales,*
» *una uerò immobilis, de hac deinceps dicendum esse uidetur. Necesse*
» *est itaque, perpetuam aliquam substantiam immobilem esse: namque omnia cætera quæ sunt, antecedunt. atque si omnes sunt corruptibiles, uniuersa profectò corruptibilia sunt. At impossibile est,*
» *motum, aut ortum, aut corruptionem subire. Semper enim erat, &*
» *tempus simili modo. est enim impossibile, si tempus non sit, prius, aut*
» *posterius esse. Et motus ergo perinde continuus est, ut tempus: unde*
» *tempus ante est idem, quod motus ante est quidam motus affectus.*
» *motus autem non est continuus ullus, nisi isce, qui loco accommodatur, & huiusce, qui est conuersio: non si sit motiuum, uel effectiuum,*
» *nihil autem operetur, motus non erit. Fieri enim non potest, ut id*
» *quod potentiam habet, omnino non operetur. Nulla ergo prorsus*
» *erit utilitas, etsi substantias sempiternas fecerimus. perinde atque ij*
» *qui formas in ratione rerum introduxerunt, nisi quippiam principium insit mutare potens. Neque igitur ipsa sufficiens, neque aliqua*
» *ulla substantia, præter formas. Si enim non operabitur, motus profectò non erit, nec etiam si operabitur. Substantia autem ipsius poten tia est, non enim perpetuus motus erit. quod enim potentia est, id potest non esse. Sit ergo principium tale oportet, ut substantia ipsius*
» *sit actu. Has insuper substantias materiæ expertes esse oportet: perpetuas enim esse quidem quod operatur posse.*

Et textu uigesimo octauo eiusdem libri:

» *Esse igitur substantiam quandam, immobilemque, atque à sensibili separatam, ex ijs quæ dicta sunt, patet.*

Et textu trigesimo:

» *Esse igitur substantias, & harum quænam sit prima, quæ secunda, eodem ordine, quem inter se lationes stellarum habent, dilucidum*
» *esse uidetur.*

Quibus omnibus luce clarius testatur Aristoteles, id se præstitisse, quod libro tertio, & sexto, & septimo, & undecimo pollicitus erat. Si ergo in Prima philosophia dicit Aristoteles, ad primum philosophum pertinere, ostendere substantias separatas esse, idque ostendit: nusquam autem in philosophia naturali hoc illum dixisse apparet: rationi omnino consentaneum est, ita illum sentire, ipsas substantias ad diuinam philosophiam pertinere, non ad naturalem. aliter enim perperam dixisset, quæ citatis locis eum dixisse ostendimus. Id autem sic confirmatur. Ad eam facultatem spectat probare, substantias abstractas esse, ad quam spectat uidere, an sint ideæ: at hoc spectat ad Primam philosophiam, ut ex Prima philosophia ubique constat: ergo ad Primam philosophiam spectat considerare, an substantiæ abstractæ sint. Probatur prior propositio ex eo quòd

in

in Prima philosophia quæritur, utrum sint ideæ: propterea quia existimabant ij qui illas ponebant, esse causas entium, ut patet ex primo Primæ philosophiæ libro, XXXVIII. trigesimonono, quadragesimo & ex libro septimo, trigesimo octauo. Quæruntur enim in prima philosophia causæ rerum. exclusis autem ideis, tanquam non sint causæ, quærendum restat, an sint aliæ causæ præter ideas, ut ex ijs qui citati sunt, quique citabuntur, Aristotelis locis perspicuum esse poterit.

Præterea si philosophus naturalis probare posset, substantias separatas esse, ut sunt causæ entis, quatenus ens est, nulla esset ratio illa Aristotelis sexto Primæ philosophiæ libro, textu primo: Diuinam philosophiam quærere causas entis, quatenus ens est, quia nulla alia facultas potest hoc præstare. id enim præstaret philosophia naturalis.

Item, si philosophia naturalis probare posset causas entis, quatenus ens est, diuina autem philosophia causas entis particularis, altera esset superuacanea: quæreret enim causas subiecti alterius. At consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatur autem ipsa consequens, quia tales causæ sunt eædem in utraque philosophia. Quòd si cum hac tantùm ratione distinguatur, una demonstraret, quod ad alteram spectat, frustra altera laboraret. Prima igitur philosophia non potest agere de causis corporis naturalis: neque rursus philosophia naturalis potest quærere, an substantiæ abstractæ sint, quatenus sunt causæ entis, ut est ens. Primæ igitur philosophiæ erit, quod ad hoc ipsum attinet, demonstrare, illas esse. Quare utraque demonstrabit, illas esse: sed naturalis philosophia, quatenus sunt causæ entis naturalis, ut dictum est: diuina uerò, quatenus sunt causæ entis, ut est ens.

SECTIO VI.

SIc autem inter se distingui diuinam philosophiam & naturalem, præter ea quæ ex Aristotelis sententia diximus, declarat ipsemet Auerroës multis in locis, quorum nonnullos ipsi recitabimus, ut quæ superius dicta sunt, ea nunc etiam melius percipi posśint. In primum igitur Primę philosophiæ lib. decimoquinto ita scribit:

" Consideratur enim de eis in hac scientia secundum quod sunt en-
" tia, non secundùm quod principia naturalis corporis.

Item in octauum text. eiusdem primi libri:

" Et quia perscrutatio de elementis rerum mobilium est propria
" scientiæ naturali, & consideratio de eis in hoc loco non est, nisi se-
" cundùm quod sunt principia substantiarum existentium per se, &
" tamen locutus est hic non de illis sermone naturali.

Et in II. lib. Primæ philosophiæ, com. VI.

„ Et consideratio uniuersalis de omnibus causis, secundùm quod „ sunt causæ, est huius scientiæ: & Aristoteles quamuis utatur hic „ demonstrationibus scientiæ naturalis, tamen inducit eas uniuer- „ salius. Quoniam quanto fuerit demonstratio uniuersalior, tanto „ magis erit proprior huic scientiæ. Et Aristoteles obseruat se in „ hac iteratione, scilicet inducendo demonstrationes uniuersales alio „ modo, quàm in scientia naturali. Et hæc est causa, in iteratione il- „ larum demonstrationum, modo in hac scientia, ut fecit in tracta- „ tu primo.

Et in IIII. Primæ philosophiæ lib. I.

„ Et intendit, inquit, quòd cum quæsierit causas entis, & non „ quæsierit causas entium transmutabilium, uerbi gratia, tunc quæ- „ stio eorum fuit essentialis, si quæreret causas entium propriorum.

Et in VII. lib. Com. V.

„ Et istas easdem opiniones, cum perscrutatum est de principijs „ substantiæ mobilis, scilicet substantiæ naturalis: sed illic, scilicet „ in Physico auditu, fuit perscrutatus alio modo ab isto. illic enim „ perscrutatus est de principijs corporis naturalis, secundùm quod na „ turale, id est secundum quòd quiescit & mouetur. Hic autem per- „ scrutatus est de eis, secundùm quod est substantia tantùm.

Et in IX. lib. Com.

„ De prima autem materia considerat unaquæque scientia, sed „ naturalis considerat de illa secundùm quòd est substantia in po- „ tentia.

Et in XII. lib. Com. V.

„ Sic igitur est intelligenda communicatio istarum duarum sci- „ entiarum, in consideratione de principijs substantiæ, scilicet quòd „ naturalis declarat ea esse, secundùm quod sunt principia substan- „ tiæ mobilis. Philosophus autem considerat de eis, secundùm quod „ sunt principia substantiæ, in eo quòd substantia, non substantiæ „ mobilis. & etiam Philosophus declarat abstractum esse, quod est „ principium substantiæ sensibilis, sed postquam accepit pro conces- „ so à naturali, huiusmodi esse substantiam.

Patet ergò ex Auerrois sententia causas distingui, quemadmodum superius dictum est. Quòd si altera philosophia considerat easdem causas, ut sunt causæ entis, quatenus ens est: altera, ut sunt causæ entis naturalis: ex eius sententia altera non potest considerare, quod ab altera consideratur. nam altera earum (ut dictum est) esset superuacanea. Quod item confirmatur ex uerbis Auerrois. etenim si demonstrationes quæ iterantur in Prima philosophia, sunt uniuersaliores, quàm in naturali, demonstratio de substantijs abstractis in Prima philosophia est uniuersalior, quàm quę est in naturali: ergo non est eadem, sed pertinet ad Primam philosophiam. atq; hęc

ipsa

ipsa probantur substantiae abstractae esse. Quare ex Auerrois sententia, primi philosophi est probare, substantias separatas esse. at contrarium dixit, ergo sibi ipse non constat. Ex his etiam distinctionibus patet, ea esse uera, quae suprà diximus, respondentes ad multos illos Aristotelis locos.

SECTIO VII.

Quod autem ad rationem illam attinet, nullam scientiam probare, suum subiectum esse: Diuinam philosophiam esse scientiam: non ergo probare, substantias abstractas esse, quae sunt eius subiectum: haec ipsa ratio multas habet difficultates. Ac primùm quidem, prior propositio incerta est, & fortasse etiam falsa. Nam si concedamus, quaestionem si est posse demonstrari ab alio, preter primũ philosophum: naturalis enim philosophus cum multorum quid est consideret, debet etiam considerare si est. & Aristoteles II. Posteriorum lib. XXXVI.

Quid enim, inquit, significat triangulus, accepit Geometra: *quod autem est, demonstrat.* "

Si concedamus igitur, quaestionẽ si est posse ab alio demonstrari, praeterquã à primo Philosopho (quod tamen secus uidetur, omnia enim ut entia, à prima considerantur Philosophia) uel si concedamus, ipsam quaestionem simpliciter etiam posse demonstrari: fieri facilè potest, ut subiectum & à priori, & à posteriori demonstretur. Id enim quod causa est, & definitio alicuius rei, notum esse potest, effectu ipso & definito ignoto. Ex quo quidem sequitur, ut ille ipse effectus, idq; quod est definitum, quod scilicet definiri potest, non quod actu definitum sit, demonstrari posit per causam illam, atque definitionem, quae nota sit. Per suam enim quicq; causam sciri licet: quod autem scibile est per demonstrationem, sciri non potest sine demonstratione. At fingamus, id quod dubium sit, esse genus aliquod, ut uerbi gratia, animal: demonstrabitur ergò ipsum animal per substantiam animatam, sensitiuam. eoq; demonstrato, mox ostendemus proprias illius pasiones, et specierum eius. Atque haec una erit scientia, uel quia ex eisdem principijs haec omnia demonstrabuntur, uel quia hoc loco suppositum non est, primam Philosophiam probare illud esse, aut Mathematicam: itaque probabit naturalis philosophia. Nihil item uidetur obstare, quò minus ostendatur ex posterioribus. fieri enim facilè potest, ut posterius aliquid notum sit, priori ignoto, ut declarat illud I. Poster. lib. cap. XII.

Nihil enim aequè praedicantium notius esse, non causam. "

Ac tum quidem propositum sequitur eo modo, quo dictum est. Nota autem causa ignorari posse effectum aliquem, uidetur ex hoc posse colligi, quòd quaestio si est, ut liquet, non posset à priori demonstrari: at consequens est falsum, ergò & antecedens. Consequens autem falsum esse, ostendit Aristoteles II. Poster. lib. XLI. his uerbis:

» *Hoc autem si est, aliquando quidem secundùm accidens habemus,*
» *aliquando uerò habentes quid est ipsius rei, ut tonitruum, quoniam*
» *sonus quidam nubium est, & defectum, quoniam priuatio quædam*
» *luminis, & hominem, quoniam animal quoddam est, & animam, quo-*
» *niam se ipsum mouens.*

Idq; paulo pòst textu quadragesimo secundo declarat exemplo e-clipsis, ad hunc modum:

» *Sit, inquit, primùm quidem defectus, in quo a. luna, in quo c. opposi*
» *tio terræ, in quo b. utrum igitur deficiat, an non, b. quærere est, utrum*
» *est, an non. hoc autem nihil dicitur, quàm quærere, si est ratio ipsius:*
» *& si sit hoc, & illud dicimus esse, cuius ratio est.*

Confirmatur etiam ex primo primæ Philosophiæ lib. LXXXII. uerbis illis:

» *Omnis tamen disciplina per antea nota, aut omnia, aut aliqua sit,*
» *aut per demonstrationem, aut per definitiones efficitur: quoniam ex*
» *quibus definitio constat, antea cognoscantur, & sint nota, oportet, si-*
» *militer & ea quæ fit per inductionem.*

Hoc idem VI. Top. lib. luce clarius ostẽdit Aristoteles, his uerbis:

» *Siquidem, inquit, oportet per genus & differentias definire eum,*
» *qui definiuit bene. Hæc autem simpliciter sunt priora, & euidentio-*
» *ra, quàm species: interimit enim genus & differentia speciem: quare*
» *priora hæc, quàm species, sunt, & euidentiora. Nam specie quidem*
» *nota, necesse est genus & differentias cognosci. nam qui hominẽ scit,*
» *& animal risibile scit. Genere autem, uel differentia notis, non neces-*
» *se est speciem cognosci.*

At genus & differentia sunt id, quod est definitio speciei: ergo fie-ri potest, ut id quod est definitio, notum sit, definito tamen ignoto. idem etiam dicendum est de accidentibus ijs, quæ possunt esse nota, ignotis eis quorum sunt accidentia, posse uidelicet per ipsa acciden-tia demonstrari subiecta: quod ostendit Aristoteles eodem II. Poste riorum lib. XLI. ac nisi quidem hæc ita essent, quæstio si est non pos set, nec à priori, nec à posteriori ostendi. nam si ostenditur, altero ex ijs qui dicti sunt modis ostendatur necesse est. Quòd si uera sint, ut esse quidem uidentur, ea quæ supposuimus, falsum illud est, nullam scientiam posse probare, suum subiectum esse. hoc enim fieri pote-rit, & à priori, & à posteriori, si ignotum sit. Neque huic rei aduer-satur illud Aristotelis I. Poster. lib. cum ait de subiecto supponi quid & quia: quoniam loquitur (ut eo ipso loco patet) de subiecto, de quo uolumus probare passiones: ut si, uerbi gratia, de homine ue-limus probare risibile, necessariò supponendum est, & hominem esse, & quid est homo. Nihil tamen uidetur obstare, quò minus in eadem scientia probemus, hominem esse: deinde ostendamus passiones eius, ut I. quidem Physicorum lib. probatur materia esse,

deinde

deinde afferuntur eius affectiones: quanquam ibi materia non est subiectum. sed quod ad hoc attinet, nihil refert. Verùm quoniam rarò fit, ut probemus esse res eas, quæ uniuerso mundo continentur, ut quę maximam partem notæ sunt, solitus est Aristoteles dicere, de subiecto supponi quid, & quia: quòd uidelicet ut plurimùm quæruntur passiones de subiecto, quibus quidem passionibus quærendis necesse est, semper de subiecto supponi quid, & quia. Tum etiã, quia finis scientiæ est declarare substantiam sui subiecti, eiusq; affectiones. Nec item repugnant ea, quæ sexto libro Primæ philosophię, textu primo tradit Aristoteles, ubi quidem uidetur apertissimè contrarium dicere:

Simili modo, inquit, neq; si sit, an non sit genus id, circa quod uersantur, dicere quicquam uidentur, propterea quod eiusdem est mentis quid est, & si est, declarare. "

Hoc enim sic interpretandum est, quemadmodum tertio libro huius Apologiæ, sectione prima ostendemus. Si enim absolutè acciperetur, si est alicuius rei, nõ posset haberi per demonstrationem à causa, quòd ipsum quid est nusquam demonstrari potest. Quòd si in aliqua particulari facultate demonstrari nõ potest si est alicuius rei, hoc non idcirco fit, quòd sit illius subiectum: sed quia probare aliquid esse in rerum natura, simpliciter fortasse spectat ad primum philosophum. Dictum est enim sæpenumero à nobis ex uerbis Aristotelis, quod cùm ab omnibus, tum uero præcipuè ab ipso Auer. conceditur, considerare aliquid, ut est ens, atque ut est substantia, spectare ad Primam philosophiam: quod quidem uidetur accipiendum esse de compositis, non de causis, ob eas quas superius attulimus, & rationes, & Aristotelis auctoritates. Quare si quid fortè, quod subiectum sit in aliqua facultate, nõ possit in illa alia facultate probari esse, cum est ignotum, id non est causæ, quòd illud sit subiectum. nàm ut est subiectum, nihil repugnat, quò minus probetur: sed quòd probare aliquid esse, fortasse pertinet ad Primum philosophum, uel quia quid est, non potest probari. Nec obstat locus ille, quem citauimus; Geometram accipere quid sit triangulus, demonstrare autem ipsum esse: tum quia id Aristoteles disputãdo dixit, ut patet: tum quia sensus fortasse est, Geometram probare, triangulum esse, non ut est Geometra, sed suscipiendo personam Primi philosophi.

SECTIO VIII.

Sed ut nõ posit ulla scientia, neq; uniuersalis, neq; particularis, demonstrare suũ subiectũ esse, aut à priori, aut à posteriori (non enim hic est de hac re disputandi locus) duo illa asserimus; & Auerroëm in hac re secum dissidere, & fieri non posse ut substantiæ separatę sint subiectum Primæ philosophiæ. Secum autem dissidere Auerroëm, perspicuum est ex Com. tertio. 11. Phys. ubi hæc scribit:

Sciendum est, quòd subiectum huius libri est natura, et principia "

„ naturalia, cum ſint communia omnibus rebus naturalibus: et ideo in
„ hoc libro non definiuit corpus, neq; alia de quibus conſiderat natura-
„ lis, ſicut fecit in principio cœli & mundi.

Et in tertio Phyſicorum libro, Com. 11.

„ Et hinc expreſſit ſuam intentionem in hoc libro, & illa quæ ſunt
„ ſubiecta, ſunt iſtius conſiderationis, & ſunt cauſæ communes, & ac-
„ cidentia communia, quæ apparent ex definitione naturæ.

Quibus in locis ponit, principia eſſe ſubiectum lib. Phyſ. & tamē exiſtimat illa probari: ſubiectum ergò poteſt probari, itaq; ſuam ipſe opinionem conuellit. Sed oſtendamus etiam nacti idoneum huiuſce rei locum, falſum illud eſſe, principia eſſe ſubiectum lib. Phyſicorū. etenim ſubiectum lib. Phyſ. eſt corpus naturale, aut ſubſtantia compoſita, quæ diuiditur in mixtam & ſimplicem, ut ipſe etiam Auer. probat in procœmio 1. Phyſ. libri, his uerbis:

„ Dico, quòd intentio ſcientiæ naturalis in ſumma, cuius intentio-
„ nis iſte liber eſt pars, eſt cognoſcere cauſas ſpecierum ſenſibilium, &
„ cauſas uiſibiles in eis ſpeciebus accidentium, quia ſubiectum huius
„ artis non ſunt niſi res ſenſibiles: ſubiectum dico, ſecundùm quòd
„ tranſmutantur de ſe, id eſt ſecundùm quòd habent de ſe principi-
„ um motus & quietis.

Quòd ſi cauſæ rerum ſenſibilium quæruntur, quia res ſenſibiles ſunt ſubiectum, ipſæ cauſæ nō poſſunt eſſe ſubiectum, uel quia duo eſſent in philoſophia ſubiecta, ex eius ſententia: uel quia non quęruntur propter ſe, ſed propter aliud. Ex quo quidem facilè conſtat, illum à ſe ipſo hac in re etiam diſſentire. Neque uerò illud afferri poteſt, cauſas in lib. Phyſ. quæri propter id quod eſt ſubiectum in uniuerſa philoſophia naturali, ipſas tamen eſſe ſubiectum in eo libro: quòd ubicunque quæruntur cauſæ, quæruntur, ut res naturales ſciantur. Ex quo quidem ſequitur, ut res naturales in eo libro ſint ſubiectum. Confirmatur id autem ex eo, quòd Ariſtoteles ſecundo Primæ philoſophiæ lib. 1.

„ *Contemplatio, inquit, præſens de ipſa ſubſtantia eſt. ſubſtantia-*
„ *rum enim hic principia, cauſæúe quæruntur.*

Argumentor igitur in hunc modum. In lib. Phyſ. quærūtur principia & cauſæ corporis naturalis, ergò corpus naturale eſt ſubiectū. Quòd ſi ullam uim habet ratio Ariſtotelis, ualet etiam illa quam diximus. Confirmatur id quoque ex eo, quòd in lib. Cœli, ſubiectū eſt corpus ſimplex, in cæteris libris corpus mixtū. itaq; in lib. Phyſ. debet eſſe corpus commune mixto & ſimplici. alter enim nuſquam conſideraretur commune illud, cuius quidem omnia quæ conſiderantur in cęteris lib. Philoſophiæ naturalis, ſunt ſpecies. Quare præterquam quòd ex Auerrois ſententia principia non ſunt ſubiectum, ut oſtendimus: præterea illud ipſe Auer. conuellit, quod ad confirmandam opinionem ſuam attulerat, Nullam uidelicet artem probare ſuum ſubiectum. nam, ut cenſet ipſe, lib. Phyſicorum probat principia, quæ ſunt eius ſubiectum.

SECTIO IX.

NEque (mea quidem sententia) probandum uidetur esse id, quod quidam, nec illi cõtemnendi philosophi, ut partes Auerrois tueãtur, solent dicere, hoc commune principium esse subiectum, nõ materiam & formam. etenim cum probentur omnia, quæ hoc principio continentur, probatur etiam ipsum principium, siquidem commune illud principium nihil aliud est, præter ea quæ ipso continentur. est enim unum ex ijs quæ dicuntur secundùm prius & posterius. Præterea Auerroës dicit, principia esse subiectum, non principium. Sed utcunque sit, hæc est deceptio, propterea quòd hoc idem dici posset de substantijs abstractis. nam substantiæ abstractæ sunt plures: diceremus ergò, non plures illas substantias esse subiectum, sed hoc commune abstractum: itaque singulas illas probari à Primo philosopho, non commune illud. quemadmodum ipsi fatentur, singula principia probari, non tamen commune illud. Atque ita etiam Auerrois opinio euerteretur.

Quòd uerò substantiæ abstractæ non sint subiectũ in Prima philosophia, sed ens, quatenus ens, & substantia, quatenus substantia, quia est primum ens, ex ijs quæ superius dicta sunt, satis constare arbitramur. Quòd si dicatur esse species subiecti, & ob hanc causam non posse probari esse, propterea quia Auerroës in secundo libro de Anima, uigesimoseptimo:

" Artifex, inquit, non potest demonstrare subiectum suæ artis, nec " speciem illius subiecti.

Idemq́ confirmauit in VI. Primæ philosophię lib. Com. I. Respõdemus, hanc Auerrois opinionem multas habere difficultates. quarum prima est, quòd nihil obstabit, quo minus ipsæ substantiæ probentur esse: cum dicat in lib. IIII. de Cœlo, XXXV.

" Et hæc demõstratio quia, ad probandum, aliquam speciem esse, " & hoc raro contingit in hac scientia.

Potest ergò aliquando probari aliqua species. Quòd si dicatur, id quod nonnulli dicunt, Auerroëm ita sensisse, eas posse probari, cum latent, ridiculum est profectò: nam ita quidem subiectum etiam probari posset, si lateret. At negat ipse Auer. ullo modo probari posse, " propterea quòd aut est manifestum per se, aut demonstratum est in " alia scientia: quod item dicendum uidetur de partibus subiecti, non ergo rectè ab eo dictum est. Sed, ut ita senserit, quemadmodum supra diximus, tamen suo ipse (quod aiunt) gladio iugulatur, quippe qui dixit, substantias abstractas non posse probari esse, quia sunt species subiecti: quod tamen, ex eiusdem sententia falsum est. siquidem licet species probari tum, cum latent: substantiæ autem abstractæ maximè latent. Quamobrem qui partes eius tueri conantur, hi quidem acriter illum imprudentes oppugnant. etenim sic tuentur, ut (quod est omnium absurdissimum) sibi ipse minimè constare uideatur. Verùm egregius philosophus M. Antonius

 Zimarra,

Zimarra, cui nos etiam aliquandiu dedimus operam tum, cum Patauij philosophiam non mediocri cum laude profiteretur: alia addita conditione diceret, partes subiecti à signo probari posse tum, cum latent, & cum illa scientia, cuius sunt partes subiectiuæ, habet mediũ aliquod notius: quod quidem non contingit substantijs abstractis. quę etsi latent in prima philosophia, tamẽ quia primus philosophus nullum habet medium quod sit notius, probari nõ possunt ab ipso Primo philosopho. Sed (quod tanti uiri pace dixerim, cæterorumq; qui eiusdem sunt sententiæ) hoc uidetur Auerrois opinionem euertere: qui in 1. Phys. com. ultimo ait,

„ Et qui dicit, quòd prima philosophia nititur declarare, entia separabilia esse, peccat: hęc enim entia sunt subiecta primæ philosophiæ. Et declaratum est in Poster. analyt. quòd impossibile est, aliquã scientiam declarare, suũ subiectũ esse: sed concedit, ipsum esse, aut quia est manifestum per se, aut quia est demonstratum in alia scientia.

Et in II. Physicorum lib. XXVI.

„ Et notandum, quòd consideratio in esse istarum formarum est in scientia naturali, non in prima philosophia, sicut existimauit Auicenna: quoniam in hac scientia apparet, istud genus formarum esse. deinde considerat de quiditatibus, & dispositionibus earum: & hoc est uerum. Impossibile enim est, aliquam sciẽtiam, aut uniuersalem, aut particularem, declarare subiectum, siue per signum, siue per demonstrationem simpliciter: quod non est ita in causis sui subiecti, quoniã declarat eas per signum, non per demonstrationem simpliciter.

Si ergo Auerroës, quoniam dixit in primo Poster. lib. nullam scientiam probare suum subiectum, sed concedere ipsum esse, uel quia manifestum est per se, uel quia declaratum est in alia scientia: sentit, fieri nõ posse, ut substantiæ abstractæ ostendantur à primo Philosopho. non existimat hoc idcirco fieri, quòd illæ sint species subiecti. Nam in 1. Poster. lib. non declarat, species subiecti non posse probari. Nec item species, quæ latent, demonstrari non posse, quòd scientia illa medio careat: eius enim ratio supponit tantummodo fieri. propterea quod nulla scientia, siue sit uniuersalis, siue particularis, potest probare, suum subiectum esse. Quòd si illud dicatur, substantias abstractas non esse subiectum, nullam uim hoc habet: quia Auicenna dixisset, illas non esse subiectum, sed species subiecti, quæ latent. Quòd uero negatur prima philosophia habere medium, hoc nihil ad rem. Nam semper reprehendendus esset Auerroës, qui eam attulisset causam, quæ non uerè est causa. Cur enim substantiæ separatæ à primo philosopho non possint ostendi, id esset causæ, quòd prima philosophia caret medio. Quocirca illud superuacaneum esset, ac falsum, substantias abstractas non posse probari, quod sunt subiectum: subiectum autem non potest, neque à priori, neque à posteriori ostendi. Constat igitur, eos hac in re sui Auerrois opinionem planè labefactare, & conuellere.

SECTIO X.

Verùm quoniam oſtendimus, ſubſtantias abſtractas non eſſe ſubiectum: atq; ut ſint ſubiecti ſpecies, tamen nihil obſtare, quò minus probari poſſint à primo Philoſopho: cōſequens eſt, ut, quò facilius ueritas percipi poſſit, oſtēdamus, eas non eſſe ſpecies, ſed principia ſubiecti: idq; non ſolùm ex Ariſtotelis auctoritate, ſed ex ipſo etiam Auerroë. Verùm prius teſte utemur Ariſtotele, qui I. primæ philoſophiæ lib. textu. VII.

Omnes enim, inquit, eam ſcientiam, quæ ſapientia nuncupatur, circa primas cauſas & principia eſſe putant.

Et eodem libro textu decimotertio,

Nam primorum ipſam principiorum, ac cauſarum contemplatricem eſſe oportet.

Et textu decimoſexto,

Nam & Deus omnibus cauſa, principium ùe quodammodo eſſe uidetur. Deus ergo eſt prima cauſa, & principium.

Et VI. lib. tex. V. cum oſtendiſſet, primam philoſophiam circa inſeparabilia atq; immobilia uerſari, hæc ſubdidit:

Omnes autem cauſas ſempiternas eſſe neceſſe eſt, maximè autem iſtas. ſunt enim cauſæ diuinorum his quæ ſunt manifeſta. iſtæ enim ſunt ſubſtantiæ abſtractæ.

Et XI. libri primi:

Sapientiam quidem circa principia ſcientiam eſſe.

Et tex. VII. eiuſdem undecimi libri:

Talia autem quærimus, æterna ipſa principia, atq; prima.

Et eodem textu uigeſimo ſexto:

At ſi qua eſt in ratione rerum talis natura, ibi profectò & ipſum diuinum erit, idq; erit principium primum, atq; principium maximè.

Et duodecimo libro uigeſimoquinto:

Prima nanq; mutationum latio eſt, & huius ipſa conuerſio, atq; illud hoc motu mouet, ergo neceſſariò eſt ens. atq; ut neceſſarium eſt, rectè etiam hoc pacto principium eſt.

Deinde hæc intulit:

Ex tali igitur principio cœlum ipſum, naturaq; pendet.

Et textu uigeſimooctauo:

Qui uero putant (ut Pythagorici, Speuſippus) id quod eſt optimum, præſtabiliſſimumq;, rationem principij non ſubire, propterea quòd & plantarum & animalium cauſæ quidem ſunt, bonum autem atque perfectum in ijs eſt quæ ſunt ex illis: ij profectò non rectè arbitrantur.

Sunt ergo ſubſtantiæ abſtractæ cauſæ, atque hæ quidem conſiderari debent, uti cauſæ. aliter enim conſiderarentur ſecus, atque ſunt. Non ſunt igitur, neque ſubiectum, neq; ſpecies ſubiecti. Non ſunt autem ſubiectum, propterea quia ſunt cauſæ: conſiderantur

enim

enim propter aliud, ut patet ex IIII. primæ Philoſophiæ lib. tex. I. ubi ita ſcribit Ariſtoteles,

" *Quoniam autem principia, ſummasq; cauſas quærimus, patet, ipſas*
" *neceſſariò per ſe cuiuſpiam eſſe naturæ: quod ſi & hi qui eorum quæ*
" *ſunt, elementa quærebant, hæc principia quærebant, neceſſe eſt, &*
" *elementa eius quod eſt, ut eſt ens, & non per accidens eſſe. Qua-*
" *propter & à nobis eius quod eſt, ea ratione qua ens, primæ cauſæ*
" *ſunt ſumendæ.*

Ex hoc enim quod quęrendæ ſunt cauſæ, quæ neceſſariò ſunt per ſe alicuius naturæ, infert, quærendas eſſe cauſas entis, quatenus eſt ens: ergo neceſſariò quęrũtur cauſæ propter aliud, aliter enim nulla eſſet Ariſtotelis ratio. Hoc idem patet ex XII. Primæ philoſophiæ lib. eodem loco, et ex VI. Primæ philoſophiæ lib. tex. quinto.

Neque ſunt etiam ſpecies ſubiecti. nam quod eſt ſubiecti cauſa, non poteſt eſſe ſpecies ſubiecti: idem enim eſſet principium, et (ut ita dicam) principiatũ ratione eiuſdem, quod quidem fieri nequit. quod enim cauſa eſt generis, aut eius quod eſt loco generis, cauſa eſt ſpeciei. Quòd ſi huiuſmodi cauſæ ſint cauſæ entis, ſunt etiam cauſæ ſpecierum entis. At aduerſarij concedunt, huiuſmodi eſſe ſpecies entis: ergo ſunt cauſæ, & principium entis. itaque idem eſt, & principium & principiatum, ut dictum eſt. Ex uerbis igitur Ariſtotelis, atque ipſa ratione oſtendimus, ſubſtantias abſtractas eſſe principia, & à primo Philoſopho conſiderari ut principia. Item neq; eſſe ſubiectũ, neque ſpecies ſubiecti. Oſtendamus iam hoc idem ex ipſo Auerroë, qui locis citatis, ubi oſtendebat, quid inter conſiderationem naturalem & primã Philoſophiam intereſſet, hoc poſuit. Qui item in duodecimo primæ Philoſophiæ lib. com. quinto, hoc ipſum apertiſsimè teſtatum reliquit, his uerbis:

" Sed quia modus conſiderãdi in hac ſcientia, eſt de principijs ſub-
" ſtantię, in eo quod eſt ſubſtantia, ſiue æterna, ſiue non, incœpit decla
" rare in hoc tractatu de principijs ſubſtantiæ non æternæ, & fecit re-
" memorationem de hoc quod declaratum eſt ex eis in naturalibus,
" & in præcedentibus tractatibus. Deinde poſt hoc incœpit declara-
" re principia æternæ ſubſtantiæ, & poſuit etiam hoc quod declaratũ
" eſt in naturalibus, & conſiderauit de eis conſideratione propria
" huic ſcientiæ: uerbi gratia, quòd eſt ſubſtantia prima, & forma, &
" quòd eſt principium & finis.

Veritate igitur impulſus Auerroës, in eam quam diximus ſententiam diſceſsit. itaque (ut ſuperius dictum eſt) à ſe ipſo diſcrepat.

Verùm hic dicat aliquis, Ariſtoteles XI. primæ Philoſophiæ libr. tex. XXVI. uidetur huic rei aduerſari. qui cum multa dixiſſet, hæc intulit:

" *Harum autem ipſarum præſtabiliſsima eſt ea, quam ultimò dixi-*
" *mus: circa nanque præſtabiliſsimum eorum quæ ſunt in ratione re-*
" *rum, uerſatur.*

Præſta-

Præstabilior autem quæque scientia dici suo subiecto solet. Cum igitur Prima philosophia dicatur præstantior ratione substantiarum separatarum, sequitur, ut ex Aristotelis sententia, substantiæ separatæ sint subiectum. Hoc idem prius VI. Primæ philosophiæ libro, textu quinto, sic innuerat:

Non est enim obscurum, si usquam diuinum ipsum est, in tali esse natura, atque præstabilissimam facultatem, maximeque honorabile genus uersari oportet. " " "

Substantiæ igitur abstractæ sunt subiectum, siquidem sunt genus illud præstabilissimum, maximeque honorabile, in quo uersari oportet Primum philosophum.

Sed quoniam uidentur eæ quas attulimus, & rationes, & Aristotelis auctoritates, apertissimè ostendere, substantias abstractas neque esse subiectum, nec species subiecti, sed eius principia, quæ nouissimè citauimus loca, bono sensu omnino interpretanda sunt. Quem quidem illũ esse arbitramur: Primam philosophiam esse præstabiliorem ratione entis, in quo uersatur, quatenus est ens: quam perfectionem consequitur ens ex suis causis, quæ sunt substantiæ abstractæ. Quòd si illas Aristoteles subiectum appellat, hoc propterea facit, quia sunt subiecti causæ, perfectionesque eius. idque ex eo uidetur patêre, quod ipse eodem textu, cum dixisset, talem naturam abstractam esse principium, paulopòst dixit, esse circa id quod est, ut ens est. & VI. lib. eodem textu V. propè finem,

Atque de eo quod est, ut ens est, & quid nam sit, & ea quæ ipsi competunt, ut ens est, & ad hanc profectò scientiam pertinet contẽplari. " "

Non enim illud potest dicere, duo esse Primæ philosophiæ subiecta: neque item, ob eas, quas attulimus, rationes dici licet, esse species subiecti. Necessariò igitur intelligendum est eo modo, quo diximus.

SECTIO XI.

VErùm adhuc etiam firmioribus rationibus adductus aliquis fortè dubitarit, quomodo fieri possit, ut substantiæ abstractæ sint causæ entis, quatenus est ens, quod quidem est subiectum Primæ philosophiæ: item sint etiã causæ substantiæ, quæ est primum ens. ex hoc enim sequitur, ut falsa sit hæc propositio, Deus est ens. item, Deus est substantia. ens enim est compositum, utpotè quod habet quatuor causas. quemadmodum falsa est illa propositio, Anima est animal: totum enim non prædicatur de parte. At hoc falsum est, falsum est ergò & illud, substantias abstractas esse causas & principia entis, quatenus est ens, & substantiæ, ut est substantia. Hoc autem à ratione alienum esse negare Deum esse ens, item, Deum esse substantiam, ex eo colligi potest, quod scriptum reliquit Aristoteles II. Primæ philosophiæ lib. textu IIII. V. & VI. in hunc modum:

Verum

" *Verùm autem sine causa nescimus. unumquodque autem maximè cæterorum est ipsum, quo & cæteris nomē idem cum eadem competit ratione: ut ignis est calidissimum, nam cæteris hic caliditatis est causa. Quare & id est uerissimum, quod est posterioribus, ut uera sint, causa. Quapropter eorum principia quæ sint semper, uerissima sint semper necesse est. Non enim interdum sunt uera, neque illis, ut sint, quicquam est causa, sed cæteris illa. Quare ut quodque est, sic ueritatis est particeps.*

Si ergo Deus est causa, quamobrem cætera sint entia, & substantia: Deus erit ob eam quam attulit Aristoteles rationem, non modo ens, & substantia, sed magis ens, & magis substantia. Quod quidem confirmatur ex ijs quæ VIII. Primæ philosophiæ lib. textu ultimo ita scribit Aristoteles:

" *Quæcunque uero non habent materiam simpliciter, quod quidem entia aliquid.*

Quibus uerbis uidetur innuere, Deum esse ens absolutè. est enim expers materiæ. Necessariò igitur concedendum est, illam propositionem esse ueram, Deus est ens, & substantia: ergò falsum est, Deum esse principium entis & substantiæ, contra quod toties iam demonstratum est.

Verùm, quoniam hæc difficultas facit etiam contra eos qui putant substantias abstractas esse species, sunt enim (ut ipsi quidem arbitrantur) simplices, quò melius res intelligatur, uidendum est, utrū ens, quod est subiectum primæ philosophię, sit compositum nec ne. Nam uidetur, cum in recto prædicetur de differentijs, quæ sunt simplices, nō esse compositum. Antecedens autem probatur ex ijs quæ III. Primæ philosophiæ lib. textu XXXIX. ita scribit Aristoteles:

" *At neque ipsum unum, neque id quod est genus, esse potest. differentias enim uniuscuiusque generis, & esse, & unamquanque unam esse, necesse est. Fieri uero non potest, ut species generis de differentijs proprijs, aut genus sine suis speciebus dicatur, aut prædicetur. Quare si id quod est, aut unum ipsum sit genus, nulla differentia aut unum, aut ens erit.*

Et undecimo Primæ philosophiæ libro, textu quarto:

" *Hæc autem fuerint id quod est, ipsumque unū. hæc enim omnia quæ sunt, continere maximè uidebuntur, & principijs maximè similia esse, propterea quod non sunt prima. His enim corruptis, cætera quoque cōtinuò simul uniuersa tolluntur: omnia enim ens sunt, & unum. Verum cum differentias participes ipsorū esse necesse est, si quispiam ipsa genera posuerit esse, differētia uero nulla generis particeps esse potest, hoc sanè non uidebitur, ipsa esse genera ponere principium oportere.*

Itaque patet, ens cum prædicetur de differentijs, esse simplex. differentiæ enim sunt simplices: quare poterit prædicari de Deo in recto.

Aliter enim nihil intereſſet inter eas, & reliqua genera.

Verùm quoniam & Ariſtotelis uerba, & ipſa ratio comprobant ea quæ diximus; uidelicet ens, quod eſt ſubiectum in Prima philoſophia, eſſe cõpoſitum, itaq; eſſe ſubſtantiam, quæ eſt prima ſpecies entis, ipſorum enim quæruntur cauſæ: diſſoluenda uidentur, quæ contrà allata ſunt. Prius tamen de ente, & de ſubſtantia, quæ quidẽ eſt primum ens, nonnulla diſſeremus. Ariſtoteles igitur lib. v. Primæ philoſophiæ, textu decimo tertio docet, ens dici & per accidẽs, & per ſe: ens autem per ſe diuidi in decem Prædicamenta. deinde ſubdit:

Præterea ipſum eſſe uerum ſignificat, & non eſſe non uerum, ſed falſum, tam in affirmatione, quàm in negatione. "

Inſuper inquit Ariſtoteles:

Ipſum eſſe, & ens, partim id quod potentia, partim id quod eſt actu, ſignificat. "

Patet ergo, ens per ſe, quod dicitur de decem generibus, eſſe ſubiectum Primæ philoſophiæ. habet enim ſpecies: itemq; eſſe compoſitum ob eas quæ allatæ ſunt rationes, neq; ullum eſſe aliud ens. Textu item decimo quarto, cum de ſubſtantia ageret,

Subſtantiæ, inquit, dicuntur & ſimplicia corpora, ut ignis, & terra, & aqua, & quæ ſunt ſimilis generis, & corpora omnino, & ea quæ ex hiſce conſtant, & animalia inquam, & dæmonia, parteſq; iſtorum. Atq; hæc omnia propterea dicuntur ſubſtantiæ, quod non de ſubiecto dicuntur, ſed de his cætera dici ſolent. Alio modo ſubſtantia dicitur, quod cauſa eſt eſſendi. ineſtq; in talibus, quæ de ſubiecto non dicuntur, qualis eſt anima animalium: præterea partes, quæ ſunt in talibus definientes, atq; hoc aliquid ſignificantes: quæ ſi tollantur, tollitur totum. ut ſi tollatur planum, corpus, ut quidam inquiunt, tollitur: & ſi linea, planum, atq; omnino numerus, quibus talis eſſe uidetur. Si tollatur enim, nihil inquiunt eſſe, & ipſum inſuper definire omnia indicant. Præterea quiditas, ratio cuius eſt definitio, & cuiuſq; ſubſtantia dicitur. Fit igitur, ut ſubſtantia modis duobus dicatur, ipſum inquam ſubiectum ultimum, quod non ulterius de alio dicitur: et id quod hoc aliquid, ac ſeparabile eſt. Tale autem uniuſcuiuſque ſpecies, atq; forma. "

His ita declaratis, ad argumenta reſpondemus, Deum poſſe duobus modis accipi. altero modo, ut intelligatur id quod eſt compoſitum ex intelligẽtia, & orbe, quod uiſus eſt innuere Ariſtoteles II. lib. de Cœlo, textu tertio, ubi ait,

Eſt autem cœlum animatum, & habet motus principium.

Anima autem primi cœli nõ poteſt eſſe, niſi Deus: eſt enim principium motus in eo. neq; ibi poteſt eſſe ulla alia anima, ex Ariſtotelis ſententia, ut patet ſexto Primæ philoſophiæ libro, text. v. Nam aut

esset separata à materia, aut contrà. si nō esset separata, cœlum esset generabile & corruptibile. Sin aūt esset separata, esset intellectus purus, simplex. Itaq; duo ibi essent intellectus, quorum alter esset superuacaneus. duodecimo item Primæ philosophiæ lib. text. XXVII.

» *Dicemus aūt, inquit, ipsum Deum animal perpetuū optimū esse.*

Altero modo Deus sumi potest, ut intelligatur forma abstracta à materia, & pura, quæ sit primū omnium principiū, seclusa omni cœli materia. Quæ cū ita sint, si Deus priori modo accipiať, propriè est ens, & substātia, item magis ens, & magis substantia. Sin aūt accipiatur altero modo, Deus neq; est ens, neq; substātia, ꝓpterea quod est causa entis, & causa substātiæ, ob eas quæ allatæ sunt rationes: ob ea itē quæ dicta sunt de ente per se, q̃d dicitur de x Prędicamētis, quod est subiectū in Prima philosophia: & ob id q̃d dictū est, alio modo id substātia diciť, quod causa est essendi, inestq; in talibus, quod subiecto nō dicunť, qualis est anima animaliū. Neq; hoc absurdū est. nā omnia quæ reperiunť, aut sunt entia secundùm rectū, aut entia propterea quia sunt causæ entis, uel affectiones, uel aliquid ipsius entis. Quod sic ostendit Aristoteles IIII. Primæ philosophiæ lib. text. II.

» *Id aūt quod est, dicitur quidē multipliciter, sed ad unum, & unam*
» *quandā naturam, & nō æquiuocè: sed ut omne sanū ad sanitatē dici-*
» *tur, partim quia cōseruat, partim quia efficit, partim quia indicat ip*
» *sam, partim quia est susceptiuum ipsius, & medicatiuum item ad me-*
» *dicinam (aliud enim tale ex eo dicitur, quia medicinam habet: aliud,*
» *quia aptum est ad ipsum: aliud, quia opus est medicinæ, & alia plura*
» *simili modo) sic & id quod est, multis quidem modis, sed ad unum prin*
» *cipium dicitur. Quædam enim quia substantiæ sunt, entia dicuntur:*
» *quædam, quia substantiæ sunt affectus: quædam, quia sunt ad sub-*
» *stantiam uia, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut*
» *effectiua, generatiuaq; substantiæ, uel eorum quæ ad ipsam dicuntur*
» *substantiam, aut alicuius horum negatio, uel substantiæ. Quocirca*
» *& id quod non est, non ens dicimus esse. ut igitur et omnium sanorum,*
» *sic & cæterorum est una scientia.*

Et undecimo libro, textu nono:

» *Cum autē scientia philosophi uersetur circa id quod est, ea ratio-*
» *ne qua ens est uniuersaliter, & nō per partem: id aūt quod est, multi-*
» *pliciter, & nō uno modo dicatur: si æquiuocè quidē dicitur, et nō per*
» *rationē ullam cōmunem, nō sub unam sanè scientiā cadit, nō est enim*
» *talium unum genere. Sin uerò cōmune quippiam dicitur, cadet profe*
» *ctò sub scientiam unam. Videtur igitur modo iam dicto dici, ut me-*
» *dicatiuū, ac sanum, & horum enim unumquodq; multis dicitur modis.*
» *unumquodq; aūt hoc ex eo dicitur modo, quia aliud ad medendi facul-*
» *tatem, aliud ad sanitatē aliquo redigitur modo, ad idem tamē reduci*
» *tur unumquodq;. Medicatiua nanq; ratio, cultellusq; propterea dici*

tur,

tur, quod illa quidē à medendi proficiſcitur facultate, iſte aūt huic eſt "
ſimiliter. & ſanum partim ex eo dicitur, quia ſignificatiuum eſt ſani- "
tatis: partim ex eo, quia eiuſdem eſt effectiuum. Idem eſt & in cæte- "
ris ſimilibus modus, eodem & ens omne dicitur modo: ex eo namque "
unumquodque ipſorum ens dicitur, quia eius quod eſt, ea ratione qua "
eſt ens, aut affectus, aut habitus, aut diſpoſitio, aut motus, aut quip- "
piam cæterorum talium eſt. "

SECTIO XII.

CVm ergo entia dicantur omnia ea, quæ connumeratà ſunt, patet, ea quæ ſunt cauſæ entis, dici entia tantùm, propterea quia ſunt cauſæ entis. Itaque Deus, qui eſt cauſa entis, & ſubſtantiæ, dici poterit & ens, quia eſt cauſa entis, & ſubſtantià, quia eſt cauſa ſubſtantiæ. Non ergo Deus falſo dicitur eſſe ens. Item etiam uerum eſt, ens & ſubſtantiam eſſe compoſita. Quod autem ad ea attinet Ariſtotelis loca, quæ contrà uidentur facere, ita reſpondemus. Si intelligamus, Deum eſſe ens, & ſubſtantiam eo modo, quo dicimus, hominem eſſe ens & ſubſtantiam, falſum id eſſe: quòd propriè compoſita ex materia & forma, dicuntur ſubſtantia: Forma uerò & materia uocantur ſubſtantiæ, quia ſunt cauſa ſubſtantiæ. Hoc autem ita eſſe, uidetur Ariſtoteles oſtendere, cùm multis aliјs locis, tum uerò præcipuè ſeptimo Primæ philoſophiæ libro, textu uigeſimo, ubi ait:

Subſtantia autem manifeſtiſsimè quidem corporibus uidetur com "
petere: quamobrem animalia, plantas, parteſq; ipſorum ſubſtantias "
dicimus eſſe, & item corpora naturalia, ut ignem, aquam, & terram, "
& talium ſingula. & quæ ſunt horum partes, quæ ex his ut partibus, "
aut quibuſdam, aut omnibus conſtant. cœlum inſuper, ac partes ipſius, "
ſtellam, ſolem, & lunam. "

Et paulo pòſt:

Ex his igitur conſideratis fit, ut materia ſubſtantia ſit: at eſſe nō "
poteſt, quoniam ſeparabile, atque hoc aliquid, ſubſtantiæ maximè ui "
detur competere. Quapropter forma, & id quod ex utriſque con- "
ſtat, ſubſtantia magis quàm materia uidebitur eſſe. Ea igitur ſub- "
ſtantia, quæ ex utriſque, ex materia inquam, atque forma conſtat, o- "
mittenda. eſt enim poſterior, atq; clara. "

Et textu quadrageſimo ſexto:

Sed qui formas inquiunt eſſe, partim rectè dicunt, ſeparantes "
ipſas, ſiquidem ſubſtantiæ ſunt. forma enim eſt tantùm ſeparabilis "
ratione. "

Vult ergo, ſubſtantiam eſſe ſeparabilem. hæc autem cum ſit maximè compoſita, illud concludendum uidetur, compoſitum eſſe maximè ſubſtantiam. Et octauo libro, textu primo:

" *Nunc autem de substantijs hisce pertractemus, quas omnes esse fa-*
" *tentur: eæ uerò sunt sensibiles ipsæ substantiæ, quas quidē materiā uni-*
" *uersas habere constat. Est aūt ipsum substantia, alio quidē modo ipsa*
" *materies. atq; materiam cum dico, quæ nō actu hoc aliquid, sed poten-*
" *tia est, alio uerò modo ratio atq; forma, quod quidē est hoc aliquid, at-*
" *que separabile ratione. Tertium autem est id quod ex hisce constat,*
" *cuius generatio solius est, quodq; simpliciter est separabile.*

Quæ uerba declarant, cōpositum magis propriè esse substantiā, quàm formā, quia est simpliciter separabile: forma uerò est tantùm separabilis ratione. Et II. lib. de Anima, text. II.

" *Dicimus itaq; unū quoddā genus eorū quæ sunt, substantiā ipsam:*
" *huius aūt aliquid quid est, ut materia, quæ secūdùm se quidē nō est hoc*
" *aliquid: aliud aūt, sicut formā et speciē, secūdùm quā iam dicitur hoc*
" *aliquid: & tertiū, quæ est ex his. est aūt materia potentia, species aūt*
" *endelechia. & hoc dupliciter, hoc quidē sicut scientia, illud autē sicut*
" *cōsiderare. substantiæ aūt maximè uidētur corpora, et horū physica.*

In prædicamento uerò substantiæ, luce clarius hanc rem uidetur significare, ubi ait:

" *Substantia autem, quæ proprijssimè, principaliter, & maximè*
" *dicitur, quæ neque de aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, ut*
" *aliquis homo, uel aliquis equus.*

Cū ergo ens cōpositum, & substantia cōposita propriè dicat̄ ens & substantia, falsò dicit̄ Deus esse ens, & substantia propriè: idq; tantùm abest ut sit absurdū, ut sit etiā maximè necessariū. Quare cū dicitur, Deus est ens, & substātia, ita dicit̄, propterea quia est causa entis, & substantiæ. nā quod est causa entis, & substantiæ, id (ut ostensum est) dicitur substātia, & ens. ea itē quæ sunt affectiones entis, dici entia, docet Aristoteles VII. Primæ philosophiæ lib. tex. I. his uerbis:

" *Cum autem id quod est, tot modis dicatur, patet, horum primum*
" *ens esse ipsum quid est, quod quidem substantiam ipsam significat. Cæ-*
" *tera autem ex eo dicuntur entia, quia eius quod hoc pacto est ens, quæ-*
" *dam quantitates, quædam qualitates, quædam passiones sunt, quædā*
" *aliud quippiam tale.*

Et nono Primæ philosophiæ libro, textu primo:

" *Dictum est igitur de substantia, quæ quidē est primū ens, & ad*
" *quod omnia prædicamenta ipsius entis cætera reducuntur. Ratione*
" *nanq; substantiæ, quantitas, qualitas, et cætera, quæ hoc pacto dicun-*
" *tur entia, dici solent: uniuersa enim rationem substantiæ habebunt.*

Et duodecimo Primæ philosophiæ libro, textu primo:

" *Et insuper, ut absolutè loquamur, neq; entia sunt hæc, sed quali-*
" *tates, & motus: quemadmodum non album, atq; non rectum. nam &*
" *hæc dicimus esse, ceu non album est.*

Quemad-

Quemadmodum igitur nõnulla dicuntur entia, quia sunt passiones & affectiones entis: ita etiam quædam dicuntur entia, quia sunt causæ entis. ut multa dicũtur bona, quia sunt causa boni. Quod declarauit Aristoteles primo Rhetor. lib. ad hunc modum:

Quoniam ergo bonum dicimus, quod nõ alterius, sed sui ipsius gratia est expetibile, & quod appetunt omnes, & quod quæcunq; mentẽ & prudentiam habent, expeterent, et efficiens, ac conseruans, uel id ad quod hæc consequuntur.

His igitur ita expositis, ad eos quos ex II. Primæ philosophiæ lib. citauimus, locos respondemus, nihil hos ad ea quæ diximus, pertinere, propterea quod cum à nobis dictũ esset, Deum esse ens et substantiã, quia est causa ipsius entis & substãtiæ, citati sunt loci illi ad ostendendũ, Deum esse uerè ens: sed magis ens, q̃ quicq; aliud. Quibus tamen locis propositũ nõ est Aristoteli probare, Deum esse magis ens, & magis uerum: sed ea quibus alicuius rei ueritatem assequimur, ueriora esse, & principia cognoscendi. Quod idem I. Poster. lib. docuit, cum probauit, ea per quæ scimus, magis sciri, quia propter quod quicq; est, & illud magis. Hoc aũt ita esse, planè cõstat ex uerbis Aristotelis. Cũ enim ostendisset cõtemplationẽ ueritatis, quà facilem esse, quà difficilẽ, causasq; huiusce difficultatis exposuisset, dixissetq;, qui studiũ in ea suũ collocassent, eorũ neminem, ne exiguam quidem eius partẽ satis copiose tractasse: neq; tamen idcirco ueteres à nobis philosophos cõtemnendos esse, sed his gratiã potius habendam, qui nõ parum posteris adiumenti attulissent. cũq; ostendisset, scientiã philosophiæ appellari ueritatis cõtemplationem, quòd finis cõtemplatiuæ est ueritas, actiuæ opus: subiũxit, uerũ nesciri sine causa, idq;, quoniã facta erat mentio de uero. Hic aũt quærere potuit aliquis, quemadmodũ sciatur ipsum uerũ: quare intulit, uerũ, cuius aliqua est causa, sciri per illam ipsam causam, ut I. Poster. lib. & primo Physicorũ testatum reliquit. Cum uerò dixisset, uerum sciri per causam: quærere aũt potuisset aliquis, an causa illius ueritatis esset uera, respondet, probatq;, ipsam esse uerissimam, his uerbis:

Vnumquodq; maximè cæterorum est ipsum, quo & cæteris nomẽ idem cum eadem competit ratione: ut ignis est calidissimum, nam cæteris hic caliditatis est causa: quare & id est uerissimum, quod est posterioribus, ut uera sint, causa.

Quæ omnia eadem sunt, atq; ea quæ I. Poster. lib. scripta reliquit: uariat tantummodo in exemplo. Ex quibus omnibus patet, eum loqui de ueritate illa, quæ finis est scientiæ. Loquitur enim de ueritate, quæ est finis cõtemplatiuæ (nam uerum est id etiam, quod scitur) & de illa causa, quæ efficit scientiam. Verũ em̃, inquit, sine causa nescimus. quare sentit, uerũ sciri per causam. At causa, qua scitur uerũ, est demonstratio. hac enim una scimus uerũ, cõplexum ex causis. Sentit igitur, uerũ sciri per demonstrationẽ. At demonstratio est ex principijs, quibus uerum cognoscimus. ergo principia magis sunt uera,

quia sunt causa, quamobrem cōclusio sit uera. itaq; loquitur de principijs demōstrationis: nō ergo uoluit illud dicere, Deum esse magis ens, & magis uerum, sed quod II. Poster. lib. ita scripserat,

» *Sunt autem quædam, quæ fiunt uniuersaliter. semper enim & in*
» *omni, aut sic se habent, aut fiunt. Alia uerò semper quidem non, sed*
» *sicut frequenter sunt: ut, non omnis homo masculus barbam emittit.*
» *Talium ergo necesse est medium, sicut frequenter esse. itaque infer-*
» *tur, eorum quæ semper sunt, semper esse principia:*

Subdidit hæc uerba:

» *Quapropter eorum principia quæ sunt semper, uerissima sint sem-*
» *per necesse est: non enim interdum sunt uera, neque illis ut sint, quic-*
» *quam est causa, sed cæteris illa. Quare ut quodque est, sic & uerita-*
tis est particeps.

Quibus quidem uerbis ostendit differentiam, quæ est inter principia uerissima, quibus principijs uerum addiscimus. Ait enim, principia cognoscēdi ea quæ semper sunt, semper uerissima esse oportet: nam semper sint, necesse est. Principia uerò cognoscendi ea quæ non semper sunt, sed ut in pluribus, hæc nō semper, sed ut in pluribus necessariò uerissima sunt. Nam ut quidque est, sic & ueritatis est particeps. si quid enim æternum sit, eius item ueritas æterna est. Sin autem est ut in pluribus, eius item ueritas ut in pluribus consistit. Ac licet huiusmodi causæ sint etiam causæ (ut ita dicamus) in essendo, tamen ut per ipsas ueritatem consequimur, accipiuntur in cognoscendo. aliter enim non sciremus ipsam ueritatem. Quod aūt uera sint ea quæ diximus, patet ex eo quod & I. lib. Periher. & III. de Anima, & VI. Primæ philosophiæ, textu ultimo dixit Aristoteles, Verum & falsum consistere in affirmatione & negatione. Quare non dicimus propriè loquendo, Deum esse uerum, & uerissimum: erit tamen uera propositio illa, Deus est æternus, perpetuus, incorruptibilis.

SECTIO XIII.

VErùm dicet aliquis, ut uerba illa ex secundo Primæ philosophiæ libro nihil ad rem faciant, tamē nō omnis sublata est difficultas. Nam argumentum, quo utitur Auerroës in II. Phys. lib. Com. IIII. uidetur suam adhuc uim obtinere, nec quicq; esse labefactatum. ostendit enim ibi Auer. com-
» positū esse magis substantiam, quàm materiā. atq; ait, Æquius esse
» formā dici substantiam, q̄ materiā, quod illa est in actu, hęc in poten
» tia. item etiam formā, quàm cōpositum, quod per formā, inquit ipse,
» compositum est in actu, causa autem rei est dignior causato. Verùm contra hoc argumentum allatæ iam sunt rationes, dissolutio uerò elicitur ex loco illo II. Primæ philosophię lib. antè prolato. Nam cū utatur Auerroës hac propositione, propter quod quicq; est, & illud magis: docuit ibi Aristoteles propositionē esse uerā tum, cum et causæ & effectui conuenit idem nomen eadem ratione. Quod quidem

hac in re secus accidit. etenim ens, et substantia, nō eadem ratione cōueniunt & Deo & cōposito, uerbi gratia, homini. siquidē Deo conuenit ens, & substantia, propterea quod Deus est causa entis, & substantiæ: homini uerò propriè, quia per se existit, & substat. Ita dicendū est de materia, & forma. uocantur enim substantiæ, & entia, quia sunt causa entis & substantiæ: cōpositum uerò dicitur substātia propriè. Licet ergo cōpositum sit substantia propter formā, non tamen forma est magis substantia, quia substantia non conuenit formæ, & cōposito eadem ratione. Hoc igitur nihil facit cōtra eam, quam attulimus ipsi, dissolutionem. Sed iam principalis argumenti dissolutionem repetentes, dicimus, falsam esse illam propositionē, Deus est ens, Deus est substantia propriè, si ea notione sumatur Deus, ut intelligatur intelligentia prima sine orbe: quemadmodū hęc item falsa est, anima est animal, totū enim non prędicatur de parte hoc modo. Vera tamē est illa propositio, Deus est ens & substantia, id est causa entis & substantiæ: item hæc etiā, Anima est animal, id est causa animalis. Nihil ergo obstat, quo minus substantiæ separatæ sint causa entis, ut ens est, & substātiæ, ut est substantia, id quod ex Aristotelis sententia statuimus. Quod uerò ex VIII. Primæ philosophiæ lib. textu ultimo affertur, ad hoc respōdemus Aristotelē dixisse, substantias abstractas esse simpliciter entia, propterea quia sunt causæ entis simpliciter, neq; sunt entia ꝓpter aliquā causam: sed hoc ipsum quod entia sunt, cōtinuò ipsa per se assequunt̃, quemadmodū X. prædicamenta. id quod & D. Thomas, & ipsemet Auerroës loco superius citato uidentur significare, & ex uerbis etiam Aristotelis satis colligi licet. Neq; aliter dici posse, ostendunt eæ quas suprà attulimus, & rationes, & auctoritates. Quod uerò ad id attinet, quod contra nos " deinceps allatum est, respondemus, satis constare ex rationibus ijs quas protulimus, ens & substantiam, quæ est primum ens, esse composita, ac nullum genus prædicari de differentijs in recto, si differentiæ sumantur propriè: sunt enim simplices. Neq; item ipsum ens, ob eandem rationem posse de illis prædicari. Siquidem nullum compositum potest de simplici prædicari. Ad Aristotelis autem uerba respondemus, id quod eo loco ait Alexander, nō tamen ex omni parte, sed quatenus dicit, hanc rationē esse probabilē. Inquit enim:

Cæterum hæc argumentatio Logica, hoc est probabilis solùm " mihi esse uidetur, ut plurimæ, quibus utitur. Mihi autem uidetur e " tiam probabilis, non ob eas rationes quas reddit Alexander, sed ob eam quam ipsi attulimus. Satis uerò habuimus ostendere, interpretes eos quos ipsi sequuntur, concedere rationem illā Aristotelis esse probabilem, non demonstratiuam. Alias tamen rationes compluribus locis attulit Aristoteles, quibus uerè probauit, ens & unum non esse genus. Quòd si dicatur illud uerum esse, omnia quæ sunt, esse entia: hoc idem quod antè respōdemus, omnia esse entia in recto, quia sunt uel causæ entis, uel affectiones, & huiusmodi reliqua.

At hic dicet aliquis, quando tibi propositū est, ut non solùm uiris

iſtis doctiſsimis reſpondeas, ſed multa etiam declares, quæ ſolent ma gnas Ariſtot. uerbis tenebras offundere, nõ alienum erit, cũ in hunc ſermonẽ incideris, nonnulla in medium proferre de huiuſmodi differentijs. Dixiſti enim neq; genus, neque ens prædicari de differentijs proprijs in recto, propterea quòd differẽtiæ propriȩ ſunt ſimplices, & ſine materia. Hoc autẽ uidetur apertiſsime diſcrepare ab his quæ ſcribit Ariſtoteles in Prædicamento ſubſtantiæ, ubi ait:

» *Nõ eſt aũt propriũ ſubſtãtiæ hoc. nãq; differentia eorũ eſt, quæ in ſubiecto nõ ſunt. Bipes enim et greſsibile de ſubiecto quidẽ homine dicitur, in ſubiecto aũt nullo eſt. nõ enim in homine eſt bipes, neq; greſsibile. Ratio quoq; differentiæ de illo dicitur, de quo ipſa differentia prædicatur: ut greſsibile de homine dicitur, ratio quoque greſsibilis de homine prædicabitur.*

Quibus quidẽ uerbis nõ poteſt ille nõ loqui de differentijs. aliter enim falſum eſſet, illas non eſſe ſubſtantias, quas tamẽ dicit prȩdicari de ſubiecto ſecundùm nomẽ, & ſecundùm definitionẽ. De homine enim dicitur greſsibile, & ratio greſsibilis. ſunt ergo cõpoſitæ: non enim dicerentur de cõpoſitis. Quare falſum uidetᷣ, eſſe id quod à te ſuprà dictũ eſt. Ad hanc quidẽ rationẽ uidetur reſpondere Alexander 1. Top. lib. his uerbis: » Vnde nõ putandũ eſt, hoc dictũ in prædicamentis eſſe neceſſarijſsimũ, quòd differentiæ de ſubiectis prædicentur, eſſe dictũ de differentijs propriè dictis, ſed de differentijs cũ materia: quia omne quod prædicatᷣ de ſubiecto, de eo in quod quid eſt prædicatur. Si uerò differentiæ prædicarentur in quod quid eſt, ergo eſſent genera, & nõ differentiæ. Nam dicitur hoc in loco, nõ acceptas eſſe differentias propriè, ſed cũ materia. Verum ea quæ dixit Alexander, nõ ſatis uidentur cũ ueritate conſentire. Nã ſi eo loco accipiat Ariſtoteles differentias impropriè, & quæ dicuntur de ſubiecto: ea aũt quæ dicũtur de ſubiecto, ut cõcedit ipſe, ſint in eo quod quid eſt: quæq; ſunt in eo quod quid eſt, ſint genera: illæ ipſæ differentiæ, de quibus loquitᷣ, erunt genera, ac ita quidem ſecundæ ſubſtantiæ. Dixit enim Ariſtoteles initio Prædicamenti ſubſtantiæ,

» *Secundæ autẽ ſubſtantiæ dicuntur ſpecies, in quibus eæ quæ principaliter ſubſtantiæ dicuntur, inſunt. Et hæ quidem, & harum ſpecierum genera, ut quidam homo, in ſpecie quidem eſt in homine, genus uerò ſpeciei animal eſt. Secundæ ergo hæ ſubſtantiæ dicuntur, ut eſt homo, atq; animal.*

Quòd ſi differẽtiæ, de quibus loquitᷣ Ariſtot. ſunt genera, ſunt etiã ſecũdæ ſubſtantiæ. Loquitur eñ de differentijs ſubſtantiarũ. falſum eſt igitur, proprietatẽ illam, Cõmune eſt aũt omni ſubſtãtiæ, in ſubiecto nõ eſſe: nõ eſſe propriam ſubſtantiæ, quòd cõueniat differentijs, de quibus ibi loquitur Ariſtot. quæ nõ ſint primæ ſubſtantiæ. Sed hoc diſsidet cũ Ariſtotele, qui negauit hoc eſſe proprium ſubſtantiæ, propterea quia cõuenit differentijs, quæ ex ipſius ſententia non ſunt ſubſtantiæ.

Sectio

SECTIO XIIII.

HAmmonius ait, loqui hoc loco Aristotelem de differentijs simplicibus, & propriè quæ non sunt substantiæ: cum ibi loquatur de substantijs cõpositis, quæ aut sunt, indiuidua, aut species, aut genera. itaq; ipse dissolueret argumentum. Sed ipsi Hammonio illud apertissimè licet opponere, quod ita exponendus est Aristoteles, ut loquatur de his differentijs, quæ dicuntur de subiecto secundùm nomen, & secundùm definitionem. At huiuscemodi sunt differentiæ compositæ. simplices enim, ut rationalitas, non prædicantur de homine. ergo loquitur de compositis, non de simplicibus. Quod loquatur de compositis, constat etiam ex illis uerbis:

Si greßibile de homine, & ratio greßibilis de homine prædicabitur: est enim homo greßibilis. "

Quare dicendũ uidet̃, Aristotelẽ eo loco agere de substantijs duntaxat cõpositis, quæ quidẽ sunt aut genera, aut species, aut indiuidua substantiæ. Dixisse aũt, differentias non esse substantias, accipiendo illas ut sunt simplices: cum enim cõiunctæ sunt cũ materia, sunt genera & species, in quibus insunt particulares substantiæ: hoc tamen loco cum dixerit, eas dici de subiecto, coniunctæ sunt cũ materia, quas tamen necesse est accipi perinde ac si essent sine materia, propter eas quas aduersus Alexandrũ attulimus rationes. Sumuntur aũt cũ materia nõ solùm in eo loco, sed in omnibus definitionib. nã si absq; materia sumerentur, nõ prædicarent̃, neq; explicari posset quid est alicuius rei. preterea notiora sunt concreta, quàm abstracta. Nam si ita dicamus, homo est animal rationale, rationale est cum materia: significat enim animam rationalem cum sua materia, quæ quidem nihil aliud est, nisi homo: accipitur tamen ac si esset sine materia, ut dictum est. Quòd si ita sensisset Hammonius, cum dixit Aristotelẽ loqui de differentijs simplicibus, rectè (mea quidem sententia) dixisset: ipse tamẽ neq; hoc dixit, neq; ita exposuit uerba Aristotelis, ut intelligeret differentias cũ materia. Concludimus ergo, Aristotelẽ dixisse differentias nõ esse substãtias, quia sunt simplices. ipsum aũt loqui de cõpositis, nõ quod nõ sint substantiæ, cũ sint ipsius substantiæ causæ.

At statim hic dicet aliquis, hoc aduersari Aristoteli, qui quinto Primæ philosophiæ libro, textu uigesimo sexto ita scribit:

Quale namque uno dicitur modo ipsa substantia differentia. quale nanque animal est homo, & quale equus, & qualis item figura est circulus, si interrogabimur, bipes accommodatè, quadrupes, carens ungulis, respondebimus. "

Ex quo patet, substantiæ differentiam qualitatem quandam esse, ut diximus. & v. Phys. lib. text. XVIII.

Et namque differentia quale est. "

Non sunt igitur substantiæ, sed qualitates, ut sentit Aristoteles. prædicantur enim in quale: non ergo rectè, neq; à te, neque ab Hammonio,

monio, neq; ab Alexandro dicta sunt ea, quæ superius ex eorum sententia protulisti: innuunt enim, illas esse aliquo modo substantias. Verùm quoniam ratio obstat (necesse est enim principia substantiæ esse substãtias, ut patet ex I. Phys. lib.) alia proferemus Aristotelis loca, quibus apertè dicit, prædicari differentias in quid, itaq; esse substantias. II. enim Poster. lib. textu LXVIII.

» *Ad probandum aũt, inquit, terminũ per diuisionem, tria oportet*
» *coniecturari, accipientem prædicantia in eo quod quid est, & hæc or*
» *dinare, quid primum, aut quid secundum, & quod hæc omnia sunt.*

Quod si uult accipere omnia quæ sunt in quid est, atq; ea ordinare, necesse est, præter genus, esse item differentias in quod quid est. Nam si solum genus esset in quod quid est, cum in unaquaq; definitione nõ reperiatur nisi unum genus, nõ acciperentur plura prædicantia in eo quod quid est, sed unum tantùm prædicans: neq; ordinarentur inter se huiusmodi prædicantia, quæ quidẽ dixit Aristoteles ordinari: neq; item doceret ipse Aristoteles probare terminos per diuisionẽ, q̃d tamẽ pollicitus est sese docturũ: esset enim imperfectus, propterea quòd nõ doceret accipere differẽtias, quæ, ut opinant̃ aduersarij, nõ sunt substãtiæ, sed qualitates, & prędicant̃ in quale. Vult ergo Aristoteles differentias prędicari in quid, nõ in quale, itaq; esse substantias. In text. item LXIX. eiusdem II. lib. hęc scripta reliquit:

„ *Quod aũt omnia hæc sunt, manifestũ est ex eo, quod accipimus pri*
„ *mum secũdùm diuisionẽ: quoniã omne, aut hoc, aut hoc: est aũt hoc. Et*
„ *iterũ huius totius differentia, ultimi aũt nõ amplius esse differentiã,*
„ *uel etiã statim cũ ultima differentia à toto nõ differre specie hoc: ma*
„ *nifestũ enim hoc, quoniã nec plus apponitur. omnia enim in eo quod q̃d*
„ *est, accipiũtur horum: neq; deficit nihil, aut enim genus, aut differẽtia*
„ *utiq; esset. Genus quidẽ igitur est hoc primùm, & cũ differẽtijs prius*
„ *hoc acceptũ est. Differẽtiæ enim oẽs habẽtur. nõ enim amplius erit po*
„ *stremũ: specie enim differret. et ultimũ, hoc aũt dictũ est nõ differre.*

Dicit igitur, si desideraretur aliquid eorũ quæ sunt in quod quid est, hoc esset aut genus, aut differentia. differentia ergo ex illius sententia est, in quod quid est. septimo item Topic. lib. cap. IIII.

» *Nam si definitio, inquit, est oratio, quæ quid est esse rei significat,*
» *& oportet ea quæ in definitione ponuntur, in eo quod quid est, de re*
» *sola prædicari. Prædicantur autem sola in eo quod quid est, genera*
» *& differentiæ, manifestum, quoniam si quis sumat ea quæ tantùm de*
» *re in eo quod quid est prædicari oportet, quoniam ratio hoc habens,*
» *definitio ex necessitate erit:*

Et in capite octauo dixit:

» *Ut quoniam eorum quæ sunt in assignata definitione, hoc quidem*
» *genus est, id uerò differentia: & quoniã in eo quod quid est, genus &*
» *differentia prædicantur, sine his impossibile fieri syllogismum.*

Sentit

Sentit igit, differentias prędicari in quid est: itaq; sunt substantiæ, nō qualitates. Cum ergo reperiantur in utranq; partē uerba Aristotelis, ratio aūt (ut ostensum est) cum his faciat, quæ nouissimè attulimus, necesse est (ut sibi cōstet Aristoteles) ea bono sensu intelligere, quæ uidentur ostendere, differentias esse qualitates: quæ quidē ita sunt interpretanda, ut existimemus, differentias prædicari in quale, atq; esse qualitates, quæ formā referunt, ac formæ speciem obtinent, si cōferantur cū genere, quod quidē genus refert ipsam materiam, ut recte etiam uidetur hoc declarare Porphyrius. Nihil ergo contra ea quæ diximus, uidelicet differentias in Prædicamēto substantiæ esse substantias simplices, non compositas.

His ita expositis, constat recte dissolutum esse alterum Auerrois argumentum, quo ostendebat, substantias separatas non posse à primo philosopho probari esse, propterea quod sunt illius subiectum, sed hoc à naturali dūtaxat fieri. ostēdimus enim, primū philosophū necessariò probare illas esse, quatenus sunt causæ entis, ut est ens: neque illas esse subiectū eius, aut subiecti species, sed principia subiecti. itaq; patet, recte nos ea statuisse, quæ antè posuimus. Cōstat etiā, quo modo naturalis consideret rerū abstractarū quid est, & q̄modo primus philosophus. itaq; dissoluta sunt ea, quæ cōtrà uidebant̄ facere.

Ad confirmationem uerò, quæ sumitur ex ipso Auerrois ultimo Com. I. Phys. lib. nego illud consequi, ut si in philosophia naturali non demonstraretur genus hoc entium, non esset, nisi philosophia naturalis, & doctrinalis, quia genus hoc entium demonstraretur in Prima philosophia, quemadmodum quidem uidentur ostendere & rationes nostræ, & Aristotelis auctoritates.

SECTIO XVI.

Quod uerò dicitur, hoc fieri nō posse, nisi per motū, assentimur. at cū asserunt, motū esse philosophi naturalis tantùm, id uerò negamus: quod quidē tum ratione, tū Aristotelis, atq; adeò ipsius Auerrois uerbis, cōfirmari posse existimamus. Vt autē ab ipso Auerroe exordiamur, is (quemadmodum suprà ostendimus) in II. Primæ philosophiæ lib. Com. VI. ita scribit:

« Et consideratio uniuersalis in omnibus causis secundùm quod sunt causæ, est huius scientiæ. & Aristoteles quamuis hic utatur demonstrationibus scientiæ naturalis, tamen inducit eas uniuersalius, quoniam quanto fuerit demonstratio uniuersalior, tanto magis erit proprior huic scientiæ. & Aristoteles obseruat se in hac iteratione, scilicet inducendo demonstrationes uniuersales alio modo quàm in scientia naturali. & hæc est causa in iteratione illarum demonstrationum in hac scientia, ut fecit in tractatu primo. Ex his aūt sic argumētor. Demōstratio, qua usus est Aristoteles in Prima philosophia, ad ostendendū, substantias abstractas esse, est eadem quæ in philosophia naturali, modo tantùm uniuersaliori. At hęc ipsa demonstratio in philosophia naturali est per motum: ergo & illa quæ est in Prima

philoſophia, eſt per motum. Huiuſmodi autem demonſtratio (ut concedit ipſe) propria eſt Primi philoſophi, non naturalis, propterea quod eſt uniuerſalior: ergo motus pertinet ad primum philoſophum. aliter enim demonſtratio illa non eſſet propria primi philoſophi, id quod tamẽ ipſe dixerat. Motus igitur ex ipſius Auerrois ſententia, eſt etiam primi philoſophi. Quocirca recte nos, ex eiuſdem etiam opinione, negauimus, motũ eſſe philoſophi naturalis tantùm. Id quod etiam ex Com. V. in duodecimo Primæ philoſophiæ libro colligi poteſt. Hoc item uidetur uerbis Ariſtotelis oſtendi poſſe. nã VIII. Phyſ. textu uigeſimo ſecundo,

„ *Omnia igitur quieſcere, inquit, & huius rationem quærere dimit*
„ *tentes, ſenſuum infirmitas quædam intellectus eſt. & de toto aliquo,*
„ *non de parte, ambiguitas eſt: neq; ſolùm ad Phyſicum, ſed ad omnes*
„ *ſcientias, ut eſt dicere, & ad omnes opiniones, propter id quod motu*
„ *utuntur omnes.*

Quod ſi omnes ſcientiæ utuntur motu, nõ eſt motus tantùm philoſophi naturalis, ſed reliquarũ etiam ſcientiarũ, & opinionum.

Id præterea ratio ipſa cõprobat in hunc modum. Motus eſt una ex ſpeciebus entis, accipiendo hic ſpeciem eo ſenſu, quo accipit Ariſtoteles, cum appellat Prædicamenta ſpecies entis: ergo pertinet ad primum philoſophum. Hoc autem cõſequi patet ex quarto Primæ philoſophiæ libro, text. VI. qui quidem locus ſæpius iam à nobis citatus eſt, ſed ut alia oſtenderemus. Ibi igitur Ariſtoteles,

„ *Quapropter, inquit, & eius quod eſt, ut ens eſt, quæcunque ſunt*
„ *ſpecies, unius eſt ſcientiæ genere, & ſpecierum ſpecies cõtemplari.*

Quæ uerba exponens Alexander Aphrod. (ut in Commentariolo noſtro diximus) ſic ait:

„ Quibus uerbis aperitur, partitionem entis in genera ad Primam
„ philoſophiam pertinere, quam ipſe fecit in Prædicamentis: idq; pro-
„ pterea, quod decem genera entis ſunt ſpecies.

Quod ſi motus eſt ſpecies entis, pertinet ad primum philoſophũ. Antecedens comprobant illa Ariſtotelis uerba ſeptimo Primæ philoſophiæ libro, textu octauo:

„ *Cum autem ſint cæteris in Prædicamentis compoſita, eſt enim*
„ *aliquid cuiq; ſubiectum, ut quiditati, & quantitati, & ubi, ac motui.*

Sentit igitur Ariſtoteles, motum eſſe unum ex Prædicamentis, ut ſubſtantia, quantitas, & reliqua, atq; ita eſſe ſpecies ipſius entis.

Præterea actus, & potentia, pertinent ad primum philoſophum: ergo & motus. Probatur id, quod cõſequitur ex eo quod ad quam facultatem ſpectant partes definitionis, & definitio ad eandem ſpectat, & ipſum definitum. Motus autem eſt actus eius quod eſt in potentia, quatenus eſt in potentia. Antecedens oſtendit Ariſtoteles nono Primæ philoſophiæ libro, textu primo:

„ *Cum autem id, inquit, quod eſt, partim ſubſtantia, aut quantitas,*

aut

aut qualitas, partim potentia atque actu dicatur, de potentia etiam, atque actu, determinemus oportet.

Præterea potentia definitur per motum, & ſpectat (uti dictũ eſt) ad primum philoſophum, ergo & motus. Conſequens patet ex eis quæ ſcribit Ariſtoteles V. Primæ philoſophiæ lib. text. XXI.

Potentia dicitur, alia quidem principium motus, mutationiſue, quod eſt in alio, aut quippiam aliud eſt.

Et textu uigeſimo ſecundo:

Cum potentia tot modis dicatur, poßibile quidem, ac potens, uno quidem modo dicetur id quod motus, aut mutationis principiũ habet. etenim id à quo ſtatus, quies ùe proficiſci poteſt, poßibile quippiã eſt in alio, aut aliud quippiam eſt.

Et textu uigeſimo tertio:

Ea uerò quæ per potentiam dici ſolent, omnia ad potentiam unã primam dicuntur. Hæc autem eſt mutationis principium in alio, aut in aliud quippiam eſt, & poſt nonnulla ſubſecutus eſt. Quare propria definitio potentiæ primæ hæc erit, principium inquam mutandi in alio, aut in aliud quippiam.

Neceſſariò igitur motus pertinet ad primum philoſophum. aliter enim ignorato motu, ignorabitur & potentia. Item eodem libro, textu ſexto:

Actus autem nomen, & ad perfectionem ipſam, & ad cætera ex motibus maximè ipſis acceßit. motus enim actus maximè eſſe uidetur: quapropter & iiſce quæ non ſunt, non motum, ſed alias quaſdam prædicationes tribuere ſolent. Intelligibilia autem illa, & deſiderabilia dicunt eſſe, moueri autem non dicunt: idq; propterea, quod actu quidem non ſunt, eſſe autem actu poſſunt. Quædam enim eorum quæ non ſunt, potentia ſunt: non ſunt autem ex eo, quia non actu ſunt.

Hic ergo declarat Ariſtoteles, motum eſſe actum. atq; hæc quidẽ declaratio (ut patet) eſt primi philoſophi: ergo & motus. Quî uerò fiat, ut in motus definitionem cadat potentia, & in definitionem potentiæ motus, non eſt hic docendi locus.

SECTIO XVII.

Confirmatur autem, quod proximè dictum eſt, ad hunc modum. Quicquid conſideratur à philoſopho naturali particulariter, cõſideratur etiam à primo philoſopho ratione uniuerſali. At motus cõſideratur à philoſopho naturali: ergo conſideratur etiam à primo philoſopho ratione uniuerſali. Verum motus eſt ens, ens autem eſt uel actus, uel potentia: itaq; conſideratur ab ipſo ſecundùm id quod eſt. Quod ita confirmatur. ſubſtantiæ abſtractæ ſunt cauſæ effectiuæ entis, quatenus eſt ens: ergo à primo philoſopho cognoſci debent eo modo, quo ſunt cauſæ, aliter enim deciperetur. At ſunt cauſæ per ipſum motum, ergo ita co-

gnoſci debent: motus igitur debet à primo philoſopho cognoſci. item omnes termini, qui quarto Primæ philoſophiæ libro diſtinguunt ab Ariſtotele, ut ſentit Auerroës, cæteriq́ interpretes, quemadmodum à nobis in libro noſtro dictū eſt, ſpectant ad primū philoſophum: ergo & cauſa, quæ ibi diſtinguit. itaq; cauſa efficiens, atq; eius definitio, & partes definitionis: aliter enim non poſſet primus philoſophus illius cauſas cognoſcere. ergo motus etiā ad ipſum primum philoſophum ſpectat, propterea quia cauſa efficiens eſt, unde motus. Item natura pertinet ad primum philoſophum, ergo motus. Qua item ratione probauit Ariſtoteles II. Phyſ. lib. motum pertinere ad naturalem. oſtenditur autem antecedens ex ſecundo Primæ philoſophiæ libro, ubi ait Ariſtoteles,

„ *Idcirco eruditum eſſe quemque oportet, quó nam pacto quæque ſint acceptanda: quoniam abſurdum eſt, ſcientiam ſimul, & ſcientiæ quærere modum, ubi ne alterum quidem conſequi facile eſt. Mathematicorum autem exacta diſcuſſio non in uniuerſis eſt efflagitanda, ſed in iiſce duntaxat, quæ materia uacant, quapropter modus ille nō naturalis eſſe uidetur. uniuerſa nanque natura fortaſſe materiam habet. Quamobrem primum quid ſit natura conſiderare oportet. hoc enim pacto, & quibus de rebus eſt ſcientia naturalis, et ſi unius facultatis, an plurium ſit, cauſas, principiaq́ contemplari, profectò patebit.*

Quibus quidem uerbis luce clarius oſtendit Ariſtoteles, ſentire ſe, naturam ad Primam philoſophiam ſpectare. Neque enim difficile eſt intelligere expoſitionem D. Thomæ, illorum uerborum, Nihil ad rem facere. non enim in Prima philoſophia illud dicendum fuit, ἀκριβολογίαν Mathematicam non eſſe in omnibus expetendam: & poſtmodum, hanc non eſſe expetendam in philoſophia naturali. Id enim quod uniuerſaliter prolatum eſt, ut ad rem faciat, neceſſe eſt ita accipi, ut intelligatur de ipſa Prima philoſophia, quemadmodū hoc idem repetitum primo Ethic. libro, capite ſecundo intelligitur de ipſa morali philoſophia. Præterea quam ſimilitudinē in demonſtrando habet philoſophia naturalis cum Mathematica, eandem habet diuina philoſophia cum Mathematica. hoc enim ex eo patet, quod utraq; ex notioribus tantummodo nobis demonſtrat. Vt igitur conuenit illud philoſophiæ naturali, ſi conferatur cum Mathematica, ita cōuenit Primæ philoſophiæ ob eandem rationem. Hoc idem ergo dicendum uidetur de Prima philoſophia. Item ex eo quod ait Ariſtoteles, perſcrutandum eſſe quid ſit natura, infert, hoc pacto conſtare etiam, quibus de rebus ſit ſcientia naturalis, atque utrum unius ſit facultatis, an plurium, cauſas, principiaq́ contemplari. At conſiderare, utrum ſit unius facultatis, an plurium, cauſas, principiaq́ contemplari, pertinet ad Primam philoſophiam: ergo loquitur de ipſa Prima philoſophia. Hoc autem ita eſſe, oſtendit ipſe tertio Primæ philoſophiæ libro, textu trigeſimo, his uerbis,

Eſt

Est itaque dubitatio prima de iisce, quæ in exordiis dubitauimus, "
utrum unius,,an plurium scientiarum sit causas contemplari. "

Constat igitur, huiusmodi quæstionem pertinere ad Primam philosophiam, ipsumque Aristotelem citare locum hunc II. libri, quem librum collocat inter exordia, ut infrà magis etiam ostendemus. sunt enim omnia ab initio II. lib. ad III. lib. tradita, uberioris, perfectiorisque doctrinæ causa. Neque (mea quidem sententia) quod ait Alexander, uerba illa exponens, probandum est. Nam illam non esse præfationem philosophiæ contemplatricis, cuius prima pars, quod ad nos attinet, sit naturalis, propterea quòd qualis illa sit, et quibus de rebus differat, inuestigari non potest, nisi prius quid sit natura consideratum sit, ex eo colligi potest, quòd huic lib. nullus esset locus. Aliter enim ante philosophiam naturalem collocandus esset: quod tamen fieri non potest, uel quia illa est perfecta, uel quia liber hic nihil ad rem faceret. supponit enim mentionem ante factam esse de quatuor causis. non enim illud quæri potest, an causæ & principia in infinitum progrediantur: nisi prius constiterit, & quot sint, & quæ. Eò accedit, quod hoc quicquid attigit Aristoteles fecit, quemadmodum apparet in III. Primæ philosophiæ lib. ut dissolueret obiectiones. Non ergo potest ab eo lib. philosophia naturalis initium ducere, cum uideatur aliquid supponere. Neque illud obstat, quod opponit Alexander initio III. lib. quem secundum ipse uocat, nihil agi de natura: hoc enim fit V. lib. & IIII. tex. XXI. & XI. tex. XII. Ibi enim tollitur difficultas illa, quam ait ipse nullam fore tum, cum ostensum fuerit, quid sit natura. necesse enim fuit, alia præcedere. Neque (ut ego quidem arbitror) cohæret initium III. lib. cum fine primi: neque cohærent ea quæ secundo libro tractantur. Cum enim dicit Aristoteles in calce primi,

De talibus igitur ostensum est, & prius. quæcunque autem de ip- "
sis dubitaret aliquis, resumamus iterum, fortasse enim ex ipsis suppe- "
ditabimus aliquid ad posteriores dubitationes: "

Illud significat, uelle se de eisdem agere, de quibus antè egerat, hoc est de causis. itaque significat, dicturum se de causis, eaque dicturum, de quibus aliquis dubitare potuit. In his autem erat, an causæ essent infinitæ. Vult ergo loqui de causis, an sint infinitæ. huiusque rei illam rationem affert, quòd ex iis ita declaratis, subaudi Suppeditabimus aliquid ad posteriores dubitationes, quæ subaudi afferuntur in tertio libro. Poterimus enim multas de huiuscemodi causis proferre dubitationes, cum intelligemus eas esse finitas, non infinitas: ut unius'ne, an plurium scientiarum sit, causas contemplari. Quòd si essent infinitæ, nullam haberet huiusmodi quæstio rationem, propterea quòd infinitum, cum percipi nullo modo posit, non potest etiam sciri.

Ac ita quidem recta mihi uidetur huiusce loci interpretatio, ut si aliter exponatur, totius illius libri sensus maximè perturbetur. Adde, quod mirificè quadrat uerbis Aristotelis.

Quòd si ab hoc libro initium non ducit philosophia naturalis, quî potest Alexander altera interpretatione ita exponere, ut sensus sit,

non hoc quidem loco, quid sit natura, disserendũ esse, sed ante hanc doctrinã, de rebus naturalibus disputari oportere, quòd qui fuerit in pertractatione rerũ naturaliũ exercitatus, is facilè assequi poterit, quæ ad diuinã disciplinã pertinent? Existit enim hęc cõclusio, quam ait manifestã fore ex illa cognitione, quid sit natura. Præterea huiusmodi sensus nihil quadrat huic loco, ubi quidem Aristoteles huius cõsuetudinis mentionem facit, ut ostendat, homines non debere ab ipso expectare demõstrationes Mathematicas, propterea quod Mathematicorum cõtemplandi ratio uersatur in eis quæ carent materia: quæ enim cõsiderant, hæc ipsa considerant, ut abstracta sunt à materia. ac ita quidem fit, ut non sit naturalis eorum cõtemplandi ratio, quòd omnis fortasse natura prædita est materia. Quòd nisi ita acciperet Aristoteles naturalem considerandi rationem, ut ipsam diuinam philosophiam intelligeret, aliena item ab hoc loco forent ea quæ de consuetudine illa disseruit: quare altera etiam Alexandri expositio uidetur improbanda. At cum liber ille nullo alio constitui posit loco, si quis diligenter attendat ea quæ dicta sunt, necesse est, Aristotelem ita sentire, naturam pertinere ad Primã philosophiam. Quod quidem si ita est, motus etiam pertinebit ad eandem Primam philosophiam: natura enim est principium motus, eoq; ignorato, ipsa quoq; ignoretur necesse est.

SECTIO XVIII.

QVòd autem hic ipse liber præponi nõ debeat II. Physic. lib. ut quidam existimare uidentur, ex eo satis constat, quòd pertractatio illa (ut dictum est) supponit, mentionem factam esse de quatuor causis, quas II. Physic. lib. enumerauit. Vel quia primo Physic. libro tradiderat disciplinã de ueris principijs rerũ generabilium & corruptibilium, quæ sunt materia, forma, priuatio. Vel quia (ut ostendetur) natura spectat ad primum philosophũ, ut est principium motus. Neq; illud, quod in extremo secundo Phys. lib. ita scriptum reliquit:

„ *Rursus aliud principium incipientes dicamus.*

Quod idcirco dixit Aristoteles, ut existimant qui hanc sequũtur opinionem, quod ueterum allatis & cõfutatis de principijs tam mobilium quàm immobilium rerũ opinionibus, quæ nec ueræ essent, & admodũ imperfectæ: ueram ipse, atq; perfectam traditurus esset eorum principiorũ noticiam. quod quidem I. Phys. lib. ita prǽstitit, ut nullo alio philosophiæ lib. illa ipsa principia copiosius tractarit. ostendit enim tria esse rerũ naturalium principia, materiam, formã, priuationem: quorum duo illa, materiam & formam, dixit esse per se, tertium uerò per accidens. Verum hoc (mea quidem sententia) ideo fecit Aristoteles, quòd cum initio primi Phys. libri demonstrasset, philosophi naturalis esse inuestigare causas rerum naturalium, docuissetq; huiusce rei uiam & ordinem, consentaneum rationi fuit, ut ipse prius de causa efficiente ageret, quàm de causa materiali: est enim

enim illa natura prior. Quoniam tamē facilior esset materiæ cognitio, eiusq; pertractatio breuius absolui posset, uisum est Aristoteli faciendum esse, ut prius de causa materiali dissereret, quàm de efficiente. Quod cum fecisset, tanquam obiter eo loco (non enim suus ille, secundùm naturam erat locus) atq; alteram causam pertractaturus esset, efficientem scilicet, & perpetuam, Rursus, inquit, incipientes dicamus aliud principium: cognoscendi scilicet. quod idem est, ac si dixisset, Ponamus aliud principium cognoscendi, perinde ac si ad philosophiam naturalem aggrederemur. Hactenus enim tanquam præter ordinem locuti sumus de principijs illis, materia, forma, priuatione, ob facilem eorum cognitionem. Ponamus igitur aliud cognoscendi principium, quod quidem principium est definitio naturæ. Nam cum natura sit principium motus & quietis, motus autem sit æternus, natura, quæ est huiusmodi principium, erit æterna: itaq; motores cœlestes erunt æterni. Atque ita quidem perinde facit, ac si philosophiam naturalem auspicaretur. Quod idem fecisse in extremo primo cap. 1. Rhet. lib. apparet, ubi ait:

Sed iam de ipsa methodo conabimur dicere, quomodo, & ex quibus poterimus assequi propositum. Rursus igitur, tanquam ex principio definientes ipsam, quid sit:

Et reliqua. Cum multa ergo antè dixisset, innuit, uelle se definire Rhetoricam, quasi hoc esset illius libri initium, propterea quod eá quæ dixerat, erant tanquam obiter dicta. Neq; 11. Phys. liber, cuius initium est, Eorum quæ sunt, alia quidem sunt natura, alia uerò propter alias causas, &c. mancus est, ac dempto capite mutilatus, ut isti existimant. Nam cum illaturus esset Aristoteles eo modo quo fieri potuit, definitionem illam: Est igitur natura principium alicuius, & causa mouendi in eo, in quo est primùm per se, & non secundùm accidens: necessariò præponenda fuit diuisio illa, ut liquet, quod ex ea illam ipsam definitionem intulit. Eò accedit, quod primus item liber ab hac diuisione initium ducit: Necesse est autem, aut unum esse principium, aut plura. Nec obstat, quòd illius libri hoc sit initium: Quoniam autem scire, & intelligere, &c. Nam hoc procemium cōmune est, ac ita se habet procemium secundi libri, quemadmodum primi. Vt igitur primus liber ab illa diuisione exordium sumit, sic item secundus à simili diuisione initium sumere potest. Neq; ideo præpostere post primum Primæ philosophiæ librū collocatur, quod dissoluatur Aristotelis contextus: maximè enim connectitur. Iam ad illud primi extremi libri respōsum est. Verùm, ut huiusmodi cōnexionem seruari maximè appareat, ut etiā multa, quæ sunt in Prima philosophia, perobscura, declaremus, non grauabimur altius repetere.

SECTIO XIX.

CVm Aristoteli propositum esset in Prima philosophia, entis, quatenùs est ens, causas indagare, ut eius cognitionem assequeretur, uidereturq; hoc à regulis artis abhorrere, quibus præcipitur, in scientijs probandas esse affe-

ctiones de subiectis per eorũ definitiones, quæ sunt ex causis, & supponuntur, statuit, has ipsas dubitationes tollendas esse, ne quis fortè existimaret, conari eum quæ nullo modo fieri possent. Quare primo Primæ philosophiæ libro ostendit, has causas esse inuestigãdas. huiusque rei illã causam attulit, quòd omnes homines natura scire desiderant. ac scimus tum, cum causas cognitas habemus. Quanquam uerò de his ipse in naturali philosophia egerat, tamen quo facilius ueritas inueniri posset, dixit, Veterũ opiniones, qui sese causarum cõtemplationi dedissent, afferri oportere: ita enim futurum, ut constaret, eos sensisse, principia quædam & causas esse: ac ita quidem illorum sententijs in medium allatis, aliquid reperiri posse, quod ad hoc doctrinæ genus accommodatũ esset. Nam aut aliud aliquod inuentum iri causæ genus, aut fore ut hæc quæ magis esse opinarentur homines, crederemus. Ac denique ostendit, non reperiri aliud causæ genus, sed tantùm quatuor illa, quæ ipse connumerauerat. Itaque Epilogum intulit, in quo (uti suprà breuiter perstrinximus) dixit, sese allaturum, quæ de eisdem, subaudi causis, dubitaret aliquis, quod ex his suppeditaretur aliquid ad dubitationes, quas allaturus erat. Quæ autem de huiusmodi causis potuit aliquis dubitare, erant hæc, uti suprà dictum est. Verum in huiusmodi causis, & principijs, in infinitum progredi liceret. ita enim si esset, fieri non posset ut sciremus. idque sibi in primis esse propositum, ostendit eodem libro, ubi ait:

» *Atqui si infinitæ etiã essent multitudine species causarũ, neque hoc*
» *pacto rerũ profectò cognitionẽ consequi poßemus. Tũc enim scire ar*
» *bitramur, cũ causas cognouerimus. fieri enim nequit finito in tempo-*
» *re, id quod infinitum est, additione pertranseamus.*

Consequens ergo fuit, ut ad id præstandũ aggrederetur. Verùm quoniam in calce primi libri ita dixerat,

» *Ex his igitur quæ dicta sunt, patet, uniuersos uideri causas quæ-*
» *rere, quamuis obscurè, quas in naturalibus diximus, nullamque nos a-*
» *liam, præter illas, dicere poße, atque prius partim omnes, partim nul*
» *lo modo dictas eße.*

Ac de ijsdem causis allaturus erat, quæ potuit aliquis dubitare, illudque opponi licebat, inane ac superuacaneum esse id negotij, siquidem perarduum esset, nimisque difficile, rerum ueritatem assequi, ut ad eam fortasse neminem unquam aspirare liceret, cum ex compluribus antiquis, & his quidem præstantissimis philosophis, neminem constaret, ipsam rerum ueritatem assecutum esse, ut ex eis quæ dixerat ipse, perspicuum erat. Hanc dubitationem initio secundi libri tollit Aristoteles, aitque, contemplationem ueritatis non esse admodum difficilem, sed partim facilem, partim difficilem: huiusque rei illo usus est argumento, quod nec planè quisquam eam assecutus esset, nec tamen longius aberrassent omnes. Hic autem cum posset aliquis inferre, uideri antiquos philosophos, qui ueritatem

penitus

penitus non inueniſſent, eſſe reijciendos: ſubiunxit Ariſtoteles, his etiam habendam eſſe gratiam, quippe qui aliquid adiumenti attuliſſent. Quoniam autem de ueritatis contemplatione diſſeruerat, & quæri potuit, Prima'ne philoſophia eſſet ſcientia, quæ ipſam ueritatem contemplaretur, reſpondet, ita eſſe, propterea quod finis contemplatiuæ eſt ueritas: ipſa autem Prima philoſophia eſt contemplatiua, ut ex primo libro patet: itaq; Primam philoſophiam eſſe ſcientiam cõtemplatiuam ueritatis. Cum uerò dixiſſet, ipſam Primam philoſophiam eſſe ſcientiam cõtemplatricem ueritatis, & quæri poſſet, quæ'nam ſit ueritatem contemplandi, aſſequendiq; ratio, oſtendit, ueritatem haberi per cauſam, docuitq; illam cauſam eſſe magis ueram eo modo, quo ſuprà Sectione duodecima dictum eſt. Quæ ſimul abſoluiſſet, ſeſe conuertit ad id quod ſibi in primis erat propoſitum, ut ſcilicet oſtenderet, in quatuor cauſarum generibus non eſſe proceſſum in infinitum. Ex quo ſequebatur, ut his inuentis, quæ percipi poſſent, cauſis, tum demum ſcire liceret, itaq; demonſtrare. Quia uerò potuit aliquis expectare ab eo exactam Mathematicorum demonſtrationem, quæ tamen ab illa facultate petenda non eſſet, oſtendit, exactam illam demonſtrationem non eſſe in omnibus ſcientijs poſtulandam, ſed in his duntaxat quæ carent materia. At ne uideretur hoc fruſtra oſtendiſſe, prius oſtendit, ex uſu quemque, & conſuetudine, ad audiendum affectum eſſe. ut enim in more poſitum eſſet, ſic dicendum cenſere homines.

Et quæ præter hæc, inquit, non ſimilia, ſed propter inſolentiam ignotiora, ſed & extrema: quod enim cõſuetum eſt, notius eſt. Quantam enim conſuetudo uim habeat, declarant leges, in quibus fabuloſa quædam, & puerilia plus ualent ob ipſam conſuetudinem, quàm ſi ea nobis cognita forent. Quidam tamẽ (dicat aliquis) neminem audiendum putant, niſi qui Mathematicè loquatur, alij exemplis utendũ cenſent, alij laudandum eſſe teſtem Poëtam, alij exactè omnia exponi uolunt: quoſdam rurſus moleſtia afficit exacta illa rerum expoſitio, uel quia aſſequi ipſi non poſſunt, uel propter μικρολογίαν. *habent enim exactum aliquid tale. Quare quemadmodum & in contractibus, & in ſermonibus. illiberale enim quibuſdam uidetur. Quocirca præclarè tenendum eſt, quemadmodum quicquam futurum ſit, ut accipiatur. abſurdum enim eſt, ſimul quærere & ſcientiam, & modum ſcientiæ: quorum quidem neutrum facilè eſt accipere.*

Ex quibus conſtat fieri potuiſſe, ut ab hac facultate exactã aliquis Mathematicorũ demonſtrationem requireret, propterea quod hoc unum quidã propter cõſuetudinẽ poſtularent. At talis (inquit Ariſtoteles) demonſtratio nõ in omnibus efflagitanda eſt, ſed in nõ habentibus materiam. Ex quo infert, huiuſmodi contemplandi rationem non eſſe Phyſicam, propterea quia omnis fortaſſe natura materiam habet. Itaque prius quid ſit ipſa natura, perſcrutandum

esse, atque illam huiusce rei rationẽ affert, quod sic, & de quo naturalis sit, erit manifestũ. Constabit enim naturã dici de materia, & forma: atque ita philosophiæ naturalis esse, pertractare materiam. neque ab illa exactam Mathematicorum perscrutationem esse requirendam: hanc enim ex ipsa re difficultatem existere. Ex quibus item perspicuum erit, utrum unius scientiæ, an plurium sit, causas & principia considerare. Hæc autem cum ostendisset Aristoteles, consequens fuit, ut quod in calce secundi libri pollicitus erat, id iam præstaret. Sed quoniam intelligebat, ad hanc tradendam doctrinam illud maximè necessarium esse, ea proponere de quibus dubitari oporteret, ne quis eum putaret aliter facere, atque ipsi propositum esset, cum dubitationes illas poneret, statim post finem secundi libri intulit initio tertij, necessarium esse ad eam scientiam quæ quæreretur, ea primùm persequi, de quibus dubitari primùm oporteret. Ea autem inquit esse, de quibus aliter quidam existimassent, & si quid præterea omissum esset, atque neglectum. Deinde rationem affert, quare hoc faciendum fuerit, & ait:

» *Est autem operæprecium bene eos dubitare, qui consequi percu-*
» *piunt facultatem. Posterior enim facultas, solutio est eorum quæ pri-*
» *us dubitantur. Atque fieri non potest, ut uinculum soluatur, si igno-*
» *retur: sed dubitatio mentis id ipsum de re declarat. quo enim mens du-*
» *bitat, eo persimilis est ligatis. Quapropter difficultates omnes antea*
» *contemplari oportet, & horum gratia, & quia homines, qui quærũt,*
» *si primò dubitauerint, persimiles ijsce sunt qui ignorant, quorsum per-*
» *gere oportet. Et insuper neque si id quod quæritur inuenerint, di-*
» *scernere non possunt. finis enim ijsce non patet: at ei qui antea dubita-*
» *uit, est manifestus. Præterea melius ad iudicandum, affectum eum*
» *esse, necesse est, qui rationes etiam contendentes omnes, perinde atque*
» *aduersarios audiuit.*

Quibus ostendit, quod fecerat, id omnino sibi faciendum fuisse. Mox cœpit proferre dubitationes eas, quibus quærebat, an quædã ad primum philosophũ pertinerent: deinde eas, quas ipse nõ alienas esse arbitratus est. His autem dubitationibus positis, rationes in utramque partem probabiles afferre cœpit. In IIII. lib. aggressus est ad dissoluendas quæstiones illas, quibus quærebatur, utrum quædã ad hanc scientiam pertinerent. de multis enim in dubio id positum erat, ut nunquid unius sit scientiæ, an plurium, considerare causas. Item utrum sit eiusdem scientiæ tantùm considerare prima principia substantiæ, & de principijs ijs quæ omnibus in demonstrando communia sunt, ut contingat'ne aliquid simul & affirmare & negare, itemque de cæteris huiusmodi: & de substantia, utrum una sit scientia de omnibus substantijs, an plures. Item utrum scientia tantummodo sit de substantijs, an etiam de accidentibus, de eodem & diuerso, de simili & dissimili, de identitate & contrarietate,

de

de priori & posteriori, & reliquis eiusdem generis. Has igitur quæstiones omnes quarto libro dissoluit Aristoteles.

SECTIO XX.

QVoniam autem ostenderat, principia illa, ex quibus omnes itidem demonstrant, pertinere ad hanc scientiam, ut non contingit idem simul affirmare & negare, cum tamen quidam secus arbitrarentur, qui dicerent fieri posse ut idem sit & non sit, itaq; existimetur: mox ipse ostendit redarguendo, fieri nullo modo posse, ut idem eodem tempore & sit, & non sit. aitq; aliud esse demonstrare redarguendo, aliud demonstrare simpliciter. Hæc autem cum ostendisset, reliquum esse uidebatur, ut quas ipse dubitationes attulisset, has iam dissolueret: quas quidem constabat ad Primam pertinere philosophiam. allatæ enim in tertio libro fuerant dubitationes quædam, quibus (ut dictũ est) quærebatur, utrum quædam ad primum philosophũ pertinerent. aliæ uerò de nonnullis, quæ dubium non erat quin ad ipsum primũ philosophum pertinerent. De his autem quærebatur, utrum ita se haberent, an secus: ut utrum genera, aut species essent principia, & elementa entium. Item utrum esset aliqua causa per se, præter materiam, nec ne. atq; hæc ipsa causa utrum esset separabilis, an nõ, utrum numero una, an plures, & alia his consimilia. Reliquum igitur erat, ut has, quas diximus, difficultates dissolueret, eaq; de quibus primo libro dictum est, huius scientiæ esse agere. Sed quoniam ostensurus erat, genera non esse principia, neq; causas, ac ita de reliquis, quæ in hac ipsa scientia concludenda essent: docuit autem primo Posteriorum libro, omnem doctrinam & omnem disciplinam fieri ex præexistenti cognitione, quid sit prædicati & subiecti: in quinto libro posuit omnes ferè huiusmodi definitiones. multæ enim omitti commodè potuerunt. Quia uerò omnia hęc multa significabant, ne contingeret æquiuocatio, ea distinxit, simulq; eorum definitiones tradidit: quibus absolutis, antequam ad id quod sibi in primis propositum esset, aggrederetur. uoluit tacitis quibusdam dubitationibus occurrere. quarum una est, quot sint philosophiæ contemplatrices: altera, cuius entis principaliter uelit in hac scientia quærere causas. cum enim latius patêret significatio entis, hoc facilè in dubium uenire potuit. Quare initio sexti libri illud posuit, principia & causas entium quæri, quatenus entia sunt: quod etiam initiò quarti libri docuerat, ut ostenderet, uelle se in hac scientia entis per se quærere causas, non entis per accidens. Id autem cum ostendisset, declarauit, philosophiam naturalem esse contemplatiuam, non practicam, neque effectiuam: Contemplatiuam autem eius entis, quod moueri posset, atque ideo sese definire illud per materiam. Itaque philosophiam naturalem esse speculatiuam: cum enim ens illud quod philosophia naturalis pertractat, habeat principium motus in se, apparet, non esse ex eis quæ fiunt propter aliquod opus. quæ enim

ita

ita fiunt, non habent huiuſmodi principium, ſed hoc ipſum principium eſt in faciente, aut in agente. Quòd ſi non eſt ex eis quæ fiunt propter aliquod opus, conſtat eſſe ſpeculatiuum. non enim alicuius uſus gratia eſt, ut dictum eſt primo libro. Mathematica item eſt ſpeculatiua. quanquam enim conſiderat ea quæ cum materia coniuncta ſunt, cõſiderat tamen perinde ac materia carerent, ſiquidem conſiderat ut ſunt à materia abſtracta. Id quod ſatis oſtendit Ariſtoteles de concauo, quod ait non definiri per materiam, ſed ſi eſt in rerũ ratione aliquid immobile, ſempiternum, ſeparabile, hoc abſque dubio ad philoſophiam cõtemplatiuam pertinere. nullius enim id eſſe uſus gratia: ad philoſophiam uerò naturalem primò nõ pertinet, ut ex primo Metaphyſ. lib. cõſtat, quòd ipſa eſt de mobilibus quibuſdam. Quibus quidem uerbis (ut dicemus) circũſcribit Ariſtoteles proprium ipſius naturalis philoſophiæ ſubiectum, non Mathematicæ, ꝓpterea quod inſeparabilia fortaſſe, & ea quæ ſunt in materia. Neceſſe eſt igiť eſſe philoſophiæ ſpeculatiuæ, quæ eſt his prior: ipſa enim eſt de ſeparabilibus, & immobilibus, & ſic æternis. neceſſe eſt enim cauſas eſſe æternas, ac præſertim has quæ ſunt cauſa diuinorũ corporũ nobis manifeſtorũ. Ex quibus omnibus ſequiť, ut tres ſint philoſophiæ cõtemplatrices, Mathematica, Phyſica, Theologia: id quod à nobis dictũ eſt, uelle oſtendere Ariſtotelẽ, ut ex eo appareat, illã eſſe à cæteris diſtinctã: itemq́ cæteris præſtantiorẽ, quæ ſpeculatiuæ ſunt, quod quidem potuit eſſe dubium. Atq́ hæc ipſa cõcluſio ex eo ſequi uidetur, quod tria omnino ſunt rerũ genera, aliquo modo diuerſa, ex quibus tres diuiduntť philoſophiæ: nõ enim poſſunt, ut oſtendemus, alio pacto diuidi. Ea ipſa autem rerum genera deſignat Ariſtoteles ijs, quæ hoc loco tradit. nã quia reperitur ens, quatenus ens, ut decem prædicamenta, quatenus talia ſunt, cuius entis cauſa eſt Deus, & reliquæ ſubſtantiæ ſeparatæ, extat Prima philoſophia, quæ cæteris eſt perfectior. Quod ipſum (ut ſuprà etiam dictũ eſt) ſignificat Ariſtoteles, cum ait, philoſophiam primam eſſe circa immobilia & ſeparabilia, quod paulo pòſt innuit his uerbis:

» *Si aũt eſt aliqua ſubſtantia immobilis ipſa prior, et Prima philoſo-*
» *phia, et uniuerſalis ſit, quia prima, & de ente, quatenus ens, ipſius eſt*
» *conſiderare quid eſt, & in exiſtentia uniuerſaliter, quatenus ens.*

Quòd ſi Prima philoſophia eſt de his immobilibus, erit etiam ex eius ſententia de ipſis immobilibus, quatenus ſunt cauſæ entis, quod eſt Primæ philoſophiæ ſubiectum. Scientiæ enim diſtinctionem ſumunt à ſubiecto: eſt enim id quod principaliter conſideratur, & ad quod alia omnia referuntur.

SECTIO XXI.

QVia uerò ſubſtantia, quæ diuiditur in ſimplicẽ et mixtã, & uſq́ ad ſpecialiſsima, ut ſecundo libro oſtendemus, reperitur in ratione rerum: extat etiam philoſophia naturalis, quæ illius cauſas inueſtigat: quare illam neceſſe eſt,

ſubiectum

ſubiectum eſſe ipſius naturalis philoſophiæ, non enim poteſt eſſe cum motu ſubiectum. ita enim nuſquam pertractaretur, ut talis eſt, qualem eſſe diximus: quod quidem falſum eſt. Vel quia, cum cauſæ quæ in philoſophia naturali quæruntur, ſint ipſius ſubſtantiæ cauſæ, ut eſt in ſe ipſa: eo tamen modò, quo dictum eſt, huiuſmodi ſubſtantia debet eſſe ſubiectũ, uel quia motus eſt eius accidens, ſed quia copioſe de illo (ut dicemus) pertractatũ eſt in philoſophia, ob eam quæ afferet cauſam, Ariſtoteles cũ deſcribere uellet hoc philoſophię ſubiectũ, deſcribit per motũ, & ait, illã uerſari circa corpus mobile, ut ſignificaret ſubſtantiam illam corpoream, quatenus diuiditur in ſimplicem, & in mixtam, quæ complectitur omnia uſque ad ſpecialiſsima. Ac dicitur quidem philoſophus naturalis definire per materiam, propterea quod non conſiderat principaliter abſtracta: Metaphyſicus uerò conſiderare abſtracta, quod * ex ſuam aſſequitur præſtantiam, & ſi conſiderat omnes cauſas primò. Cum autem materia nullam diuinæ philoſophiæ excellentiam afferret, eam attribuit philoſophiæ naturali, ut innueret differentiam, quæ eſt inter ipſam & diuinam philoſophiam: oſtenderetq́ naturalem philoſophiam diuina tanto inferiorem eſſe, quanto materia eſt inferior ſubſtantijs abſtractis. Eò accedit, quod pluribus egerat de materia in philoſophia naturali, q̃ in Metaphyſ. licet primò ſpectaret ad Metaphyſ. ut infrà oſtẽdemus, cũ de natura diſſeremus. Quare omnia quæ ſuperius citauimus Ariſtotelis loca, quibus ille oſtendit, quid inter diuinam & naturalem philoſophiam interſit, hoc ſenſu accipi debent. Quia uerò quantitas, ut diuiditur in quantitatẽ cõtinuam & diſcretam, cũ nullum habeat certum ſubiectum, abſtrahi poteſt à materia, inuenta eſt tertia ſcientia Mathematica, ſcilicet de quantitate: quæ quidem quãtitas, ut eſt abſtracta à materia, alia eſt quodammodo res à quantitate ut eſt in materia, itaq́ ad philoſophum naturalem pertinet.

Cum tria ſint igitur huiuſmodi rerum diuerſa genera, tres item ſunt omnino philoſophiæ contemplatrices, quæ cum eundem habeant finem, ut contemplentur omnes ueritatem; eamq́ aſſequantur, diſtingui non poſſunt, niſi per rerum diſtinctionem, itaq́ per differentias materiales. habituum enim forma ſubſtantialis eſt ipſe finis; ut oſtendit Ariſtoteles cum multis alijs in locis, tum uerò præcipuè primo Metaphyſ. lib. ut etiam patet in noſtro Commentariolo, ac patebit in inſequentibus libris. Cæteræ uerò facultates, quæ cõſiderant has eaſdem res (non enim figmenta ſunt) neceſſariò conſiderant in ordine ad aliquod opus. tractant enim omnes res à tribus illis abſolutè, & ſimpliciter: itaq́ nõ poſsũt eſſe plures philoſophiæ cõtemplatrices, ſed aut habitus actiui ſunt, aut effectiui: de quibus IIII. huius Apologiæ lib. agemus. Recte ergo dictũ eſt ab Ariſtot. tres eſſe philoſophias cõtemplatrices, Mathematicã, Naturalẽ, Theologiã: itẽq́ ſpeculatiuas ceteris, ipſam uerò Theologiã ſpeculatiuis eſſe nobiliorem. Aliam aũt dubitationẽ tollit, cum ait, entis per ſe, non per accidens, quod quidẽ ens per ſe diuiditur in decẽ genera, cauſas quæri.

entis

entis enim per accidens nullam esse scientiam, entis autem ueri caussas illum non esse perscrutandi locum. Ex quibus constat, ens, quatenus ens, quod est subiectum in Metaphys. cuius quæruntur caussæ, esse ens reale. Quam rem confirmauit undecimo Metaphysicorum libro, textu trigesimo, his uerbis:

" *Id autem quod, ut uerũ est ens, & non per accidens, in mentis com*
" *plexione consistit, atq; in hoc est affectus. Quapropter circa id qui-*
" *dem quod ita est, principia non quærũtur: circa uerò id quod est ex-*
" *tra, & separabile. id autem quod est per accidens, non est necessariũ,*
" *sed indefinitum, atq; talis entis causæ ordinatæ sunt atq; infinitæ. Id*
" *autem quod alicuius gratia fit, in ijs est quæ natura sunt, aut à mente*
" *proficiscuntur.*

Cum sit igitur ens reale, & cõpositum (ut sentit Aristoteles) quod est subiectum in Metaphys. affectus item, qui conueniunt ei, quatenus est ens, sunt affectus reales: non enim fieri potest, ut aliquid conueniat alicui rei, ut est res, nisi idipsum sit res, ut ostẽsum est in VIII. Sectione Cõmentarioli nostri. At genus, species, & cætera quæ sunt in Logica, sunt affectus entis, quatenus est ens, ut patet ex IIII. Metaphys. lib. & ex nostro Commentariolo: ergo sunt affectus reales, non secundæ intentiones, quomodo isti loquuntur. Quarto tamen libro dicemus de ente, quod ens rationis appellant.

SECTIO XXII.

CVm igitur primo libro ostendisset Aristoteles, inuestigandas esse causas in Prima philosophia, propterea q̃d tum scimus, cum causas cognitas habemus: omnes autẽ homines natura scire desiderant. atq; has ipsas causas dixisset esse omnino quatuor, ostendit II. lib. nullum causæ genus in infinitum progredi. Tertio libro docet, afferendas esse difficultates quasdã, simul & rationes earum in utranq; partem. Quarum quidẽ difficultatum aliæ erant de rebus ijs, quæ utrum ad hanc scientiam pertinerent, nec ne, ambigebatur: aliæ de ijs quæ sine ulla controuersia pertinebant, sed quærebatur, ita'ne haberent, an secus. His autẽ difficultatibus propositis, earumq; rationibus in utranq; partem allatis, IIII. lib. dissoluit Aristoteles (uti diximus) dubitationes de rebus, quæ an diuinæ philosophiæ, in dubio positũ erat. V. libro, anteq; ad determinãda cetera ingrederet̃, distinxit, simulq; definiuit ea quæ tractaturus esset: tum quia nomina, quæ multa significãt, sunt distinguenda: tum quia omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua fit ex antecedente cognitione, quid est prædicati, & quid subiecti. Cum enim uellet ostendere, genera nõ esse principia, necesse fuit antè scire, quid esset genus, quid principium. Quoniam autem hæc ipsa uariè acciperentur, ne quis ob æquiuocationem erraret, necessariò ponenda fuit eorum distinctio, itemq; reliquorum. Quibus positis (hæc enim sunt huius scientiæ principia) sexto libro dubitationes illas sustulit, quæ ex ijs quæ dixerat, oriebantur. Ex quibus quidẽ constat,

constat,superiores omnes libros,pręter V. ad huius doctrinæ perci piendæ facilitatē magis pertinere,quàm ad eius (ut ita dicam) essentiam & substantiam. Quintus autem liber,qui de principijs agit,necesse est ut(quomodo loquūtur)de eius substātia sit:quicquid enim per se est in aliqua scientia,aut eius est cōclusio,aut principium. Verùm cum inter cætera,quæ quinto libro distincta essent, numeraretur ens,quod quidem aut per accidēs diceretur,aut per se, ens autem per se decem prædicamenta complecteretur: cumq; pertractationem entis per accidens in alium locum distulisset Aristoteles, cōsequens erat,ut de ente per se,quod est subiectum in Metaphys. agere inciperet. Cum autem huiusmodi ens diceretur de substantia,et de cæteris nouem generibus, ostendit initio octaui libri, uelle se de substantia, eaq; una primùm agere,quasi ita diceret: quoniam substantia est primum,& propriè ens,cuiusq; ratione cætera quæ sunt, dicuntur entia,ut quarto libro dictum est,ubique autem scientia est propriè primi,ut ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur. Cum talis igitur sit substantia,primùm oportet,philosophum principia ipsius substantiæ, causasq; tenere. quia uerò substantia multis acciperetur modis,ac præ cæteris, ut quod quid esset, designaret: eodem VII. libro egit Aristoteles de ipso,quod quid erat esse. Itaq; patet, secundum librum cum cæteris Primæ philosophiæ lib. maximè connexū esse,atque contextum: contrà quàm negarunt ij,qui existimarunt librum illum ad philosophiam naturalem spectare. Constat etiam ex eis quę dicta sunt, Aristotelem,cum quinto libro(ut dicemus)distinxerit atq; definierit naturam, abundè id præstitisse, quod pollicitus erat. Superiores enim libri ad faciliorem illius doctrinæ cognitionē pertinent, non ad eius substantiam. ac licet alia distinguat,atq; definiat,in primis tamen naturam ipsam tractat. Hæc enim ipsi ex omnibus una maximè proposita erat, cum ex eius definitione substantiæ abstractæ inuestigentur, quatenus sunt causæ entis,ut est ens,ex quibus præcipuè Prima philosophia suam consequitur dignitatem. Itaque patet ex definitione naturæ,quibus de rebus sit Physica,id est facultas ea quæ est de natura: quæ quidem est diuina philosophia. hæc enim etiam est de natura,siquidem est de materia & forma,& de substantijs abstractis. Constat etiam,quod isti dicunt,uidelicet Aristotelem II. Phys. lib. persequi ea quæ in illius libri calce proposuerat, esse à ueritate aliena: ac rursus uerum esse quod à nobis dictum est,uidelicet illud Aristotelis in extremo II. lib. maximè declarare,naturā ad Primam quoq; philosophiam spectare, id quod nobis propositū fuit,ut ostenderemus. Cætera,quæ contrà illi afferunt,ex eis quæ dicta sunt,facilè dissolui posse, intelligent ij qui harum rerum periti sunt. Quoniam autem reliquorum librorum Metaphys. haud dubius est contextus,id omittendum esse duximus, præsertim cum ex continuatione ea quam ostendimus, perspicua sit connexio II. libri cum cæteris: id quod magis in dubio positum erat.

SECTI XXIII.

SEd ut nostra iam, unde digressa est, reuertatur disputatio, argumentamur iterum ad hunc modum. Principiũ, quod est quasi naturæ genus, & per se, quod est eius differentia, ex horum interpretũ (ut demonstrauimus) sententia, ad Primum philosophum spectat. distinguuntur enim V. Primæ philosophiæ lib. ergo & natura. Consequens ita probatur. Ad quam facultatem spectãt partes definitionis, ad eandem spectat & ipsum definitũ: quod nulli dubium esse potest. Item, materia & forma spectant ad primum philosophum, ergò & natura: ipsa enim de materia & forma dicitur. Antecedens manifestum est ex multis Aristotelis locis, quos suprà citauimus. Item substantíæ abstractę ex istorũ sententia spectant ad Primum philosophum, quod ad quid est attinet: ergò & natura. sunt enim illæ natura, quippe quæ sunt principium motus. Quod confirmat Aristoteles V. Primæ philosophiæ lib. tex. IX. cum ibi distinguat naturã, & quid ea sit, ostendat his uerbis:

» *Natura dicitur uno modo, eorum quæ nascuntur, ac pullulant, ge*
» *neratio: alio uero modo, id ex quo nascitur primò id quod nascitur, ita*
» *ut insint. Præterea id unde primus motus in unoquoq; est, eorum quæ*
» *natura constant, ut ipsum est. Nasci autem ea dicũtur, quæ per aliud*
» *incrementum suscipiunt, ex eo quia tangunt, adiunctaq; sunt, aut copu*
» *lata, ut fœtus. Interest autem inter copulationem & tactũ. in quibus-*
» *dam enim præter tactũ, nil aliud esse necesse est: in his autem quæ co-*
» *pulata sunt, est aliquid unũ. Præterea natura dicitur id, ex quo pri*
» *mò est, aut fit aliquid, eorũ quæ natura cõstant. Quod quidem est in-*
» *forme, ex suaq; potentia immutabile: ut statuæ quidem, æneorumq; ua*
» *sorũ æs natura dicitur, ligneorum autem lignum, & in cæteris simili*
» *modo. Ex his enim unũquodq; cõstat prima materia remanẽte, salua.*
» *etenim hoc elementa modo naturã eorum esse, quæ natura cõstant, ue*
» *teres dicũt: quidam ignẽ, quidam terram, quidã aërem, quidam aquã,*
» *quidam aliud tale, quidam horũ aliqua, quidam hæc uniuersa dicẽtes.*
» *Alio præterea modo natura dicitur eorum substantia, quæ natura cõ*
» *stant: ut ij censent, qui dicunt naturam primã esse compositionem, aut*
» *(ut Empedocles ait) qui quidem naturam nullius eorũ esse quæ sunt,*
» *sed mixtionem duntaxat, mutationem'ue mixtorum esse, ab omnibus*
» *uerò naturam uocari dicit. Quamobrem & ea quæ natura sunt, aut*
» *fiunt, & si id iam est, ex quo ipsa sunt apta fieri, aut esse, nondum ta-*
» *men naturã habere dicimus, si speciem non habeant, atq; formam. Na*
» *tura igitur constat id quod ex utrisq; cõponitur, ut animalia, partesq;*
» *ipsorũ. Natura autẽ est materia prima, quæ duplex est. est enim aut*
» *ea quæ ad ipsum est prima, aut ea quæ omniũ est prima. ueluti uasorũ*
» *materies æneorũ, ad ipsa quidẽ prima est æs, simpliciter autẽ forsitan*
» *aqua, si omnia ea sint aqua, quæ liquescere possunt, & insuper forma*

atque

atq; substantia, quæ est generationis ipsius finis. Per translationem autem iam & omnis substantia natura, propter hanc dicitur, quia & ipsa natura substantia quædam est. Ex his igitur quæ naturæ sunt dictæ, substantiæ eorum quæ principium in se ipsis habent, ut ipsa sint, prima est profectò natura, proprieq; natura dicitur: materia nanque ex eo natura dicitur, quia est huius susceptrix. Generatio etiam pullulatione natura propterea dicitur, quòd ab ista est motio: principiũ quoq; motus eorum quæ natura constant, ipsa eadem est, quæ quidem inest aliquo modo, aut potentia, aut actu.

Cum ergò appareat, naturam in V. Primæ philosophiæ lib. distingui, atq; definiri, esse principium motus, negare isti nõ possunt, quin ad primum philosophum pertineat: aliter enim secum ipsi dissiderẽt. Interpretes, qui putant, omnia quæ in eo libro distinguuntur (ut in Commentariolo dictum est) ad primam spectare philosophiam. Præterea cum eadem tradantur hoc loco summatim de natura, quæ II. Phys. libro, ut patet: quid causæ est, cur magis sit ipsa natura philosophia naturalis, quàm diuina? Præsertim cum diuina philosophia natura prior sit naturali. Ex his igitur quę diximus, constat, motum etiam pertinere ad Primum philosophum: itaque rectè nos respondisse, cum negauimus, motum tantummodo pertinere ad philosophum naturalem: itemq; ostendemus, falsum illud esse, substantias abstractas idcirco non posse à Prima philosophia ostendi esse, quòd per motũ duntaxat ostendantur, qui motus ad naturalem solùm pertineat. possunt enim ostendi etiam à Primo philosopho per motum, cum ad ipsum quoq; pertineat motus: siquidem est actus entis in potentia, secundùm quod in potentia.

SECTIO XXIIII.

At hic statim dicet aliquis, omnino hæc dissidere cũ Aristotelis sententia, qui ubiq; philosophiam naturalem appellat scientiam de natura: quare necessariò naturam ipsam ad naturalem philosophiam, non ad aliam aliquam scientiam pertinere. Item inquiet, ibi definit Aristoteles naturam, ibi hanc definitionem declarat. uult igitur, eam non esse alterius scientiæ. Amplius hoc maximè testatum reliquit III. Phys. lib. his uerbis:

Quoniam autem natura est principium motus & mutationis, scientia autem nobis de natura est, oportet nõ ignorare, quid sit motus. necessarium enim est, ignorato ipso, ignorari naturam.

Constat ergò, naturam & motũ spectare tantũmodo ad philosophũ naturalẽ. Huc accedit, quòd Prima philosophia inscribitur Metaphys. quę quidẽ inscriptio nihil aliud significat, nisi quæ post naturalia tractãtur, quæ est ipsa naturalis philosophia. Sentit igitur, hanc ipsam philosophiã esse de natura: non est ergò Prima philosophia.

Quoniam autem & rationes allatæ, & qui recitati sunt, Aristotelis loci, contrarium ostendunt, dicendum uidetur, naturam spectare

& ad philoſophum naturalem, et ad diuinū. ſed ad diuinum, quatenus eſt principium entis, ut ens eſt: ad naturalē, quatenus eſt principium entis naturalis, ubiq; tamen eſſe principium motus & quietis.

Ad argumentū igitur reſpondemus, ubiq; ferè appellare Ariſtotelem philoſophiam naturalē de natura. cum autem infertur, ergo natura ſpectat ad ipſam, concedimus: ergo non ad aliam facultatem, cōcedimus eadem ratione. ſed quòd non poſſit ad aliam facultatem alia ratione ſpectare, id uerò negamus, atq; hoc nobis ſatis eſt.

Quod ad ſecundum attinet, concedimus omnia eo modo, quo diſtinximus. Tertium item concedimus: ſed quòd non poſſit ad alium artificem alia ratione ſpectare, id uerò negamus. Ad quartum, concedimus etiam antecedens, negamus conſequens.

Verùm ita fortaſſe quæret aliquis, Si diuina philoſophia eſt de natura, præſertim cum primò ſit de natura, cur Ariſtoteles non uocat eam de natura? cur item non definiuit naturam, & declarauit ipſam in Prima philoſophia, quemadmodum in naturali?

Ariſtoteles philoſophiam naturalem ab ipſa natura quam pertractat, inſcripſit, non item diuinā philoſophiam, etſi ipſa etiam de natura eſt, ac primò: propterea quia definiuit naturam in philoſophia naturali, eamq; declarauit. Hoc autē ideo fecit, ne bis idem repeteret. erat enim agendum de natura, quatenus eſt principium entis, ut ens eſt in Prima philoſophia: in naturali autem, quatenus eſt principium entis naturalis. itaq; de motu. quodq; in una facultate dicēdum erat, hoc idem in altera repetendum fuit, mutata tantummodo ratione, ut in altera quidem ad ens, quatenus eſt ens, in altera uerò ad ens naturale, quatenus naturale eſt, referretur. Ne idem ergo bis repeteret Ariſtoteles, hæc in philoſophia naturali declarauit: tum etiam ne interrumperet lib. Primæ philoſophiæ, in quibus de multis alijs rebus erat diſputaturus. Neq; uerò id Ariſtoteles contra ſuam conſuetudinem fecit, qui ultimos Phyſicæ auſcultationis libros de motu uocauit, tertium et quintum de natura, cum tamen octauus quoq; liber ſit de natura, tertius & quintus de motu. Inſcripſit item lib. illum Phyſicorum, cum tamen cæteri eius ſcientiæ libri ſint etiam Phyſici. Inſcriptio enim (ut in ſequentibus libris declarabimus) à uarijs accidentibus ſumitur. Nihil igitur obſtare uidetur, quò minus natura ſpectet etiam ad primum philoſophum. Atqui rectè diſſolutum eſt argumentum illud, quod uidebatur oſtendere, eſſe ſubſtantiarum ſeparatarum, idcirco non poſſe ad primum philoſophum ſpectare, quòd motus ad philoſophum naturalem pertineret.

Quibus ita conſtitutis, ad id iam reuertendum eſt, unde noſtra lōgius, ob eas quas attulimus cauſas, digreſſa eſt oratio. Luce igitur clarius uidetur conſtare, rectè nos ad eum locum reſpondiſſe, quem ex VI. Primæ philoſophiæ lib. citauit Genua, Ariſtotelē ſcilicet, noluiſſe uerbis illis negare, primum philoſophum pertractare etiam materiam & formam, et compoſita ex ipſa materia & forma: itaq; definire per materiam eo modo, quo ſuprà dictū eſt. Quòd ſi dixerit, philo-

ſophum

ſophum naturalem nõ conſiderare immaterialia, ſed materialia, atq; ita definire per materiã, id eſſe cauſę, quòd naturalis primò abſtracta non cõſiderat, etſi reuera tamen conſiderat, ut dictũ eſt: dixiſſe autẽ Ariſtotelem, eum definire per materiam et motũ, ut (quemadmodũ ſuperius dictũ eſt) deſignaret ſubiectũ philoſophiæ naturalis: ita demũ nihil facere contra nos, recteq; à nobis dictũ eſſe: idcirco Ariſtotelem tradidiſſe, primam philoſophiam uerſari circa ſeparabilia, & immobilia, quòd ipſa eſt, quæ primò Deum, & intelligentias, quæ ſunt cauſæ entis, quatenus eſt ens, contẽplatur, ut ſuprà oſtẽſum eſt, quæ quidẽ ſunt abſtracta, et immobilia. Itaq; uerbis illis uoluiſſe Ariſtotelẽ deſignare ſubiectum diuinæ philoſophiæ, quod eſt ens, quatenus ens, quo quidem diuina philoſophia diſtingui debet à cæteris ſcientijs: idq; feciſſe per ea quæ ſubiecto illi præſtantiam & nobilitatem afferrent, ut ſuperius, cum ſexti Primæ philoſophiæ libri finem explicaremus, declaratum eſt.

SECTIO XXV.

ILlud autem non leuem ſanè difficultatem uidetur habere, quod ita ſubiunxit:

Quòd ſi ſunt de abſtractis ab omni materia, et immobilibus, ſequitur ut ſint de abſtractis aut per eſſentiã, aut p indifferentiã. ‹‹

Nam quæ ſunt abſtracta ab omni materia, & immobilia, neceſſe eſt, abſtracta ſint per eſſentiã, ut per ſe ipſum patet, utq; oſtendit Ariſtoteles VI. Primæ philoſophiæ lib. textu quarto, his uerbis:

Quòd ſi quidpiam ſit in ratione rerum immobile, ſempiternum, ac ſeparabile, patẽre, ad contemplatricem quidem ſcientiam illius cognitionem ſpectare, non tamen ad naturalem, neq; ad Mathematicam, ſed aliam his utriſq; diuerſam. Naturalis enim inſeparabilia quidem pertractat, ſed non immobilia: Mathematicarum uerò nonnullæ immobilia, at non fortaſſe ſeparabilia, ſed ut in materia ſunt: prima uero philoſophia, & ſeparabilia, & immobilia. ‹‹

Hæc igitur nõ poſſunt eſſe abſtracta, niſi per eſſentiã, ut quę ſpectãt ad primũ philoſophum. abſtracta igitur ab omni materia, & immobilia, nõ poſſumus aliter accipere, niſi ut ſignificent abſtracta per eſſentiã. Quocirca non rectè ſic uidetur inferre, talia eſſe abſtracta, aut per eſſentiam, aut per indifferẽtiam, ſi tantũmodo abſtracta ſint per eſſentiam: quod etiam oſtendit ea quam citat ipſe, auctoritas. Ac ne quid relinquatur ambigui, cõcedimus etiam (quod tamẽ nuſquam uidetur dicere Ariſtoteles) eſſe abſtracta per indifferentiã: negamus autẽ, ad ea cognoſcenda neceſſariam eſſe cognitionem eorũ quæ natura ſunt. id enim potiorẽ uim haberet, ſi ponerẽtur abſtracta per eſſentiã. Nam ea quæ intrinſecus inſunt ipſi ſubſtantiæ, ut eius deſcriptio, quæq; de ea poſſunt abſq; motu cognoſci, nõ indigent eis quæ natura conſtant, patet ex ipſomet libro. Neq; illa notitia in eo genere eſt omnino cõfuſa: ſiquidem fieri nõ poteſt, ut dilucidius in eo genere tradatur; de qua tamẽ cognitione III. lib. pluribus diſſeremus. eſt

enim cognitio quæſita ex poſterioribus. ut ſi oſtendas, Lunã eſſe eclipſi obſcuratã, quod cum ſi in plenilunio, neq; ulla re impediatur, nullã tamen efficit umbram. Ex hoc enim ſatis intelligi poterit, eclipſim uerè ineſſe ipſi lunæ, licet ignoremus cauſam. Item etiã cognitio illa proprietatũ earum, quæ oſtendũtur in lib. Prædicamentorũ, ineſſe ipſis generibus, ſatis cõparari poteſt ex ijs quę poſteriora ſunt, ut ex inductione, uerbi gratia, ſubſtantiæ propriũ eſſe ſuſcipere contraria: quòd uidemus hunc & illũ hominem, cũ unus & idem numero ſit, fieri modo albũ, modo nigrũ. Quo cognito, facilè erit cognoſcere in philoſophia, lignũ eſſe ſubſtantiam, quòd ſit ipſorũ contrariorum ſuſceptibile abſq; cognitione cauſæ, quamobrem ſubſtantia ſuſcipiat cõtraria. nam hæc cauſa diſcitur poſtmodũ ex ipſa Prima philoſophia. ſed ea quam diximus cognitio, ſatis idonea eſt ad id præſtandum. Quare in extrema noſtri libelli parte oſtendimus, doctrinam prædicamentorũ eſſe ſeorſum traditam. Ita non perinde erit, ac ſi ignotum per ignotius declaret Ariſtoteles.

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE

Liber Secundus.

SECTIO PRIMA.

GENVA. SEcundò inter omnes conuenit, diuinam ſcientiam eſſe nobis cognoſcendã ordine poſtremam, cũ ſenſus noſtros in illa conſiderata maximè effugiant. Quare ſequi uidetur, ſi de ijs, ut entia ſunt, in libro Prædicamentorum agitur, librum hunc poſt omnes naturales addiſcendum. Quòd ſi dicatur, ut ordinatur in opus, præcedit: quærendum tunc erit, utrum per ſic ordinari entia illa in prædicamentis contrahantur, nec ne? Quod ſi affirmabitur, tũc Metaphyſicæ conſiderationis nõ erit, per retro dicta de diffinitione Metaphyſ. Sed diſtinguetur à Metaphyſica liber iſte, quemadmodum & ſcientiæ aliæ: quæ ens contrahunt, uel ad quantum, uel ad mobile: ſi uerò negabitur, ſequitur propoſitum.

ANTO. MIRAN. Ad id uerò quod ſecundo loco opponit uir iſte præſtantiſſimus, dicimus, quod ſuprà etiam diximus, ipſa decem genera, non ut entia ſunt, in lib. Prędicamentorũ cõſiderari, ſed ſubſtantiã pertractari ut ſubſtantia eſt, et quantitatẽ ut quantitas eſt, eodemq; modo reliquę. Neq; tamen ex eo ſequi id, quod uidetur ipſe aſſerere. Ita enim ſentimus, Primã philoſophiam ſecundùm naturã, & noſtrum cognoſcẽdi modũ, pręcedere oportere omnes facultates particulares: certa autem aliqua ratione factũ eſſe, ut inſequãtur, quicquid ſentiãt Interpretes. Nos enim ſequimur & Ariſtotelem & ueritatem. Hoc autem ita eſſe, quo facilius intelligatur, nõ erit fortaſſe alienũ paulo altius repetere ab his quæ paſſim cõceduntur. Ens ergo diuiditur in ſubſtantiam,

tiam,quantitatē,qualitatem,ad aliquid,ubi, quādo,sitū esse,habere, facere,pati. Substantia uerò diuiditur in simplicē & mixtam,ut nemini obscurū esse arbitror: substātia enim de qua prędicatur ens,necessariò est cōposita: ut ex eis quæ superius dicta sunt,facilè intelligi potuit: quę quidē substantia cōposita,necessariò constat aut ex materia & forma tantùm,aut ex mixtione quatuor elementorum. Non enim plures sunt natura substantiæ cōpositæ: siquidem omnia quæ natura sunt cōposita,uel corpora sunt,& magnitudines,uel habentia corpus,& magnitudinē. Atq; illa substantia,quæ cōstat ex materia & forma tantùm,dicit̄ simplex,& diuiditur in corruptibilē,ut quatuor elemēta: & in incorruptibilē,ut corpora cœlestia, ut ex lib. de Cœlo patet. substātia uerò mixta diuiditur in imperfectam,ut grando,nix, pruina: & perfectā. atq; hæc ipsa perfecta diuidit̄ in inanimatā, ut metalla, lapides: et animatā. Animata autem diuiditur in animatā anima uegetatiua,ut plantæ: et in animatā anima sensitiua,ut animalia. Atq; hæc deinceps diuiditur in animatā anima rationali,ut homo: & animatā anima irrationali,ut bruta,sicuti intelligere est ex omnibus Aristotelis de Philosophia libris. Cū ergo istæ sint omnes res, quæ sunt cū suis affectibus in uniuerso,distinguendo etiā reliqua genera,prout exigūt: necesse est,omnes sciētias esse de his omnib. rebus. Sunt enim excogitatæ ipsæ scientiæ,ut quæ sunt in rerū natura dubia, sciamus, ut patet ex I. Primæ philosophiæ libro. Quare necessariò,quē ordinē sortitæ sunt ipsæ res,eundē obtinent scientię. Rerū autem cū aliæ sint & naturæ & nobis priores,aliæ uerò & nobis & naturę posteriores: scientiæ quæ sunt de rebus & nobis & naturæ prioribus, sunt & nobis & naturæ priores: sed ens & substātia sunt nobis & naturæ priora (naturę enim prius est id,à quo nō conuertitur subsistendi cōsequentia) nobis autē uniuersaliora sunt notiora, siquidē ad cognitionē inferioris requiritur cognitio superioris,at nō contrà: idq; facilius est,& notius,quod paucioribus indiget,ut patet ex I. Post. lib. ubi hac ipsa ratione ostēdit Aristoteles, demōstrationem affirmatiuā esse digniorē negatiua: prius est ergo,& notius,& credibilius id,q̄d est superius. At prima philosophia est de ente,& de substātia: est igit̄ de prioribus & notiorib. nobis & naturæ. itaq; princeps occurrit et naturæ,et nobis. Cur aūt postremū locum obtineat,reddita est à nobis causa & in Cōmentario, & superiore libro. Quòd autē uera sint ea quæ diximus de uniuersalibus,cū ex aliis cōplurib. locis Arist. colligi posse arbitramur, tum uerò præcipuè ex I. Phys. lib. ubi ita ait:

Unde ex uniuersalibus in singularia oportet procedere. „

Et infrà sic:

Igitur dicamus primùm de omni generatiōe: aggrediētes etenim secundū naturā cōmunia prius dicere, et sic circa unūquodq; speculari. „

Itemq; ex II. de Generatione & corruptione lib. ubi ait:

Dicendum de omni generatione similiter, quot, & quæ horum principia. facilius enim sic singularia inspiciemus, quando de uniuersalibus accipiemus prius. „

Item 1. Prior. lib. cum dixiſſet, oportere primùm dicere quid per-tractaturus eſſet, & cuius rei gratia, nempe demonſtrationis & de-mõſtratiuæ diſciplinæ cauſa: deinde definire, quid eſſet propoſitio, quid terminus, quid ſyllogiſmus, ne quis hoc miraretur, quòd pri-mò uellet agere de ſyllogiſmo, ſubiunxit:

» *Iis uerò determinatis, dicendum eſt, per quæ, & quando, & quo*
» *modo fiat omnis ſyllogiſmus: poſtea uero dicemus de demonſtratione.*
» *prius enim dicendum de ſyllogiſmo, quàm de demonſtratione, quòd u-*
» *niuerſalior eſt ſyllogiſmus. nam omnis quidem demonſtratio eſt ſyllo*
» *giſmus, non omnis autem ſyllogiſmus eſt demonſtratio.*

Secundo etiam Top. libro:

» *Oportet autem, inquit, conſiderare, et incipere à prioribus, dein-*
» *de per ordinem uſq; ad indiuidua.*

Et primo de Partibus animalium libro,

» *Sed cũ ultimæ ſpecies ſubſtantiæ ſint, quæ quidẽ ſpecies nullo ſpe-*
» *ciei diſcrimine differant, ut Socrates, Choriſcus: efficitur profectò,*
» *ut uel uniuerſalia explicari prius, uel idem ſæpius dicere neceſſe ſit.*

Neq; huic ſententiæ aduerſatur illud 1. Poſter. lib. cap. 11.

» *Priora autem, & notiora dupliciter ſunt. non enim idem eſt prius*
» *natura, & ad nos: neq; notius natura, & nobis notius. Dico autẽ ad*
» *nos priora, & notiora, propinquiora ſenſui: ſimpliciter autẽ priora,*
» *et notiora, quæ longius ſunt. ſunt autẽ longiſſima quidem uniuerſalia,*
» *maximè propinquiſſima autem ſingularia, & opponuntur hæc inuicẽ.*

His enim uerbis apertè ſignificat, ſe uoce ſingularia intelligere con ceptus uniuerſales, ſumptos ab accidentibus cõpoſitorum. cõpoſita enim cognoſcũtur, cognitis eorũ accidẽtibus. Voce autem uniuerſa lia, cõceptus uniuerſales ſumptos à cauſis, quibus conſtant ipſa cõpo ſita, quod multis rationibus comprobari arbitramur. Dicit enim ſe priora nobis, & notiora, uocare ea quę propinquiora ſunt ſenſui. At quæ nam hæc? nẽpe accidentia cõpoſitorum. Quòd ſi paulo pòſt infert, ſingularia eſſet ſenſui propinquiſſima, uniuerſaliora autẽ ab ipſo ſenſu remotiſſima, rationi conſentaneũ eſſe uidetur, ut uoce Sin gularia, intelligamus eos cõceptus, quos diximus: uoce autẽ Vniuer ſalia, cauſas. nihil enim hic neceſſe fuit loqui de ſingulari, hoc eſt de indiuiduo numero: ſiquidẽ agitur de demõſtrationibus, quæ à cau-ſis uniuerſalib. ad uniuerſales effectus progrediũtur. Atq; hæc idcir-co ſubiũxit Ariſtoteles, ut tacitã quandam dubitationẽ tolleret. aliter enim nihil ad rem faceret. Ea aũt hæc uidetur eſſe, cũ dixiſſet, demon ſtrationẽ cõſtitui ex cauſis, quæ notiores ſint, & quod ad naturã atti net, & q̊d ad nos: ex illis eñ ipſi diſcimus: potuit aliquis dubitare, nũ ſemp id uerũ eſſet. quocirca ut oſtẽderet nõ ita ſemper eſſe, intulit:

» *Priora autem, & notiora dupliciter ſunt: non enim idem eſt prius*
» *natura, & ad nos.*

Ex quib. facilè intelligiẽ, non ſemper demonſtrationẽ conſtare ex

his

his quæ nota sunt & nobis, & naturę. Hoc itē sensu (ut ego quidē arbitror) exponendus est Aristot. I. Primæ philoso. lib. tex. II. ubi ait:

Ferè autem & ea sunt hominibus difficillima cognitu, quæ maximè uniuersalia sunt. longißimè nanq; à sensibus distant. ""

Quæ enim maximè uniuersalia uocat, de his causis intelligit. paulò enim antè tex. VII. ita dixerat,

Sed cuius gratia sermonem nunc facimus, id est. omnes enim eam scientiam, quæ sapientia nuncupatur, circa primas causas, & principia esse putant. ""

Et textu VIII.

Deinde sapientem eum esse putemus, qui difficilia homini, non facilia, cognoscere potest. ""

Dixit autē huiusmodi causas esse difficillimas, propterea quòd sensus noster ad illas nō aspirat. Quòd autē uoce illa, Vniuersalia, causas intelligat, ex eo facilè colligi potest, quòd apud Aristotelē multis modis dicit̃ uniuersale. Nam interdū uocat uniuersale, id quod de pluribus dicit̃: interdū id quod est secundùm quod ipsum, ut I. Post. lib.

Vniuersale est, quod est per se, & secundùm quòd ipsum. ""

Nonnunquam quod est perfectius, ut patet ex VI. Primæ philosophiæ libro, textu V.

Sin uerò, inquit, substantia sit in ratione rerum, quædam immobilis, hæc erit profectò prior philosophia, quàm prima & uniuersalis, hoc pacto, quia est prima. ""

Potest ergo uniuersale accipi etiam pro causa, non pro eo semper quod de plurib. dicitur. Quod etiam Alexander in VI. Primæ philosophiæ lib. loco citato, & in XI, XXVI. testatū reliquit. Non ergo faciunt hi loci contra nos, qui diximus, magis uniuersalia esse notiora, quàm minus uniuersalia. Neq; enim cū dixit Aristoteles I. Primæ philosophiæ lib. maximè uniuersalia esse hominib. cognitu difficillima, aliud significare uoluit, ac I. Poster. lib. ubi etiā usus est aduerbio illo Maximè. Possumus igitur uocib. Maximè uniuersale, intelligere causas omnes, quæcūq; longissimè absunt à sensu, præ cōpositis, quæ ad ipsum sensum quàm proximè accedūt. Non ergò sentētiæ nostrę aduersantur loca illa quæ citauimus. Neq; illud II. Poster. lib. ex definitionibus specierū inuestigari definitiones generis: quæ enim (ut nō nulli ex Interpretibus Gręcis exponūt) conueniunt generib. & speciebus, hæc eadē conueniūt generib. propter ipsas species. Quare ea sic accipi debent, ut ab Arist. dicta sint, nō ex eius sentētia, sed ex cōmuni hominū opinione. Quòd si aliter exponatur, nō uideo queadmodū inter se cohæreāt hæc, & ea quæ VI. Top. lib. cap. IIII. ita scribit:

Siquidē oportet per genus & differētias definire eum, qui definiat bene. hæc autē simpliciter sunt priora et euidētiora, q̃ species. interimit enim genus & differētia speciē: quare priora hæc sunt q̃ species, & euidētiora. Nam specie quidē nota, necesse est genus et differētias cognosci. ""

» *cognosci. nam qui hominem scit, & animal gressibile scit. Genere au*
» *tem, uel differentia notis, non necesse est speciem cognosci: quare*
» *ignotior species.*

Nam si nota specie, necesse est genus & differentias esse notas, nō autem contrà, quî fieri potest, ut ex definitione specierum colligatur definitio generis? ignota enim definitione generis, ignoratur etiā ipsum genus. Quòd si genus ignoretur, ignoratur item definitio speciei. ignorata autem definitione speciei, ignoratur ipsa species. Fatendum est igitur, alterum horum locorum à ueritate recedere. Sed cum ostendat ratio, quod VI. Top. lib. dictum est, hoc esse uerissimum: cōsequens est ut falsum sit, quod secundo Poster. lib. traditur. secum enim hæc uicissim pugnant. Quòd si utrūq; dixit Aristoteles, alterum ex communi hominum opinione tradidit, nō quòd ipse ita sentiret, itaq; nihil planè sententiam nostram infirmat. Hoc item confirmari potest ex eis quæ scripsit Aristoteles primo Poster. lib. cap. quinto, his uerbis:

» *Si aliqua cōuenirent generibus & speciebus, & aliquis demōstra*
» *ret illa seorsum de specieb. erraret, quia illa prius cōueniunt generi.*

Et cap. XVII.

» *Si igitur triangulus in plus est, & ratio eadem, & non secundùm*
» *æquiuocationem triangulus est, & inest omni triangulo, quod est duo*
» *bus rectis: non utiq; triangulus secundùm quòd æquitibianum, sed se-*
» *cundùm quòd est triangulus, habet huiusmodi angulos.*

Vult igitur ea, quæ generibus conueniunt, hæc eadem conuenire speciebus propter genera, non generibus propter species. Itaq; fieri nullo modo potest, ut ex definitionibus specierū inuestigentur definitiones generū. Quod tamen accipiendū est, ut Aristoteles nō quid ipse sentiat, exponat, sed ex uulgata tūc hominū opinione loquatur: quod quidē multis in locis facit. Neq; enim probandū ullo modo uidetur, tantum Philosophum tanta in re, tamq; apertè sibi ipsi nō constare. In hanc item sententiā locutus est eod. II. Poster. lib. tex. LXX.

» *Facilius quidem est, inquit, singulare definire, quam uniuersale: un*
» *de oportet ex singularibus in uniuersalia ascendere. nanq; æquiuoca-*
» *tiones latent magis in uniuersalibus, quàm in differentibus.*

Nam si in definitionibus singulariū, quæ minus uidelicet uniuersalia sunt, ponuntur magis uniuersalia: hæc autem si ignorentur, necesse est ignorari minus uniuersalia: sicut ignorato motu, necesse est ignorare naturā: non uideo quomodo fieri possit, ut sit facilius definire minus uniuersalia, quàm magis uniuersalia, præsertim cum magis uniuersalia sint totū, comparata cū his quæ sunt minus uniuersalia, totū uero sit notius. Non ergò absurdū est, Aristotelis uerba ita loco citato exponere, ut quemadmodū tunc uulgò sentirent homines, locutus sit, ac ratio illa quam affert, sit probabilis, nō demonstratiua. ita enim potius dicendū uidetur, quàm ut tot locorū Aristotelis

sensus

sensus distrahatur, idq; tàm multis rationibus cōtrà facientibus: præsertim cum alijs item cōpluribus locis eodem modo exponendū sit. Concludet autē fortasse aliquis, inspiciens definitiones specierū, quę per genus remotum definitę sint, quod in ipsis speciebus commune sit, hoc esse definitionem generis. sed fieri nullo modo potest, ut definiatur ulla species, nisi cognita prius definitione generis. Neq; huic rei quicq; aduersatur id quod scribit Aristoteles I. Phys. lib. tex. V.

Sustinent autem idem quodammodo hoc, & nomina ad rationem. "
totum enim quoddam, et indistinctè significat, ut puta circulus, definitio autem ipsius diuidit in singularia. "

Ibi enim loquitur ex similitudine quadam, nō quòd ita reuera sit, ut ex eis quæ suprà dicta sunt, facilè cōstat. cum enim dixisset, magis uniuersale esse notius, propterea quod totum est: intulit, tantam esse uim totius, ut definita etiam, quæ totius locū obtinent, uideātur esse notiora q̃ partes definitionis. Quoniam autem hoc omnino uerum non esset, definitum enim non est eo modo totum, si conferatur cum partibus definitionis, ut magis uniuersale si comparetur cū eo quod minus uniuersale sit: adiūxit Aristoteles uerbū illud, quodāmodo.

Neq; uerò q̃d scribit XVIII. sect. Prob. ubi comparātur uniuersalia cum singularibus, ex quib. sumūtur ipsa uniuersalia, ait, nobis notum esse minus uniuersale q̃ partes, uerū est. nisi enim notiora essent singularia, ex his non sumerentur uniuersalia. sed nos loquimur de eo quod magis uniuersale est, & minus uniuersale. Quòd si magis uniuersalia notiora sunt (nec enim obstant ea quæ uarijs locis uisus est dicere Aristoteles. nam bono sensu interpretanda sunt.) ut quādo dicit uniuersalius carere aliquandò nomine proprio, quia licet illud nō sit nobis notū ratione illius nominis, necesse tamē est, ut sit tūc notū circumlocutione, cū minus uniuersale ponitur notū: alioquin ob eas quas diximus rationes, fieri nō posset, ut minus uniuersale esset notū. Diuina autē philosophia est de his quæ magis uniuersalia sunt, ut patet: quippe quæ est de ente, quatenus ens est: sequitur, ut de his sit quæ nobis notiora sunt, & naturæ. Quòd si postremum locum obtinet, hoc (ut ita dicā) per accidens factū est, uti nos & in Cōmentario, et suprà ostēdimus. Nec obstat illud Aristotelis, idē non posse & nobis, & naturæ notū esse, siquidem uerū non est uniuersaliter. cogeremur enim fateri, demonstrationē ex causis nō esse ex notioribus nobis, quod omniū (mea quidem sententia) est absurdissimū, quicquid eo loco dicat Themistius, cum enim discātur à nobis cōclusiones ex præmissis, notiores sunt ipsæ præmissæ, in quib. quidē pręmissis insunt causæ. Nec repugnat, quod in procemio I. Phys. lib. dixit Aristoteles, ex uniuersalib. ad singularia progrediendū esse: cū loquat̃ de causis, quę in philosophia naturali nobis ignotæ sunt. Nā & si præ natura nobis ignotæ sunt causæ omnes, tamē ex omnibus causis quas ignoramus, notiores sunt uniuersaliores, quod in uia doctrinę eorū effectus nobis sunt notiores, ex quib. effectibus demōstrantur causæ. Neq; uerò illud absurdū esse, si quid dicatur notius, quod tamē ignotū sit, ostēdit Arist. lib. III. de Cœlo, his uerbis:

Graue

›› *Graue enim omne grauius, & leue leuius contingit aliquod esse:*
›› *grauius autem, aut leuius forte non necesse, graue, aut leue esse: quem-*
›› *admodum magnum maius, maius autē non semper magnum. Multa e-*
›› *nim sunt quæ parua entia simpliciter, tamen maiora alijs sunt.*

Ex natura igitur, & nostra cognoscendi ratione, debet præcedere Diuina philosophia in ordine doctrinæ. inuestigantibus enim nobis causas ignotas, uniuersaliores prius occurrunt, ob eas quas attulimus rationes. Itaq; argumentum Genuæ probaret id quod ipsi uolumus. si decem illa genera considerantur, ut entia, oportere præcedere omnes lib. Philosophiæ naturalis, quòd ens ut ens præcedit. Quod uerò posset dicere, argumentum illud ostendere, decem ipsa genera insequi oportere, quia tribuit Aristoteles ultimum locum Diuinę philosophiæ: id ego negaui in decima nostri libelli sectione, ubi causam reddidi, quare Diuina philosophia collocata sit post naturalem. quare item prędicamentorum liber ex ipsa Diuina philosophia sit extractus, ad quem locum nos reijcimus. nondum enim confutata est causa illa, quam ipsi attulimus. Quam uerò causam affert uir iste celeberrimus, quamobrem ipsa Diuina philosophia posteriorem locum sortita sit, hæc minus probanda uidetur, tum ob eas rationes quibus ostendimus, Primam philosophiam secundùm naturam & nostrum cognoscendi modum in ordine doctrinæ debere præcedere: tum quia ubicunq; tractentur ea, sensus nostros effugiunt. Negamus etiam, decem ipsa genera considerari, ut ad opus rediguntur: neque tamen ex hoc quicquam absurdi contra nos sequi, perspicuè (ut ego quidem arbitror) ex eis quæ dicta sunt, patet. Quod si etiam ordinarentur ad opus, tamen non sequitur, ut distinguantur à Diuina philosophia, quemadmodum cæteræ scientiæ, quæ ens contrahunt, uel ad quantum, uel ad mobile, sicuti ostendemus in IIII. lib. ubi declarabimus, referre aliquid ad opus, non esse illud contrahere ad materiam, sed ad formã, ita ut distinctio ad opus sit longè maior (est enim secundùm formam) quàm illa qua scientiæ distinguuntur inter se. Quomodo etiam intelligendum sit, quod Aristoteles de definitione Primæ philosophię protulit, satis superiore libro declaratũ esse arbitramur. Sed hoc non prætermittendum putaui, quin ostenderem, rationes eas quæ hactenus à uiro isto peritissimo allatæ sunt, nihil aliud inferre absurdi, nisi quòd Prędicamentorum liber secundùm naturã alium ordinē obtineret ab eo quem illi ego tribui. quod quidem quantam uim habeat, nemini obscurũ esse arbitror, cum ordo cõpluribus de causis uel facillimè immutari possit. ut enim hic ipse liber secundùm naturam insequi debeat philosophiam naturalem, tamen ut facilior efficeretur rerum cognitio, uisum esse Aristoteli præponendum esse. Quod idem accidit libro de Animalibus, ratione libri de Plantis. ita dissolutæ sunt eius rationes. Aut dicendum est, librum illum secundùm nostrum cognoscendi modũ insequi, præcedere autem secundùm naturam. sic nihil absurdi sequitur. Multa

enim

enim sępenumero, quæ nobis difficiliora sunt in doctrina aliqua tra denda præcedunt, ut ex libro de Cœlo constat, ubi prius de cœlo, quàm de elementis agitur. Longè tamen est difficilius nobis cognoscere cœlum, quàm elementa. Nam primo de Partibus, cap. V. ita scriptum reliquit Aristoteles:

Substantiæ, quæ natura constant, partim ingenitæ, immortalesq; seculis omnibus sunt, partim ortus participes, atque interitus intelliguntur: sed partem illam æternam, & proinde nobilem ac diuinam, minus contemplari propterea possumus, quòd admodum pauca illius nostro sensui patent: quorum beneficio tum de ea ipsa parte diuina, tū de ijs quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandiq; suppeditetur, res mortales, atq; caducas: ut stirpes, ut animantes, quod eas socias, familiaresq; habemus, nosse uberius possumus. " " " " " " " "

Cum autem in his corruptibilibus quatuor sint elementa, sequitur ut hæc à nobis facilius percipi posśint. patet hoc etiam ex Rhetorica arte. nam prius agitur de genere deliberatiuo, quàm de genere iudiciali. cum tamen Aristoteles tertio libro ostendat, genus deliberatiuum maiorem habere difficultatē, quàm genus iudiciale, ob eas quas ibi recenset causas. Ita, nisi me mea fallit opinio, nullæ iam sunt excellentis huius philosophi rationes: quanquam non arbitramur recedendum esse ab his quæ antè diximus, ob eas quas attulimus rationes, cum negauimus etiam decem illa genera ibi cōsiderari, ut entia, & ut ad opus ordinantur.

SECTIO II.

TErtiò, quæ in Prædicamentis traduntur omnia, perfectè habentur cognita diuina philosophia, ut diuinum exigit negotium: quare neq; dicendus erit philosophus in Metaphysica diminutus, nec Prædicamentorum liber pars ulla scientiæ diuinæ confirmatur. & primò de ijs quæ præcedunt multifariam dictis, satis superq; quo ad Metaphysicū negotium, dictum est: nec tamen eo modo, quo in libro Prædicamentorum. GENVA

Confirmatur per Alexandrum, præcipuum inter Peripateticos, cum sibi obijciens V. Metaphys. imperfectum illum esse librum, cū non omnia contineat multis dicta modis, dicat sermonem hunc audiendum non esse. Quandoquidem in hoc libro de communibus illis, quibus & doctrinæ omnes, ut talibus utunť, & quæ ens communiter affectātur, qualia sunt, principium, causa, elementum, quæ principia realia esse, nulli potest esse dubium, dixit, adhuc ostenso, quibus in rebus diuini uersetur contemplatio, IIII Metaphysicæ determinandum. Postea erat de ijs, quorum usus necessarius est ad cōsiderationem eorum quæ demonstrari debent, qualis partitio est eorū quæ multifariam dicūtur. Quare sermo ille de uniuocis, æquiuocis, & reliquis in anteprædicamentis, etsi ad prædicamenta ipsa cōferre dicatur, nō tamen ut transcendentia, & realia, cum satis in V.

Metaphys. dictum sit de multifariam dictis, quæ ad species illas analogatas, substantiam scilicet, & accidentia, in quas, ut ens partitur, conducere uidentur. Recte itaque determinauit Auerroës quinto Metaphys. aduersus Nicolaum, cum dixit, philosophum nomina hic distinxisse, ut significant intentiones in hac scientia considerandas. Et ideo esse debet liber iste pars seorsum accepta, quia de nominibus istis intellexit, ut significant. Confirmauit idem tertio Metaphys. dicens: In hac scientia exponit nomina in uno tractatu, non ad diuidendum nomē æquiuocum, ut Logicum scilicet negotium est, de nominibus significātibus, nō tamen ut significant: & addit, Sed numerando intentiones, de quibus hæc scientia considerat.

Quod ad ea attinet, quæ contra nos hoc loco scribit Genua, negamus, omnia ea quæ in Prædicamentis traduntur, perfectè cognosci ex diuina philosophia, si ab ea seiungatur Prædicamentorum liber. Quod quidē etsi luce clarius ostendisse nos putamus in Commētario nostro, tamen ut ueritas magis eluceat, nō grauabimur de his iterum nōnulla perstringere. Ostensum est igitur, substantiā, ut substantia est, eodemq; modo reliqua genera, à Prima considerari philosophia, ut ex quarto Primæ philosophiæ libro, text. VI. & ex V. text. XIII. & IX. text. I. & XII. text. I. & multis alijs locis patet. Necesse est ergo, diuinam philosophiam perfectam eorum cognitionem tradere. aliter enim imperfecta esset, & res ignotæ relinquerentur. Horum autem ipsorum generum nullo modo perfecta haberi potest cognitio, non cognita eorum natura, quomodo quidē illam habent: simul & ipsorū proprietatibus. hoc enim exigit perfecta cuiusq; rei cognitio, ut I. Poster. lib. docet Aristoteles. Necesse est igit, primum philosophū naturæ substantiæ, reliquorum item generū, atq; eorum proprietatum cognitionem tradere: hoc autem nō præstat sine libro Prædicamentorū: ergo Aristoteles in Prima philosophia mancus esset, atq; imperfectus. Hoc autem ita esse, ex eo colligi potest, quod si usquam alibi primus philosophus huiusmodi cognitionem traderet, hoc præcipuè V. lib. faceret: ibi aūt non tradit, ergo nusquā alibi. Quod aūt in V. lib. nō tradat huiusmodi cognitionem, ex eo apparet, quod in ipso V. lib. distinguuntur ea quæ plura significant, quæ quidē distinctio nō prętat perfectā eorū quæ distinguuntur, cognitionē: ut hinc colligi potest, quod satis superq; esset unus ille liber, cū ibi omnia ferè distinguant, quæ Primæ sunt philosophię. ut patet etiam ex eo quod Aristot. VII. lib. egit de quiditate, & de potentia, & de actu, in IX. de quibus tamen egerat in V. Cum hæc igit cognitio ibi nō tradatur, nusquā omnino traditur: siquidem in reliquis libris, nō ita multis uerbis de huiusmodi rebus agit Aristoteles, neq; probat ullas horū generū proprietates. Recte igitur illa ratio cōcluditur, nisi in Prædicamentorū lib. de his, ut talia sunt, ageret, Aristotelem in rebus tradendis futurū fuisse mancū ac mutilatū. Quod si etiam cōcederemus, ex Prima philosophia plenā illorum generum cognitionē haberi, quod tamen omnino falsum est; ex eo tamen nō

sequeretur,

ſequeretur, ut quæ tractantur in libro Prædicamentorum, hæc non pertineant ad Primam philoſophiam. nam tractarentur, ut definiendis rebus in ſcientijs particularibus poſſemus cognoſcere, quæ res ſint ſubſtantiæ, quæ quantitates: itaq; tractarentur, ut talia ſunt, ut ex Rhetoricorum libro facilè colligi poteſt. In eo enim libro agit Ariſtoteles de affectibus animi, & de his quæ ad deliberationem pertinent, & ad res publicas, de quib. egerat in Ciuili facultate. De his tamen eo libro agit (ut ipſe inquit) ſumpta ciuilis artificis perſona. Nullam igitur uim habet illud argumentum, de Prædicamentis plenè agitur in Prima philoſophia ſine libro Prædicamentorum: ergo niſi nimius ſit Ariſtoteles, liber Prædicamentorum non eſt pars Primæ philoſophiæ: nam ita etiam eſſet pars Primæ philoſophiæ. fieri enim poſſet, ut ea doctrina repeteret̃, ob eam quã diximus cauſam.

Quod uerò ad Primã rationem attinet, qua conatur Genua confirmare quod dixerat, negamus aliter egiſſe Ariſtotelem de his quæ plura ſignificant, in quinto Metaphyſicorum libro, atque in libro Prædicamentorum. ubique enim de eiſdem loquitur, ut ſciamus: atque eadem eſt doctrina, ut in noſtro libro ac ſuprà oſtẽſum eſt, utq; inferius etiam oſtendetur.

Ad eam uerò quam ſumit ex Alexandro confirmationem, etſi liceret nobis, qui unum Ariſtotelẽ ſequimur, id quod affert, negare: tamen quia propoſitũ nobis eſt, omnes tueri, quoad poterimus, expoſitores: dicimus, tantùm abeſſe ut Alexãdri uerba cõtra nos quicquã faciant, ut ex illius etiã opinione noſtrã maximè cõfirmari putemus. Nã ſi ea quæ in Primæ philoſophiæ lib. diſtinguunt̃, ad ipſam Primã philoſophiam ſpectant, eademq; ſunt etiã in Logica, ſed in ordine ad opus, ſimpliciter & abſolutè ſunt Primæ philoſophię. ſed de hac re pluribus in Cõmentario egimus. Quod huiuſmodi aũt ad Metaphyſ. ſpectent, oſtendit etiã ipſe initio ipſius v. lib. his uerbis:

" *Siquidem primi philoſophi munus eſſe demonſtratum eſt, de ente in uniuerſum diſputare, deq; ijs quæ communiter enti inſunt. ſunt autem entis communia, ea quibus doctrinæ omnes utuntur. de ijs enim diſſerere, partes ſunt primi philoſophi: nec horum conſideratio ad cæterarum diſciplinarum quampiam priuatim attinet, propterea quòd nulli cuidam enti, quatenus certum quiddam eſt, ipſorum quidpiam adeſt: ſed enti, quatenus ens, de quo primi philoſophi intereſt diſputare: quorum diſputatio quàm ſit neceſſaria, docet ipſorum uſus. omnes enim diſciplinæ his uſurpandis, propoſita ſua demonſtrant. Qui communis ipſorum uſus ſatis habet argumenti, nullius doctrinæ particularem eſſe huiuſmodi rerum commentationem.* "

Quòd ſi ea quæ nulli certo enti, quatenus certum eſt ens, ſed enti quatenus ens eſt, conueniunt, pertinent ad primum philoſophum: omnia autem quæ ſunt in Logica, ita ſe habent: omnia illa, ex Alexandri ſententia, pertinebunt ad primum philoſophum.

Hæc ergo in Logica aut eodem modo quo in Prima philosophia, considerantur, aut diuerso. Si eodem modo, Prima philosophia & Logica non distinguuntur: eædem enim omnino sunt, ut quæ eandem habent materiam eodem modo consideratam. Sin autem diuerso modo, & ad Primam philosophiam primò spectant, Logicæ erunt in ordine ad opus. ita uidetur Alexander nostræ fauere sententiæ. Concedimus enim, huiusmodi omnia esse realia. at quatenus rediguntur ad opus, dicimus quodammodo naturam commutare. Neque uerò id modo assentimur, sed ex eo etiam sumimus id quod maximè nostram uidetur tueri opinionem, quod tamen isti negant, genus uidelicet, & species, proprium, accidens, & reliqua huiusmodi, quæ secundæ uocantur intentiones, dici realia, quod ens (ut Alexandri uerbis utar) cõmuniter assectantur: quemadmodum principium, causa, natura, elementũ, & reliqua id genus, de quibus agitur V. Primæ philosophiæ lib. Ita negamus ea quæ scribit Aristoteles de æquiuocis, & reliquis omnibus, de quibus agit in Prædicamentis, nihil afferre ad cognitionẽ Prædicamentorũ, ut realia sunt. siquidem huiusmodi omnia sunt realia, ut dictũ est à nobis, & sequitur ex ijs quæ superius ipse dixit, ut etiam intelligi licet ex definitione æquiuocorũ & uniuocorum, quas definitiones ipsi etiam expositores dixerunt tradi de æquiuocis æquiuocatis, & de uniuocis uniuocatis, quæ sunt res. Neq; illud concedendum est, prædicamenta esse transcendentia: substantia enim non est in quantitate, neque è contrario. Falsum est etiam, de his satis egisse Aristotelem V. Primæ philosophiæ lib. sic, ut non liceat de alijs huiusmodi alibi mentionem facere. Nam ipsemet Alexander hæc eo loco protulit uerba. nã si qua his finitima prætermittuntur, diuidi tamen illa possunt, iuxta eorũ partitionem, quibus finitima sunt. Ita etiam in libro Prædicamentorum de æquiuocis agit Aristoteles, & de uniuocis, ut ostendat proprietates substantiæ, ut dictum est in Commentario. Attulimus etiam ad confirmandam opinionem nostram in nostro libello Auerrois uerba, & D. Thomæ, argumentantes ex ijs quæ ab aduersarijs nostris conceduntur: ex quibus patet, omnia ea quæ citauit Genua, nostram comprobare sententiam. Neque ille uidetur esse sensus Auerrois, cum ait,

» Aristotelem in hac scientia exponere nomina in uno tractatu, nõ
» ad distinguendum nomẽ æquiuocum, sed numerando intentiones,
» de quibus est illa materia.

Quinto enim libro ostendit ipse, quid intelligat, cum dicat talia uerba, ratione habita ad philosophiam naturalem, & ad particulares facultates, non ad Logicum solum, quia omnes particulares facultates distinguunt nomina æquiuoca, ut accipiant eam significationem quæ ad rem faciat. Hic uerò distinguuntur, non ut aliqua accipiantur eorum quæ sunt distincta, sed ut annumerentur omnes significationes. Præterea si Logici est agere de nominibus significantibus, non tamen ut significant: liber autem Prędicamentorum,

ex Hammonij, Simplicij, Porphyrij, Boëtij, & reliquorum sententia, non est de nominibus significantibus, ut non significant, sed ut significant: non est Logici muneris. itaq; uidentur inter se pugnare, quæ isti dicunt.

SECTIO III.

GENVA Præterea sermo de decem Prædicamentis habetur secundùm diuisionem perfectus, & ad Metaphysicum attinet, quinto Metaphys. nec non uniuscuiusque illorum generum declaratio Metaphysicæ, cum diuidat ens & esse, in per se, & per accidens: rursus, quod est per se, in decem genera ista, quem modum diuersum tenens, ut Logicus in Prædicamentis dixit, quæ secundùm nullam contemplationem dicuntur esse, de hac quoq; eadem diuisione III. Metaphys. & IIII. Metaphys. ita ut pro Metaphysico negocio necessarius non sit Prædicamentorum liber.

ANTO. Iam responsum est, sermonem illum non esse perfectum, ob eam quam attulimus causam. ibi enim distinguuntur ea, quorum sunt multiplices significationes. distinguere autem aliquid, non est perfectam illius rei cognitionem tradere. Sed quia superius diximus absurda, quæ hanc opinionem insequuntur, ad alia accedemus. Neque modus qui est in Prædicamentis, est diuersus in re, licet sit propter aliam etiam utilitatem.

SECTIO IIII.

GENVA Neque ante septimũ Metaphysicæ locandus, cũ expresse ibi dicat Alexander, Differturus de definitionibus, meritò rursus de ente cõmemorat, ipsumq; multifariam tradit, ut in libro secundo per partitionem docuit, cum ibi ens, quot dicatur modis, constitueret, quia libri præcedentes satisfaciunt ad ea quæ septimo Metaphysicæ considerantur.

ANTO. Neq; hoc uidetur contra me facere, quod scribit Alexander. nam etiam si Aristoteles tractet ea quæ dicit Alexander, tamen non sequitur, ut libri superiores satisfaciant cognitioni eorum quæ septimo libro pertractant. hoc enim libro tractatur, quod quid erat esse, propterea quod ibi tractatur substãtia. est enim unum ex ijs, de quibus dicitur substantia: agitur autem ibi de substantia, quia est primum ens. primi enim entis quî perfecta haberi potest cognitio, nisi eius natura, proprietatesq; teneantur? Sed cum septimo libro agatur de ipso primo ente, quæ est substantia, eodem libro agendum fuit de eius natura, atq; proprietatibus. Quoniam autem in libro Prædicamentorum de his actum erat, ob eam quam diximus causam, septimo libro egit Aristoteles de substantia, quod ad ea attinebat, de quibus nihil egerat in libro Prædicamentorum. Distinxit autem ens initio septimi libri, ut ostenderet, substantiam esse primum ens. quod si cognitio substãtiæ nõ est perfecta cognitio, nisi natura, proprietatesq; teneantur: præ ijs aũt libris, qui VII. præcedunt, nusquã traditur talis doctrina, ut ostensum est, quæ superiores libri cõplectuntur, hęc nõ satisfaciunt cognitioni eorũ quæ VII. lib. considerantur, siquidẽ

eo libro consideratur substantia, ut superius patet: quæ perfectè cognosci non potest, nisi cognitis his quæ diximus. Cum uerò talis cognitio habeatur ex lib. Prædicamentorum, propter eam quam reddidimus causam, recte dixisse uidemur, nisi de his actum esset in lib. Prædicamentorũ, futurũ fuisse, ut VII. lib. ubi agitur de substantia, traderetur huiusmodi doctrina. nusquã enim commodius tradi potuisset. Nihil ergo contra nos affert hac in re uir iste doctissimus.

SECTIO V.

IENVA. QVartò, si in Logicam descendit Metaphysica, quia absolutè considerat ea quæ Logica in respectu, sequitur necessariò subalternatio: quod (ut puto) non conuenit, quandoquidem ad subalternationem duæ requirantur conditiones. Prima, quod altera sub altera sit, quia subiectum unius sub alterius subiecto ita, ut superioris subiectum de subiecto inferioris prædicari ualeat, quomodo numerus apud Arithmeticum, de numero sonoro apud Harmonicũ dicitur. Altera uerò, quod quæ superior est scientia, propter quid illius dicat, cuius inferior quia. Quod uerò prima desit, ex dictis apparet, cum subiectum Logicæ positus sit cognoscendi modus, qui maximè in speciebus suis cognoscitur analogatis: quare de ente Logica erit, & terminos omnes, ac definitiones communes habebit, atque extra genera decem, cum entis, quatenus ens, affectus esse positum sit, sic demonstrationem ac syllogismum. Cum autem de ijs, & non alijs, sit uniuersa Logica facultas, sequitur inde, Logicæ subiectum, siue illius subiecti partes nullo modo minus communes esse, quàm entis, quatenus ens, affectiones in Metaphysica fuerint quoquomodo. Itaque Logica sub Metaphysica erit, ut sub Arithmetica Harmonica. erit itaq; Logica Metaphysica, & Metaphysica Logica. Quòd si dicatur, Logica utitur his in ordine ad opus, tunc factiua erit ars Logica: tunc sequitur, in ea ipsa definitiones istas ad opus ordinatas esse, quomodo quilibet faber utitur. Geometrica enim fundamenta ad opera ipsa fabrilia conducunt: nec tamen, quid rectum sit, aut circulus, siue ex quibus componatur uterq; faber, contemplatur, sed illis sic utitur acceptis. At quæ docet instrumenta conficere Logicus, in Logica nõ sunt, sed in scientijs illis secundùm regulas illa cõponendi, omnia disponit ac declarat Logicus, quia nõ definitionem, nõ syllogismum capit superiori, sed regulas tradit duntaxat, quibus superior & definire & determinare recte possit. Faber uerò regulas non docet conficiendi rectum, sed secundum rectos angulos, si sic expediat, sua componit opera. Præterea & secunda conditio deest, cum propter quid regularum, quæ traduntur in Logica, nõ dicat Metaphysicus: cui satis uidetur esse factum, cùm subalternantem in subalternata dicatur propter quid assignare: sed tunc, cum subalternata accepta fuerit conclusio subalternantis. quod si principia sola accepta fuerint, ut definitiones circuli, lineæ rectæ, anguli recti, & similium,

lium, propter quid non dicetur in subalternata. At oppositum huius in proposito legitur apud Auerroim, post Commentariũ 100. & 101. cum duobus modis subalternationem dictam esse notauerit: altero, cum utraque scientia Theorica fuerit, tunc scilicet conclusio superioris propter quid est in inferiori, ueluti in Perspectiua Geometriæ: altero uerò, si inferior practica fuerit, ut respectu Geometriæ Mechanica, tunc Geometriæ principijs utatur ad esse, Mechanica in propria scilicet materia, ferro, ligno, & similibus, uidelicet circulo, linea, superficie, & talibus, quæ in Geometria principia sunt, & non conclusiones, quia in illis propter quid dicet Geometra, propriam uniuscuiusque adducens definitionem, ut propter quid rectè dicit fabro Geometra, rectè scilicet definitionẽ adducens. Cum itaq; posita sit Logica ars factiua, si subalternata Metaphysicæ esset, sic ab ea propter quid nancisceretur.

Quod ad hæc attinet, existimamus ob eas, quas in nostro libello attulimus, rationes, Logicam (ut uerbis istorum recentiorum utamur) esse Primæ philosophiæ subalternatam, illudq; assentimur, harum facultatum hoc proprium esse, ut altera sit sub altera. facultas enim inferior proculdubio principia petit à superiori. Cum uerò Genua infert, subiectum unius esse sub alterius subiecto ita, ut superioris subiectum de subiecto inferioris prædicari queat, quomodo numerus apud Arithmeticum, de numero sonoro apud Harmonicum, ut Linc. non paruæ inter Latinos interpretes auctoritatis, ut expositorum, quos ipsi sequuntur, responsiones afferamus, satis uidetur in primo Posteriorum libro, huic quæstioni facere. Ibi enim cum alia multa dixisset, hæc infert: ANTO.

" Nec putandum est, quòd subiectum scientiæ subalternantis sit
" semper directè prædicabile de subiecto subalternatæ.

Ex quibus sequitur, ut minimè necessarium sit, quod dicit uir iste præstantissimus: neq; etiam uerum. Facultas autẽ ea quam subalternatã nos putamus, subijcit̃ superiori: itaq; ab illa principia mutuat̃, quæ principia sibi propria efficit, ratione operis. Nã id quod refert̃, dicitur posterius se ipso, cũ non refert̃, atq; est sub eo quod nõ refert̃, ab hoc enim pendet. Quoquo modo tamẽ res se habeat, modus cognoscendi est sub subiecto Primæ philosophiæ. est eñi affectus subiecti illius, & in Logica cõsideratur in ordine ad opus. Verè etiã dicitur sciendi modus esse ens, ꝑpterea q̃d est affectus entis. Quod uerò ait, ex his quæ ego posui, sequi, ut huiusmodi quæ sunt in Logica, cũ sint termini cõmunes, sint æquales enti: nihil hoc loco repugnabo. Quarto enim huius Apologiæ libro, cũ præceptori nostro respondebimus, pluribus de hac re disseremus. At cum quærit̃, quomodo erit sub Prima philosophia, ut Harmonica sub Arithmetica, nihil obstare uidet̃, quo minus Logica sit sub Prima philosophia eo modo quo diximus. est aũt sub ipsa Prima philosophia, quemadmodũ est Harmonica sub Arithmetica. quæ enim Arithmetica absolutè, eadem Harmonica considerat in ordine ad opus. Harmonica enim

refert in habitus actiuos. Quòd si quid intersit, nihil hoc refert, modo inter se cōsentiant in ea re, quæ ipsa per se facit, ut altera facultas alteri subijciat. ea autem est, cōsiderare in ordine ad opus id, quod altera absolutè cōsiderat, ut Medicina se habet ad philosophiam naturalem. Quod autē infert, Erit hoc modo Metaphys. Logica, & Logica Metaphysica: id uerò negamus. diuersus enim ille considerandi modus secundùm formā, facit habitus specie diuersos. Concedimus autem, Logicā aliquo modo esse artem factiuam. Quinetiam ita scribit Ioan. Gandauens. in VI. Primæ philosophiæ lib. questione IIII.

» Logica ita bene est realis scientia, quia cōsiderat rem ueram, ut syl
» logismum ordinatum in modo, & in figura, extra intellectum. unde
» sunt entia uerè realia, licet dependeant ab anima in productione, un-
» de etiam non inuenitur ab aliquo, neq; ab Aristotele, neq; ab Auer-
» roë diuisio scientiæ per realem, & rationalem.

Sed utcunq; sit, de hac enim re disputabimus etiam eo libro, quo preceptori nostro respōdebimus. Quòd uerò subsequit, ex hac positione sequi, ut definitiones in Logica ordinatæ sint ad opus, hoc est quod nos probauimus: eas uidelicet in Logica accipi, ut doceamus cōficere demonstrationes & definitiones, atq; ita operari, quemadmodum ars fabrilis utitur definitionibus & demonstrationibus eis quæ in Geometria sunt, ad docendū operari. Faber enim considerat quid sit rectum, & ea quæ Geometra prius de ipso recto considerat: sed hæc ille non considerat, ut sciat, sed ut doceat operari. Quòd autem absurdum non sit, artificem aliquem considerare ea quæ diximus, ostendit Aristoteles II. Primæ philosophiæ lib. his uerbis:

» *Rectè autem se habet & illud, scientiam inquam philosophiæ ue*
» *ritatis appellari contemplatricem. nam finis quidem contemplatiuæ*
» *ueritas est, actiuæ autem opus. etenim si quomodo res sese habent, a-*
» *ctores ipsi considerant: non tamen eius causam per se, nec ut talis est,*
» *sed ut ad aliquid, atq; ut nunc, contemplatur.*

Videtur ergo dicere Aristoteles idem quod ipsi diximus, ea scilicet quæ cōsiderantur à Geometra, posse item à fabro cōsiderari in ordine ad opus. Hoc etiā patet ex I. Ethic. lib. loco citato in Cōmentario,
» ubi loquitur de Geometra, & fabro: Quod aūt dicit, instrumenta,
» quæ docet facere Logicus, nō esse in Logica, sed in reliquis scientijs,
» Logicum enim tradere solùm regulas cōficiendi ipsa instrumēta: id
uerò est, quod nos conati sumus ostendere, cū multis alijs Cōmentarij nostri locis, tum uerò maximè ea parte, qua describitur tabula, quæ indicat, Logicum non facere instrumenta aliarum scientiarum, sed docere illa cōficere, ac docendo ipsum etiam cōficere ex terminis cōmunibus. ex quo tamen nō fit, ut nō doceat cōficere, licet ea quæ conficiuntur instrumenta, in alijs sint scientijs: quemadmodū ars ea quæ docet facere perpendiculū, nihil obstat, quò minus sit ars, quam uis artifices alij postmodū utantur ipso perpendiculo. Quod uerò dicit, quia non definitionem, non syllogismum capit à superiori:

non

non uidetur id(pace tanti uiri dixerim)probandū. Accipit enim Logica syllogismi definitionē, itemq; syllogismū: quod idem dicendū est de reliquis omnibus definitionibus, quæ sunt in Logica, ut in nostro libello ostensum est, ut doceat, quemadmodum illa conficiātur: quod quidē nihil aliud est, nisi regulas tradere. Quî enim Logica doceat cōficere demonstrationē, nisi ex definitione demōstrationis: uelutí Medicus nullo modo docere potest efficere sanitatem, nisi teneat quid sit ipsa sanitas. Hoc aūt patet ex 1. Poster. lib. ubi sic ait Aristot.

Scire, est rem per causam cognoscere: et demonstratio syllogismū faciēs scire, necesse est demonstratiuā scientiā ex ueris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis. ««

Docet etiam cōstituere definitionem ex definitione ipsius definitionis, eodemq; modo reliqua. Itaq; ex his facilè cōstat, quæ de fabro nobis opponunt̄, nihil ea cōtra nos facere. De subalternante uerò scientia, quemadmodū aut explicet propter quid, aut nō explicet, satis nos libello nostro ostēdisse putamus. Quod aūt ad uerba Auer. attinet, etsi multa licet afferre, quibus ostendamus illū sibi non cōstare, tamen hoc loco tantùm dicemus, nos unū Arist. sequi, præterea neminem. Satis autē illud mirari non possum, tantum uirū asserere, Geometriam tradere propter quid definitiones circuli, et reliquorū, quæ sunt eius principia: cū fieri nullo modo possit, ut eorū quæ medio carēt, habeatur propter quid: circulus autē sit principiū, ex quo Geometra concludit rationes. & si dicatur, principiū est simplex, sed definitio circuli facta propositio, qua ab ipso fabro sumpta fieri non potest, ut eius propter quid explicet. est enim propositio immediata. Itaq; rectè mihi uidet̄ illud esse dictū, superiorē scientiā nō explicare propter quid omniū, quæ inferior habet scientia, & Logicam Primæ philosophiæ subalternatam esse. Quòd si neget aliquis, illud Genuam asseruisse, Geometrā tradere propter quid definitionis circuli, aut definitionis recti(hoc enim fieri nō posse,)sed propter quid circuli, & recti, afferens eorū definitiones, quæ dicuntur propter quid. Hoc si diligentius attendatur, minus probandū est, siquidem principia scientiarū subalternatarum, quarū subalternātes tradunt propter quid, sunt cōplexa, non simplicia: ex ipsis enim concludunt rationes suas(ut ita dicā)per discursum. Præterea si afferēdo definitionē circuli, afferretur propter quid principiorū, Geometria explicaret propter quid eorū principiorum, quorū tradit definitiones, quòd planè falsum est. Nulla enim sciētia explicat propter quid suorū principiorū, ut patet ex 1. Poster. lib. ita enim iam nō essent principia. Quòd si tamē urgeat, hoc esse propter quid, esto, ut ad metā redargutionis eū redigamus. ex hac enim sentētia sequit̄, ut rectè asseramus, Primā philosophiā explicare propter qd in Logica. tradēs enim definitionē demōstrationis, syllogismi, et reliquorū, quę Logica petit ab ipsa Prima philosophia, eorū dicet propter quid eadē ratione. Ac ita quidē nō desiderabit̄ altera subalternatę facultatis ꝓprietas, quā tamē dixit

Genua

Genua desiderari: ac propterea negauit, Logicã esse Primæ philosophiæ subalternatã. Preterea quærendũ ex eo esset; cur principia quæ sunt in Geometria, sumi nõ possint à Perspectiua, quemadmodũ à Mechanicis. Cur item Mechanicæ nõ possint ex Geometria cõclusiones ducere, id quod facit Perspectiua. Quod si huius rei illam red dat rationẽ, quod Perspectiua est Theorica (quod mea tamẽ sententia falsum est, ut superius ostendimus) nõ Mechanicæ: cur Astrologia, quæ (ut putat Auer. in 1. Poster. lib.) est Theorica, mutuat̃ tamẽ principia à Geometria, ut patet ex ipsis Astrologiæ lib. in quibus traduntur definitiones eæ quæ sunt principia in Geometria? Atq; ita mihi quidem uidentur multis in rebus magnã habere difficultatem ea, quæ scribit uir iste excellentissimus: firma autem, certaq; esse, quæ ipsi diximus, de subalternante & subalternata scientia. De ijs tamen in sequentibus libris latius disseremus.

SECTIO VI.

GENVA Postremò manet adhuc Hãmonij ratio aduersus tenẽtes, Prædicamẽta de rebus esse: quandoquidẽ res quæ in natura existunt, nõ quæ sola cõcipiuntur mente, si debeant addisci, operæprecium est, ut per uoces, ueluti per notas eorũ quæ in anima sunt, cognoscant̃. Quare necesse est, uocũ illarũ simplicium res ipsas significantiũ, noticiam seorsum à rebus haberi. Nec puto ad incõuenientia illa deduci posse, quod scilicet & aliæ scientiæ, quæ de rebus sunt, de uocib. erunt: quare Prędicamentis similes, quia non cadẽ de uocibus apud utrũq; cõsideratio erit. Naturalis siquidẽ philosophus uoces ipsas cõsiderat, ut illis naturas entium dignoscere ualeat, cũ tota eius intentio ad res, nõ ad rerũ uoces dirigatur: nisi ob ipsarũ rerum noticiã, sic in scientijs istis regula illa locum habet, propter quod unumquodq; tale, & illud magis. At Logicus uoces illas significantes, nõ tamen ut significant, rimatur, ut scilicet partitiones, prędicationes, ordinationes, & talia subeunt. neq; puta rem ualde diuersum à dictis exemplũ adducere, si purum Grammaticum orationem Atticam Platonis admirari, altissimos illos sensus exprimentem, in medium adduxero, nullam tamẽ prorsus sensuum illorum particulam degustare: contrà uerò, philosophum sermonibus illis utent̃em, ut diuinos illos exprimeret intellectus.

ANTO. In his item mihi multæ uidentur esse difficultates. nam si necesse est, cognoscant̃ res per uoces, necessariò ipsæ uoces accipiendæ sunt simul cum rebus. si enim seorsum accipiantur, accipiuntur, uel ut significant, uel contrà. Si non accipiuntur ut significant, inanes sunt, quippe quæ nullam nobis rerum cognitionem afferant. cuius tamẽ rei cõtrarium asserit Genua, cum expositoribus. Sin autẽ accipiũtur ut significant, non seiunctæ sunt à rebus, quod concedant etiam ipsi expositores, ut Boëtius, cuius hæc sunt:

„ Idcirco quoniam quidem qui de significantibus uocib. tradit, de
„ rebus quoq; est aliquantulum tractaturus: res enim, & rerum significatio, iuncta est.

Quod

Quod etiã patet ex I.lib. Periher. Quare uidetur repugnare, si itá dicat, res quæ in nátura sunt, si discendæ sint, per uoces discantur necesse est. Deinde inferat, necesse esse, uocũ illarum simpliciũ, quæ significant res, noticiã seorsum à rebus haberi. Ex hoc enim sequit, ut rerũ quoq; cognitio simul habenda sit. aliter enim inanes essent ipsæ uoces, ut dictũ est. Ita etiã ad illud absurdũ hominẽ deduci posse arbitror, ut reliquæ scientiæ sint de uocib. Cum enim expositores dicant, librũ illum esse etiã de rebus: infert ipse, ergo de uocibus. Nos aũt sic dicimus, reliquæ scientię sunt de rebus, ergo de uocib. Quod si ullã uim habet eius argumentũ, nihil item nõ ualet meum: ac tum quidẽ sequentur ea quæ diximus. Itaq; nihil ad rem uidet, quod nõ eadem est de uocibus apud utrunq; cõsideratio, quia argumentũ est ad hominẽ. Præterea illud etiã argumentũ ualet: propter quod unũ quodq; tale, et illud magis. quod si hic liber est de uocibus significantibus res, quatenus ipsas res significant: ac nos utimur nominibus quæ significant res, pro ipsis rebus, nõ enim res nobiscũ afferre possumus, est in primis de rebus. propter quod enim unũquodq; tale, & illud magis. Non uideo ergo, q̃modo nõ euertat hoc argumentũ illã expositorũ positionem: siquidẽ uoces significantes, quatenus significant, sunt propter res. Quid ergo dicendũ est? huic regulæ locũ esse in scientijs ijs, quæ de rebus agunt. ea est enim argumenti uis, ut ostendat, librũ illum cũ de uocibus sit significantib. res, quatenus significant, esse in primis de rebus; ꝑpterea quod necessariò uocibus utimur significantibus res, quòd ipsas res nobiscũ afferre non possumus: propter quod autẽ unumquodq; tale, & illud magis. Quin illa distinctio, quã affert Genua, uidetur tollere opinionem Hammonij, qui putat, in Prædicamẽtis agi de uocibus, ut significantes sunt. Reprehendit enim eos qui dicunt, in Prædicamentis agi de uocibus significantibus, non ut significant. Hic autem uir doctissimus ita mihi sentire uidetur, ibi nõ agi de uocibus significantibus, quatenus significant. Postquam enim de scientijs locutus est, infert:

At Logicus illas significantes, non tamen ut significant, rimatur, sed ut partitiones, prædicationes, ordinationes, & talia subeunt. "

Patet autem eum loqui de Prædicamentis: quòd prius loquens de alijs scientijs, & de libro Prædicamentorum, ita dixerat,

Quia non eadem de uocibus apud utrunq; consideratio est. idq; cum ostendisset de philosopho naturali, subdit:

At Logicus uoces illas significantes, non tamen ut significant, rimatur, ut scilicet partitiones, prædicationes, ordinationes, & talia subeunt.

Hæc igitur uerba, quibus sententiam suam tueri conatur, uident, illã Hammonij opinionẽ funditus euertere. deinde appellans hunc librum Logicum, supponit id quod debet probare. Quod si aliquis dicat, eũ intelligere de alijs partibus Logicæ, hoc nihil ad rem.

At si in Logica de uocibus agitur, ut prædicantur, & subijciunt, non ut significant: in libro autem Prædicamentorum, ut putat Boëtius,

tius, Hammonius, Porphyrius, de uocibus significantibus, ut significant, liber ille non est pars Logicæ. Ita implicatio uidetur contradictionis.

Exemplum uerò quod affert Genua, Grammatici, uidetur aduersari Hammonio, qui sentit, eo libro agi de uocibus significantibus res, quatenus significant per ipsos conceptus.

SECTIO VII.

GENVA Neque mehercule puto, dicta Auerrois secundo de auditu Physico, nostris dictis aduersari: imò maximè fauere, cum ibi substantiam, ut rem distinctã cõtra accidens sub ente positam significare uoluerit: quia Metaphysici negotij esse determinauit, quam non sic acceptaret in Prædicamentis, sed rem illam duntaxat significantem in parte Logicæ reponi uoluit. Quare uidetur mihi Auerroës in duobus hisce significatis litem diremisse, nisi sui ipsius tantus philosophus fuerit oblitus.

ANTO. Neq; (mea quidem sententia) quod affert ex Auerrois hoc loco uir iste doctissimus, uidetur satis eum tueri. Auerroës enim cum uideret Aristotelem probare, materiam & formã esse substantiam, dixit, hoc illum mutuari à primo philosopho, quod uniuersaliter agere de substantia non est scientiæ naturalis. huiusq; rei illam reddit rationem, quod substantia & accidens sunt differentiæ entis. sequitur ergo, ut si probet Aristoteles in libro Prædicamentorũ, aliquid esse substantiam, hoc sit primi philosophi: itaq; egit de quantitate & qualitate, quod substantia & accidens sunt differentiæ entis. Quod si quid aliquis respondeat contra id quod diximus, hoc idem nos respondebimus ad ipsum Auerroëm, ut ostendamus, probare materiam esse substantiam, & formas esse philosophi naturalis. Si enim ratio illa qua nititur Auerroës, diligentius consideretur, non dubito quin rei ueritas appareat. Quare distinctio illa quam affert Genua, neque dissoluere uidetur argumentum, neque (tanti uiri pace dixerim) satis ad rem facere. Quod enim tantummodo dicit, aliter accipi in Prædicamentis, hoc mihi præter rem uidetur. nam tota uis rationis in eo uersatur, ut probare aliquid esse substantiam, aut primi philosophi sit, aut contrà. si negat esse primi philosophi, falsum dicit: sin autem ait, ubicunque probabimus aliquid esse substantiam, ex ijs præsertim quæ conueniunt substantiæ, hæc erunt Primæ philosophiæ: hoc autem (ut concedit ipse) fit in Prædicamentis: ergo probatio illa est Primæ philosophiæ. hoc idem confirmant reliqua ipsius Auerrois loca, quæ in libello nostro citauimus. Quod uerò ait, ita futurum esse, ut tantus philosophus sui sit oblitus: uiderit ipse. ego quidem certe illud præclarè noui, hominibus his qui in eius uerba iurauerint, cõficiendum fuisse librum, quo libro dissoluerent eius contradictiones: ita sæpe uisus est à se ipso dissentire.

Sectio

SECTIO VIII.

SIc & distinctio data ab eo de logica, ut opinor, Peripatetica est, quæ septimo Metaphysicæ, primo Phys. sed ad propositum magis, primo tractatu sui epitomatis Metaphysici determinauit, cum per hanc noluerit demonstrationes perfectas, ut pote instrumenta logica, scientijs alijs assignare: Logicum uerò methodos ac regulas tradere talia conficiendi in proprijs disciplinis, quibus ad uerum dirigatur intellectus, & custodiatur ab errore, ut ipsemet in eo tractatu declarat. GENVA.

Dissoluendæ prius fuerant rationes eæ, quas ego contra eius distinctionem attuli: deinde potuisset asserere, huiusmodi distinctionē esse Peripateticam. Sed cum illæ adhuc integræ maneant, nō uideo quî possit hoc dicere. Quod prætera scribit, noluisse Auerr. ex illa distinctione inferre demonstrationes perfectas, ut pote instrumenta logica, à Logica alijs scientijs assignari: uidetur hoc pugnare cum ipso Auerroē, qui ait, ANTON.

Et alio modo, ut accipitur illud, quod est declaratum in illa in alijs scientijs, secundùm quod accipitur illud, quod est declaratum in aliqua scientia speculatiua, ad aliam scientiam.

At quod ita est, sic se habet, ut ex eo fiant demonstrationes: ex eo autem quod dicitur, non fiunt demonstrationes, ut patet ex eis quæ dixit: non uidetur ergo tueri distinctionem Auerrois. Præterea si uerum est quod dicit, uidetur maximè fauere opinioni nostrę, quam ipsam Aristotelis esse putamus. diximus enim, suas quanque facultatē sibi conficere demonstrationes, Logicamque tradere solùm regulas cognoscendi, conficiendique instrumenta ea quibus utantur aliæ scientiæ. Ex quibus illud omnino sequitur, ut nihil indigeat prædicamentis. nam si Logicus tradit regulas, quibus sua quæque disciplina sibi conficiat cognoscendi instrumenta, non considerat ea quæ sunt in Prædicamentis. Quod hinc facilè intelligi uidetur, quia suas quæque disciplina conficit demonstrationes, ut ipse concedit, ac uerum est. Sed qui facit demōstrationes, eius est etiam facere propositiones: ut exempli causa, qui demonstrationem illam constituit, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis: hic ipse singulas eius demonstrationis propositiones constituat necesse est. qui autem illas propositiones constituit, necesse est cognitas habeat simplices illas uoces, animal, rationale, risibile. sed huiusmodi uoces, ut concedunt omnes, sunt in Prædicamentis: qui ergo demonstrationes conficiunt, hi ipsi Prædicamentis indigent, aut tanquam partibus, aut quasi suppositis. Sed Logicus non facit tales demonstrationes, Logicus ergo nihil indiget Prædicamentis: quamuis enim suas ipse quoque rationes concludat, quibus rationibus quas tradit regulas probat, tamen non concludit illas ex terminis ijs qui sunt in Prædicamentis, ut patet, atque ipsa etiam ratio docet. regulæ enim non essent generales, cuiusmodi quidem illas esse oportet. Ex his igitur quæ Genua dicit, sequitur id

quod nobis propositum fuit ostendere. sed de hac ipsa distinctione, IIII. & V. lib. plura differemus.

SECTIO IX.

GENVA. Cuius sententia correspondet dictis in IIII. Metaphysicæ, ubi notat, quòd à diuisione illa facta in Prædicamentis, Philosophus assumet ea, de quibus in Metaphysica secundùm rem fuerit considerandũ. & sic, sermo de Prædicamentis non fuit à Metaphysica detractus: sed potius Metaphysicæ dedit Logicus, per diuisionem ipsam factam in decem genera, occasionem considerandi.

ANTO. Hæc non satis uidentur cum ueritate consentire, quia nusquam apparet Auerroëm in IIII. Primæ philosophiæ lib. adnotare, philosophum assumere ea quæ in prædicamentis traduntur. Deinde ut hoc ita esset, magis opinionem meam confirmaret, quam illam omnino labefactaret. esset enim argumento, librum illum esse Primæ philosophiæ. Præterea decem illa genera sunt species entis, ergo diuisio entis in X. genera, debet esse Primæ philosophiæ. una enim scientia est, quæ unius generis partes & passiones considerat. atque ut eius quidem generis partes consideret, illud ipsum genus diuidat necesse est. Amplius, fieri non potest ut facultas, quæ & natura sit, & tempore prior, à posteriore facultate petat diuisionem entis in eius species, quemadmodum sese habent inter se Prima philosophia & Logica, ut nostro libello ostendimus. Facultas enim prior, quatenus est prior, suum habet subiectum, & partes subiecti, quippe quæ est, cum nulla tamen sit facultas posterior. Præterea, qui genus aliquod in eius species diuidunt, illud ipsum genus cognitum habeant necesse est. sed hæc cognitio tradi non potest ab ulla alia facultate, nisi ab ea quæ illius generis propria est. aliter enim transcenderetur de genere in genus. non potest igitur Primus philosophus illam petere à Logico. Item, si in illa diuisione non tractantur illæ species, ut ipse dicit, secundùm rem, non uidetur rationi consentaneum, ut ex illa ipsa diuisione nanciscatur Primus philosophus, occasionem considerandi, præserrim secundùm rem, quippe qui res tantùm considerat.

SECTIO X.

GENVA. Quam eandem diuisionem credo Alexandrum uoluisse IIII. Metaphysicæ, cum dixerit, partitionem entis in decem genera ad Philosophiam Primam attinere, quam ipse fecit in Prædicamentis: non quod facta in Prædicamentis, ob id Metaphysica intelligatur, cum de illa satis in Prædicamentis actum sit ita, ut non amplius sit opus quarto Metaphysicæ, & quinto Metaphysicæ de ea agere.

Quòd si dicatur, non principali intentione in libris istis de illa agitur, uerum ut alia trascendentia per ea cõcludat: tunc seruasset philosophus, quod in locis aliis facere consueuit, inquiens quarto Metaphysicæ,

& quinto Metaphysicæ, diuiditur sic ens, ut dictum est in Prædicamentis, quod tamen non reperitur factum. Quare uoluit (ni fallor) Alexander innuere partem hanc, in qua secundùm rem, & uerè de diuisis istis generibus agitur: quippe in Prædicamentis diuisa solùm posuit, numerauitq́.

Non dixi ego, illum fuisse Alexandri sensum, ut ostēderet, partitionem entis in decem genera idcirco esse Primæ philosophię, quòd facta sit in Prædicamentis: sed uoluisse nobis significare, diuisionem eam quam tradit Aristoteles in Prædicamentis, esse Primæ philosophiæ. quia ipse Aristot. IIII. Primæ philosophiæ lib. ita scripserat, ANTO.

Quapropter & eius quod est, ut ens est, quæcunq; sunt species, unius est scientiæ genere, & specierum species contemplari.

Quòd si unius genere scientiæ est, contemplari quæcunque sunt species entis, quatenus ens est: illa autem decem genera sunt species entis: illa ipsa decem genera sunt unius scientiæ genere cum ente. Hæc uerò cum ita diuisa sint in Prædicamentis, sunt Primæ philosophiæ. ens enim est ipsius Primæ philosophiæ. Cum ergo sequatur hoc ex uerbis Aristotelis, non id quod isti dicunt, non possunt uerba Alexandri in illum sensum distrahi, quem attigit uir iste celeberrimus. est ergo diuisio ea quam posuit Aristoteles in Prædicamētis, ex Alexandri sententia realis: quippe quæ facta est secundùm hunc textum. aliter enim nihil ad rem faceret. Ipse Alexander etiam uidetur uerbis his quæ recitata sunt, apertissimè ostendere, Prædicamenta ad Primam spectare philosophiam. nihil enim necesse fuit dicere, sic diuidi ens ut dictum est in Prædicamentis, nisi sensisset id quod diximus.

Quòd si quis illud opponat, Alexandrum alibi contrarium dixisse, non pugnabo, id fieri non potuisse: sed illum postea, cum ueritatem agnouisset, sententiam mutasse. Quod persæpe faciunt ij, qui uerè sunt ingenui homines, quiq́ re ipsa, non uerbo tantùm philosophiam profitentur: itaque nulla alia re, nisi ueritatis studio ducuntur: contrà quam (ut nunc est) plerique omnes facere consueuerunt. Verùm cum inter se dissentiant Hammonius & Simplicius in exponenda Alexandri opinione de libro Prædicamentorū, facile hoc possit ostendere, non uerè istos Alexandri sententiam percepisse.

SECTIO XI.

QVòd etiam planè persuaderi potest, cum & eodem modo dixerit Themistius, inter expositores præcipuus, super expositione textus tertijdecimi primi de Auditu physico, inquiens: Si multis modis ens dici concesserint, scilicet ut nos in Prædicamentis determinauimus esse. Per quæ uerba palàm est, diuisionem illam in Prædicamentis accepisse Logicam, non Metaphysicam, cum uoluerit Themistius, pariter alijs Prædicamentorum librum logicum extitisse. GENVA.

Tantùm uerò abesse putamus, ut ex illis uerbis eliciatur id quod ANTO.

ait Genua, ut contrarium etiam colligi possit. Sed ut id etiam colligatur, nihil tamen contra nos. qui unius Aristotelis sentētiam sequimur. Neque enim me latet, multos, & hos quidem doctissimos homines, aliter sensisse. sed is ego sum, qui existimem quod ipsum quidem monet Aristoteles, homini philosopho, non uiri ullius auctoritate, sed rationibus pugnandum esse, atq; in his omnia ponenda.

SECTIO XII.

GENVA. SEcunda conclusio in ordine, per ea quę dicta sunt, satis patêre potest, cum Logicus sit liber iste, ac de ijs quæ secundùm nullam complexionem dicuntur, ea ratione locum alium, primo excepto, habere non poterit, quæ auctoritatibus etiam confirmari potest. Et prima Alexandri uiri Peripatetici in prologo suo primi Priorum, ubi conatur ostendere, syllogismum natura priorem esse demonstratione, cum dicat, Didicimus ex his quæ in Prædicamentis dicuntur, quòd ea sint priora natura, in quibus non fit conuersim dicta consistentia. Ioannis Grammatici primo Priorum, Simplicij, Hammonij in Prædicamentis: quippe qui librum hunc, ut de uocibus simplicibus, cæteros Logicæ libros præcedere uoluerunt. Verumenimuero quod opponitur dictis, satis urgere uidetur, cum satis de simplicibus uocibus actum sit, & quantùm Logicum exigit negocium. Dicendum itaque (ut opinor) per resolutionem huius rei, tribus positis fundamentis prius. & primò, quæ nobis notiora sunt, prius cognoscenda præponuntur: quare confusa notitia eius quod postremò distinctè concipitur, distinctam præcedit primo Phys. in prologo.

Secundò, intentio philosophi est in tota Logica, primò de demonstratione primo Priorum, de modo scilicet formandi demonstrationem: quare & definitionem, cum perfecta definitio à demonstratione potissima non differat, nisi solo situ, Poster. primo. Tertiò, perfecta definitio, sicut & demonstratio, est, per quam habetur perfecta noticia, ut subiecti definibilis, sic & accidentium essentialiū, quæ illud insequuntur. uanæ secus essent, ac Dialecticæ definitiones omnes, Posteriorum secundo, &c. Quibus sic positis, dicendum, Prædicamentorum librum non paruo artificio in principio librorum Logicæ positum esse, in quo de decem his simplicibus ac generalibus uocibus, sub quibus omnia comprehēduntur entia, agitur, non tamē ut entia sunt, sed ut significantur: quod docet, admodum tetigit Simplicius Prædicamentorū Cō.32. inquiens: Quæ in prædicamentis dicta sunt, & uera, & naturæ rerum consonantia dixit. Non itaque res, sed rebus consonantia uoluit nomina, siue uoces, quæ quidem simplices uoces tali in unoquoque illorum generum distributæ sunt ordine, ut subiecta prius uoces illæ exprimant, mox subiectorum affectus, qui tamen de suis illis subiectis in lib. illo nulla prorsus demonstratione probati sunt, sed positæ duntaxat sunt uoces illæ, quatenus rebus ipsis cōsonantes sunt. Quare cōfusa quedam

dam noticia ea exprimuntur omnia, quæ per noticiam instrumento rum conficiendorum in sequentibus Logicæ partibus habitã in scientijs realibus, secundùm rem manifestabunt, & noticia distincta. Nec fortè multù m dissimile erit, si à simili dicatur, Aristotelem in libris de animalibus præposuisse librum de Historia, in quo in uniuer sum & animalia, atq; animalium proprietates leguntur, his qui de Partibus habentur, libris: siquidem per hos causæ omnes habeantur, quibus & animalia, & animalium proprietates confuse cognitæ, distincta noticia comprehenduntur. quæ & nobis largitur peritiam conficiendi tum demonstrationes, tum etiam perfectam definitionem in disciplinis alijs.

Conclusionem hanc non esse ex eis quæ dicta sunt conspicuam, colligi potest ex nostris redargutionibus. Librum autem Prædicamentorum nõ esse Logicum, neq; item de his quæ sine ulla complexione dicuntur, hactenus ostendisse nos putamus. Extractus tamen est liber ille ex Prima philosophia, ut simplicia cognosceremus, ex quibus fiunt cõplexiones, hoc est quæ substantia esset, quæ quan titas, & cætera, ut à nobis in undecima Commentarij Sectione dictum est. Quod autem ad Alexandrũ attinet, cæterosq; doctissimos homines, qui cõtra nos testes laudantur, etsi respondere possumus, tamen hoc loco tantùm dicemus, quod aliàs sæpe iam diximus, nos eam quam Aristotelis fuisse putamus, opinionem sequi, nõ interpre tũ. quanq; nõ ignoramus, hac in re multos à nobis dissentire. Neq; uerò mihi uidetur uir iste egregius argumentũ illud dissoluere, quo ostenditur in lib. Periher. agi de simplicib. ut nõnulli etiam ex interpretibus sentiunt, quatenus illa simplicia ad enunciationem referun tur. itaq; nihil eis in Logica opus esse, ut tractantur in Prædicamentis. Neq; uidentur contra nos quicquam facere, quæ ponit, multas illa quidem certè difficultates habent. Nam ut illud uerum sit, quæ nobis notiora sint, hæc prius discenda proponi: tamen quod ita infert, quia confusa noticia eius quod postremò distinctè concipitur, distinctam præcedit, non rectè inferri uidetur. Nam si ignota sint omnia quæ uelimus discere, discenda sunt prius notiora: quod accidit in philosophia naturali, ubi cum omnes ignorentur causæ, tamen causæ magis uniuersales sunt notiores. Itaque ab his, ut quæ notiores essent, initium duxit Aristoteles: neque tamen ibi est noticia confusa & indistincta, sed materia prima primùm cognoscitur, quomodo quidem cognosci potest, deinceps reliquæ omnes causæ. Quod autem Genua profert ex primo Phys. lib. in prologo, fortè id est quod tertio textu scribit Aristoteles his uerbis: ANTO.

Sunt autem primum nobis manifesta, & certa, confusa magis. «

Quòd si hunc textũ intelligat, nihil ad rem uidetur facere. Loquitur enim ipse de ordine eorũ, quæ prius discẽda proponunt: textus aũt ille de uia, rationeq; doctrinę, qua in philosophia naturali utimur, cu ius quidẽ philosophiæ munus est inuestigare causas rerũ naturaliũ. Inquit enim Aristoteles, inuestigandas esse ipsas causas ex notiori-

q 3 bus

bus nobis. quoniam autem obscurum erat, quæ nam essent notiora nobis, declarauit illo textu. Hunc autem esse sensum Aristotelis, ex his patet, quæ subiunxit,

» *Posterius aũt fiũt ex his nota elemẽta, et principia, diuidẽtib. hæc.*

Patet etiã ex hoc ipso textu, textui illi, quem à Genua intelligi fortasse diximus, hic nullum esse locum, siquidem notitia confusa præcedit distinctã, eiusdem rei hoc loco. Sin autem de IIII. tex. loquatur,

» *Vnde ex uniuersalibus in singularia oportet procedere,*

Et quæ sequuntur: hic item minimè cum eo facit, quòd confusa cognitio materiæ non præcedit distinctam eius cognitionem. Ita quicquid intelligat, id minus probandum uidetur. quod ut etiam uerum sit, tamen nihil ad rem, ut patebit.

Secundum item eius suppositum à ueritate alienum uidetur, intentum uidelicet philosophi in tota Logica esse, primò de demõstratione per se agere: ut in Procemio nostri libelli ostẽdimus. Nec illud obstat, quod affert ex I. Priorum lib. siquidem ita dixit Aristoteles,

» *Primùm oportet dicere, circa quid, & de quo est intentio,*

Et quę sequuntur: ob syllogismum simpliciter, ne quis fortè existimaret, quæ ipse traditurus esset de syllogismo simpliciter, hæc uelle ipsius syllogismi causa, non demonstrationis pertractare. Quod ita esse declarat illud, quod paulo infrà intulit, Dicendum esse, per quæ & quomodo fieret omnis syllogismus. hunc enim uniuersaliorẽ esse omni demonstratione. Ex quo etiam patet, hunc nõ fuisse exponendi locũ, quid sibi in primis tota illa facultate propositũ esset docere. sed de hac re tamen V. huius Apologiæ libro pluribus disseremus.

Tertium eius suppositum, ut concedatur, tamen nihil opinionem nostram infirmare, facilè intelligent ij, qui libellum nostrũ legerint.

Illud etiam maximam uidetur habere difficultatem, in lib. Prædicamentorum de simplicibus ac generalibus uocibus agi, sub quibus omnia comprehenduntur entia, non tamen ut entia sunt, sed ut significatur. Nã si de entibus ibi agitur, ut significãtur, agitur, ut res sunt, atq; entia. entia enim ut significãtur, sunt res, atq; entia. Ipsæ autẽ res, ut res, significãtur conceptibus, uocibus, literis: nõ significãt. Quòd si de his agitur ut sunt res, agitur itẽ ut sunt entia: idẽ enim est res, atq; ens. Videtur igitur secũ planè dissidere Genua. nam si ibi de entibus agitur, ut significant: sequitur, ut de his agatur, quatenus entia sunt.

Quòd si neget, hoc se uelle dicere, sed ibi agi de uocibus illis simplicibus, ut significantur, non ut entia sunt: primùm hoc non ostendũt eius uerba. deinde ut ita sentiat, tamen id minus probandũ uidetur, quia uoces literis modo significantur, de quibus literis nulla eo loco fit mentio. Illud etiam, sub uocibus comprehendi entia, non uidetur satis rectè dictum. comprehendi enim rem sub aliquo, nihil aliud ualet, nisi cõtineri eo sic, ut quod cõtinet, de illo ipso prædicetur, quod continetur. At falsum est, illam rem quam notat uox Homo, esse uocem hanc Substantia, eodemq; modo de reliquis.

Sin

Sin autem ita sentiat, entia comprehendi uocibus, nõ ratione sui, sed ratione rerum: ut homo comprehenditur substantia, ratione rei, quam uox substantia significat, non ratione illius uocis: sequitur, ut de rebus in primis agatur. siquidem agitur de illis uocibus, quatenus his cõprehenduntur entia: hoc autẽ est, ratione rerũ: ergo in primis agitur de rebus. Illud etiã Simplicij, quæ dicta sunt in Prædicamentis, ea uera esse, & naturæ rerũ consonantia: magis uidetur eius opinionem euertere, quàm eam omnino confirmare. Hoc enim uidetur ostendere, librum illum esse de rebus. si enim in Prędicamentis est ueritas, eaq; quę rebus consonant, sunt de rebus. nam ex eo quòd aut est res, aut non est, uel uera, uel falsa dicitur oratio: in cęteris enim facultatibus, ubi uno omniũ consensu de rebus agitur, hoc idem fieri planè constat: uera enim dicuntur, & rebus consona. Ita non rectè uidetur Genua ex hoc quod Simplicius dixit, inferre id quod infert.

Ex eis item quæ nostro libello ostendimus, præterea quæ paulo antè diximus, satis uidetur constare, cognitionem illam confusam illarum uocum nihil ad rem facere, propterea quòd illis uocibus non utitur Logica, sed uocibus significantibus ea quæ sunt extra decẽ genera, nec plura requirit, quam illa simplicia, quę habet liber Periher. cæteriq; Logicæ libri. Illud itẽ falsum uidetur esse, simplices illas uoces in unoquoq; illorum generum eo distributas esse ordine, ut primùm subiecta exprimant, deinde subiectorũ affectus. hoc enim probandum fuerat, simul & dissoluendæ rationes eæ, quibus nos contrarium in nostro libello ostendisse putamus.

Neq; illud (pace tanti uiri dixerim) satis uerum esse arbitror, tales proprietates ibi non demonstrari de suis subiectis. patet enim ex eo lib. ostendisse Aristotelem omnes proprietates eas quas illis Prædicamentis attribuit, quàm maximè quidem ostendi possunt, neq; alibi usquam (ut à nobis iterum, ac sæpius iam dictum est) hanc rem distinctius ab Aristotele tractatam reperimus.

Ex quibus etiam constat, nõ quadrare similitudinem illam quam affert Genua, propterea quòd in lib. de Partibus animaliũ, cæterisq; libris de eisdem agitur, de quibus in Historia. In libris autem Logicæ non pertractantur eadem quæ in Prædicamentis. itaq; patet, supposita eius, ut uera essent, nihil tamen ad rem facere.

SECTIO XIII.

Qvibus sic cognitis, fundamenta prius dicta cessabunt: et primũ, cũ in Prædicamẽtis nõ res, sed rebus consonãtes ponanť uoces, ac rerũ proprietatibus, ut retro per positã rationem dictũ est. Secundum quoq;, quandoquidẽ concesso, à Metaphysico ens, ut ens, atq; entis species cõsiderari, negandũ sit eodẽ modo in lib. Prædicamentorũ à Logico cognosci. Nec minus tertiũ cadit, admisso etiã quod in Prædicamentis nõ tradantur regulę, quia in alijs Logicæ partibus de regulis, quantum satis fuerit ad instrumenta illa conficienda, traditur notitia, ut distinctè cognoscantur, quæ in Prædicamẽtis posita sunt in uniuersum, ut dictũ GENVA.

est. Quare absque Prædicamentorum libro in modo tali distinctè procedendi, perfectè incedere possumus: minimè autem in tali ordine, ut dictum est. Quibus habitis, ac quartum fundamentum pro nobis admittentes, rei huic extremam ponemus manum.

ANTO. Et si ego multas alias rationes attuli, quas non dissoluit uir iste egregius, quibus tamen opinionem meam maximè communiri arbitror, tamen is cum existimet, mea satis dissoluta esse argumēta, ex his quæ tanquam rationum suarum fundamenta iecit, hæc autem ipsa fundamenta penitus (ut ego quidem arbitror) sint euersa: sequitur, ut omnes item eius rationes labefactatę corruerint, nullæque iam sint. Falsum est enim, ut satis ostendisse nos putamus, in Prædicamentis non poni res, sed rebus consonas uoces: siquidem docuimus, definitiones prædicamentorum, eorumque proprietates conuenire eis, non ut sunt uoces, sed res, idque rationibus multis, & his (meo quidem iudicio) firmissimis, comprobauimus: quę cum minimè dissolutæ sint, nisi fallor, integra est, planeque firma ac stabilis meæ illius opinionis ueritas. Nullam item esse secundi fundamenti nostri dissolutionem, hinc facilè intelligi potest, quòd si concedit, entis species considerari à Primo philosopho, decem autē illa genera sunt entis species: sequitur, ut ad primum philosophum pertineant. sin dicat, aliter considerari à Logico, hoc probandum fuerat. Nos autem cum secus esse ostenderimus, ipsa uidetur nobiscum facere ueritas.

Quod uerò ad III. fundamentum nostrum attinet, negamus omnia quæ contrà affert Genua. neque enim ibi est noticia illa distincta & confusa, cū alia sint quæ in Prædicamentis traduntur, ab eis quæ tractantur in Logica, ut diximus. Quin ea quæ sunt in Logica, sint uniuersaliora eis quæ sunt in Prædicamentis, quippe quę omnia prædicamenta transcendunt, ut persępe iam à nobis cum ex uerbis Aristotelis, tum etiam ex ipsa ratione ostensum est.

Quartum etiam fundamentum (ut mihi quidem uidetur) suam adhuc uim omnem retinet. Demonstrationes enim & syllogismi simpliciter ex suis definitionibus constitui docentur, affirmationes et negationes ex definitione nominis, uerbi, enunciationis, affirmationis, negationis, quæ sunt principia cognoscendi. Quemadmodum autem hoc fiat, paulopòst dicemus. Quartum autem fundamentum non modo nō fauere opinioni eius, sed illam etiam (mea quidem sententia) quam maximè conuellere, ex eis quæ diximus, facilè intelligi potest. Si enim, ut in Procemio satis ostensum esse arbitramur, nihil aliud ab hac ipsa facultate petitur, nisi ut doceamur conficere definitiones, demonstrationes, syllogismos dialecticos & sophisticos, idque satis superque pręstant libri illi, Periher. Priorum, Posteriorum, Topicorum, Elenchorum, non recedendo tamen ab eis quę diximus de libris Top. & Elench. nihil ad eam rem necessaria sunt Prędicamenta.

Quod quidem ita esse, facilè ex eo cōstat, quod in Topicis docuit Aristoteles cōficere syllogismos dialecticos et sophisticos: in lib. Poster. definitiones & demonstrationes, Quoniam autem huiusmodi demon-

demonstrationes & syllogismi dialectici, erãt syllogismi simpliciter, in lib. Priorũ ipsos syllogismos simpliciter: quoniam item syllogismi cõficiebantur ex propositionibus, quę re ipsa nihil differrent ab enũciationibus, in his aũt conficiendis errare facilè possemus, in lib. Peri her. earũ constitutionem tradidit. Quia uerò docentur enunciationes cõstitui, docendo eas confici ex nomine & uerbo: hoc autem doceri nõ potest, nisi ex definitionib. prædicati & subiecti: siquidem omnis doctrina fit ex præexistenti cognitione quid est pręducati, quid item subiecti. Quod ipsum declarat ea qua usus est Aristoteles, docẽdi ratio: ex illis enim definitionibus hanc ipsam conclusionẽ docuit. Cum uerò definitiones illæ tradãtur in lib. Periher. ultraq; ipsas progredi minimè liceat, quòd sunt cognoscẽdi principia, quemadmodũ nõ licet definitiones Euclidis transcendere: initiũ Logicæ facultatis sumendũ uidetur à lib. Periher. quod quidẽ nobis propositũ fuit ostendere. Itaq; patet, tantùm abesse, ut quartũ fundamentũ opinionẽ eius cõprobet, ut illã etiã (nisi mea me fallit opinio) funditus euertat.

Hæc sunt, quib. nobis dissolui posse uisæ sunt doctissimę ac subtilissimę rationes, peregregij philosophi M. Antonij Genuę. A' quo etiã atq; etiã uehementer petimus, ut hęc ipsa eo animo accipiat, quo quidem à nobis scripta sunt, hoc est beneuolẽtissimo, maximeq; cãdido. itaq; existimet, illã unã scribẽdi causam nobis fuisse, ut ueritas, quę homini Philosopho omnib. rebus anteponẽda est, melius pcipi posset.

ANTONII BERNARDI MIRANDULANI *APOLOGIAE* LIBER TERTIUS.

Alexandro Card. Farnesio, Vincentius Madius S. P. D.

SECTIO PRIMA.

ANtonij Bernardi Mirandulani, uiri sanè docti Cõmentariolum legi libenter, in quo uidetur existimare, decẽ Prædicamenta non esse Logicæ facultatis partẽ, idq; subtilissimis rationibus affirmare: quanquàm (ut uerè dicam) eas ipsas rationes solui posse existimo. Nam cum dicit, philosophum in Prædicamentis agere de substantia, quatenus substantia est, cum composita sit, nequit distinctè cognosci eius partib. componentibus ignoratis, materia scilicet, & forma: de quibus in Prædicamentis nullus est præcipuus sermo, cum in Metaphysica, ubi agit de substantia, quatenus substantia est, ut eius perfectam doctrinam traderet, diuisa substantia, egerit de partibus eius, et pręcipuè de forma, ut patet inspicienti VII. & VIII. Metaphysicæ libros. Nec obstaret, quòd definitio quæ traditur de substantia in Prædicamentis, sit etiam in Metaphysica posita. primò, quia arguere ex definitionib. acceptis in Metaphysica, librum Prædicamentorum esse Metaphysicum, esset arguere, omnem scientiã esse Metaphysicam. Nam VI. Metaphysicæ,

ita scribitur: Aliæ scientiæ nec de ipso quid est ullam rationem faciunt, sed ex hoc aliæ sensu quidem facientes manifestum, aliæ per suppositionem quod quid est accipientes manifestum, sic quæ secundùm se insunt generi, circa quod sunt, demonstrant. Et inferius inquit: Similiter autem nec si est, aut non est genus, circa quod uersantur, quicquam dicunt propter eiusdem intellectus esse ipsum quod quid est manifestum facere, & si est hoc.

ANTO. Hactenus à nobis responsum est præstantissimo philosopho M. Antonio Genuæ. deinceps respondendum putamus doctissimo uiro Vincentio Madio. Is enim secundo loco ad Commentarium nostrum subtilissimè rescripsit.

Ad primam igitur eius rationem respondemus: Primam philosophiam tradere perfectam substantiæ cognitionem, unà cum Prædicamentorum libro. negamus autem, cognitionem ipsius substantiæ, cæterorumque Prędicamentorũ, tradi uel in lib. Primæ philosophię, si Primæ philosophiæ nomine XII. libros eos qui de Prima philosophia inscribuntur, accipiamus: uel in lib. Prædicamentorũ tantùm. ex illis tamen ambobus libris perfectam horum ipsorum generum, totiusque Primæ philosophiæ cognitionem comparari: id quod ex eo facilè intelligitur, quòd in uolumine illo quod inscribitur Prima philosophia, non traduntur (ut ex nostro Commentario patet) proprietates substantiæ, & reliquorum generum, sine quibus distinctam, perfectamque ipsorum generum cognitionem assequi nullo modo possumus. Neque item Prædicamentorum liber omnia habet horum generum principia, quę ad absolutam eorum cognitionem planè sunt necessaria. Ex his tamen duobus uoluminibus, tanquam ex partib. Primæ philosophiæ: tota perficitur ipsa Prima philosophia. ita (nisi mea me fallit opinio) satis fieri posse arbitror subtilissimæ rationi, qua uir iste præclarus, ad euertẽdam opinionem meam primò usus est. Sed iam respondentes ad formam argumenti, concedimus quidem antecedens ipsum, hoc est substantiam non posse distinctè cognosci, partibus, ex quibus constat, ignoratis, materia scilicet, & forma: de quibus in Prædicamentis nihil speciatim agitur, si accipiatur distincta hæc cognitio, ut omnia comprehendat, quæ ad perfectam ipsius substantiæ cognitionem pertinent. Sed negamus, hinc illud consequi, ut ibi non tractetur substantia, quatenus substantia. tractatur enim eo ipso loco substãtia, quatenus substantia, eodemque modo reliqua omnia genera, quod ad eorum proprietates, descriptionesque attinet. in reliquis uerò partibus, Primæ philosophiæ, quod ad reliqua spectat, quæ ad ipsam substantiam, & reliqua genera pertinent. Sin autem arbitratur Madius, non posse substantiam, quod ad aliqua attinet, cognosci ignoratis partibus, ex quibus componitur: negamus antecedens. nam distinctè satis cognoscitur per eas rationes, quibus id confirmauit Aristoteles, substantiam esse susceptibilem contrariorum, licet magis hoc quidem perspicuum fieret, cognita eius rei causa: quamobrem insequitur mox lib. Primæ philoso-

philosophiæ, qui id copiosè præstat. Sed ut etiam non cognoscatur substantia, nisi confusè, ex hoc tamen inferri non potest, eam non tractari, quatenus substantia est. Nam fieri potest, ut aliquid confusè cognoscatur, pertractetur tamen sui ipsius gratia, non propter aliud. Ita uerò esse, quod à nobis dictum est, ex eo colligi potest, quòd in libris de Historia animalium agitur de animali, quatenus animal est, nec tamen eo loco traditur distincta ipsius animalis cognitio, ut scilicet comprehendantur omnia, quæ ad perfectam eius cognitionem attinent: nulla enim ibi fit causarum mentio. siquidem illa cognitio animalis traditur, quòd ad ipsum esse tantùm attinet.

Quare cum oporteret etiam cognosci causas, conscripsit Aristoteles libros de Causis, qui unà cum libris de Historia animalium, perficiunt cognitionem animalis, quod ad ipsum esse attinet, & ad quid est, & ad propter quid, & ad quale est. Aliter enim superuacanei omnino essent libri de Animalium causis. Quòd si in libris de Animalium historia, agitur de animalibus, ut animalia sunt, nec tamen ibi ulla traditur cognitio causarum, nihil obstabit, quo minus in libro Prædicamentorum consideretur substantia, ut substantia, eodemq; modo reliqua omnia genera, cum tamen in eo ipso libro non considerentur causæ illorum generum. Quod enim uerè dicitur de libris de Historia animalium, si respiciatur ad cæteros libros de Animalibus, id quod minus uerum apparet: idem etiam dicetur de libro Prædicamentorum, si cum eo coniungantur reliqui Primæ philosophiæ libri, quod quidem magis uerisimile sit.

Ad illud uerò quod subiungit Madius: Nec obstaret, quòd definitio quæ traditur de substantia in Prædicamentis, sit etiam in Metaphysica posita, & quæ sequuntur: immò respondemus, obstare, ac maximè quidem, quòd huiusmodi definitio traditur etiam in Prima philosophia. Nam hac ipsa definitione ostendimus, substantiam, ut substantiam considerari in Prædicamentis: quam considerationem ad Primam spectare philosophiam, qui neget, arbitror esse neminem. Id quod sic confirmari posse uidetur. Substantia definitur ut substantia, in Prædicamentis, cum tradit Aristoteles, substantiam esse, quæ non est in subiecto: ergo consideratur ut substantia. Probatur antecedens, quia eadem definitio traditur in Prima philosophia de substantia, ubi consensu omnium consideratur substantia, ut substantia: ergo definitio substantiæ tradita est, quatenus est substantia. Cumq; consideratio substantiæ, quatenus est substantia, sit Primæ philosophiæ, hic liber pertinet ad primum philosophum.

Ac ita quidē, ut suprà diximus, illud obstat, quòd eadē definitio in Prædicamentis, & in Prima philosophia tradat̄. Quod si diceret Madius, eādem esse definitionē, sed uariè tractari, negamus hoc ita esse: nam

nam tractaretur in ordine ad opus. cum enim sit eadem in facultatibus specie distinctis, necesse esset tractari modo specie distincto. Atqui hoc est, tractari solùm in ordine ad opus, ut ostensum est in nostro libello, & suprà, atque inferius etiam ostendetur: fieri autem nō potest, ut hoc loco ita pertractetur. ex ea enim non infert Aristoteles ullam regulam, sicuti ex definitionibus traditis in Logicæ libris. ergo similiter tractatur in Prędicamentis, atque in Prima philosophia, itaque ad eandem scientiam pertinet. Quòd si diceret Madius, id quod tamen alienum est ab eo quod dicit, Aristotelem in libro Prædicamentorum, quòd ad illam definitionem attinet, agere primum philosophum: negamus etiam hoc uerè dici posse. proprietates enim quas substantiæ, cæterisq; generibus cōuenire ostendit Aristoteles, conueniunt substantiæ, ut substantia est, itemq; cęteris generibus, ut huiusmodi sunt, quemadmodum in libello nostro ostensum est, & ex ijs quę dicemus perspicuum fiet. Itaque Aristoles in eo libro nusquam non sustineret Primi philosophi personam, quod quidem absurdum est. huius enim doctrinæ nihil esset propriū, nostraq; sequeretur opinio. Quòd uero ita subdit Madius, Quia arguere ex definitionibus acceptis ex ipsa Metaphysica, lib. Prædicamentorum esse Metaphysicum, esset arguere, omnem scientiam esse Metaphysicam: hoc nullo modo ipsi dādum esse arbitramur. cogeremur enim fateri, definitiones rerum particularium ad Primam pertinere philosophiam, quemadmodum ipse in suo argumento accipere cogitur: itaque cæteras scientias esse superuacaneas, quod quidem omnium esset absurdissimum. Hoc autem cōsequi ex eo intelligitur, quòd qui considerat rerum definitiones, considerat ea quæ sine aliquo medio oriuntur ex definitionibus: hæ autem sunt proprietates: ergo qui cō siderat rerum definitiones, cōsiderat etiam proprietates. sed ex illius uerbis, considerat Primus philosophus definitiones: ergo Prima philosophia considerat proprietates. At qui considerat & definitiones, & proprietates rerum omnium, is considerat omnia quæ possunt considerari: Primus autem philosophus id præstat, ut ostensum est: ergo Prima philosophia considerat omnia, quæ possunt scientificè considerari. Itaque superuacaneæ sunt cæteræ scientiæ, quia omnia quæ possunt scientificè considerari, per Primam philosophiam considerantur. Maior propositio huius ratiocinationis habetur ex libro primo Poster. ubi ita scriptum est:

» *Omnem demōstratiuam scientiam circa tria esse. hæc autem sunt, genus, cuius per se passiones speculatiua est, & quæ communes dicuntur dignitates, & tertium passiones, quarum quid significet unaquæque, accipit.*

Et paulo antè dixerat,

» *Non est ergo ex alio genere descendentem demonstrare, ut Geometricam in Arithmetica. Tria enim sunt in demonstratione: unum quidem,*

quidem, quod demonstratur conclusio. hoc autem est, quod alicui generi est per se. Vnum autem dignitates, dignitates autem sunt ex quibus. Tertium autem est genus subiectum, cuius passiones, & per se accidentia ostendit demonstratio.

Nam si tria sunt quæ considerari oportet in scientijs, subiectum, passio, dignitates: qui autem considerat subiectum, is considerat. & si est, & quid est de ipso subiecto, & quid est de passione, ut patet ex primo lib. Poster. cap. primo: illud consequitur, ut qui considerat definitiones & proprietates omnium rerum, is contempletur omnia quæ scientificè possunt considerari: sed Primus philosophus hoc facit: ergo considerat omnia quæ possunt scientificè considerari. itaque cæteræ scientiæ sunt superuacaneæ: nihil enim habent proprij, quod pertractent. Sed hoc omnium esse absurdissimum, per se ipsum patet. Ergo absurdissimum est dicere id, quod dixit uir iste peritissimus: arguere ex definitionibus acceptis ex ipsa Metaphysica, librum Prędicamentorum esse Metaphysicum, idem esse, atque arguere, omnem scientiam esse Metaphysicam. esset enim id uerum, si omnes definitiones sumerentur à Prima philosophia, ut sumit liber Prædicamentorum eam quam diximus. Sed cum non sumantur, ut ostensum est, atque etiam ostendetur, falsum est id quod scribit Madius. Itaq; nos sine ratione redarguit.

Ad id uerò quod affert ex sexto Primæ philosophiæ libro, ut ostendat cæteras facultates mutuari suas definitiones à Prima philosophia, respondemus, tantum quidem iudicio nostro abesse, ut illa uerba opinionem eius confirment, ut penitus etiam euertant. eo enim loco (ut ipsi quoque expositores asserunt) ostendit Aristoteles, Primam philosophiam contemplari causas entis, atque eius principia, quatenus est ens: cum cæteræ facultates causas eorum quæ sibi subiecta sint, non entis, quatenus est ens, considerent. Vt hæc igitur Aristotelis ratio pondus habeat, illud concedendum esse uidetur, unamquanque scientiam habere proprias causas, & propria principia. aliter enim nulla uis esset illius argumenti: Cæteræ facultates causas eorum quæ sibi subiecta sunt, considerant: ergo Metaphys. causas entis, quatenus est ens, considerat. quia nos diceremus, causas cæterarum facultatum à Prima philosophiã, non à particularibus facultatibus considerari. Sed cum rationem Aristotelis ualere supponatur, ergo fatendum est, cæteras facultates habere proprias causas. Id quod eo loco ostendit Aristoteles, ubi hæc scripta reliquit.

Eorum quæ sunt, principia, hac in facultate, causæ'ue quæruntur, atque ut patet, ea sanè ratione, qua entia sunt. est enim quippiam sanitatis, bonæq; ualetudinis causa: & Mathematicorum sunt itidem principia, & elementa, & causæ, atque omnino scientia omnis intellectiua, aut aliquo modo particeps intellectus, circa prin-

r cipia,

» *cipia, causas ue, aut exactiores, aut simpliciores uersatur. Verùm*
» *hæ omnes unum quid, genusq; quippiam exceptum sumentes, de hoc*
» *sanè, sed non de ente simpliciter, neque ut est ens, considerationes*
» *suas efficiunt.*

Ergo scientiæ omnes cum habeant proprias causas, habent causam formalem. causa enim formalis est una ex quatuor causis. Atque ita apparet, Philosophiam naturalem, & Mathematicam, habere causam formalem propriam. Sed causa formalis est quod quid est, ut patet primo libro Primæ philosophiæ, textu decimooctauo, XIX. & quinto libro, textu tertio, & secundo Physi. libro, textu uigesimooctauo, & primo lib. de Generatione animalium, cap. primo, & secundo Poster. libro, capite tertio. ergo habent quod quid est proprium, itaq; definitionem propriam. Definitio est enim oratio, quæ explicat quod quid est. Id autem sic confirmatur, quia cum habeant propriam causam intrinsecus, habent proprium propter quid, ut I. Poster. lib. cap. XII. ostendit Aristoteles,

» *Hoc enim ipsum quia sensibiliũ est, inquit, scire, sed propter quid*
» *Mathematicorum, hi enim causarum demonstrationem habent.*

Quòd si Mathematici habent proprium propter quid, habent etiam proprium quid est, ut libro secundo Poster. docet Aristoteles, his uerbis:

» *In omnibus enim his manifestum est, quòd idem est quærere quod*
» *quid est, & propter quid est. ut quid est defectus? Priuatio luminis*
» *à Luna, ob terræ obiectum. & propter quid est defectus, aut pro-*
» *pter quod deficit Luna? propter defectum luminis, opposita terra.*

Hoc autem ex eo confirmatur, quòd habent proprium propter quid, per quod demonstrant ea quæ per se conueniunt ei generi, in quo uersantur. Hoc autem est quod quid est, ut ex illo patet Aristotelis loco, quem ipse recitauit:

» *Neque ullam de ipso quid est rationem omnino faciunt, sed ex*
» *hoc partim dilucido per sensum facto, partim ut suppositione sumpto,*
» *ea deinceps hoc pacto, quæ per se competunt ei generi, circa quod*
» *ipsæ uersantur, aut exactius, aut melius sanè demonstrant.*

Ergò cum habeant proprium quod quid est, non sumunt illud ab ulla alia facultate. quod enim earum proprium est, nulli id alij facultati conuenire potest. Ergo non rectè dictum est, scientias mutuari definitiones à Prima philosophia. Itaque non uult Aristoteles uerbis illis, quæ recitauit Madius, ostendere, omnes definitiones sumi à Prima philosophia, sed potius contrarium. Ex hoc enim sequeretur, reliquas facultates non habere proprias causas, & proprias definitiones, cõtra quàm superius dixerat Aristoteles. sed uult Aristoteles (ut ego quidem arbitror) docere, quemadmodum facultates particulares, quas dixerat uersari in omnibus causis, atque ita

in eo quod quid eſt, ſe habeant ad ipſum quid eſt, quia hoc magis erat dubium. Hoc autem ita eſſe, ex eo uidetur patêre, quòd nihil attineret eo loco mentionem ipſius quòd quid eſt facere. quod planè etiam declarant, quæ ita ſubdit:

Idcirco patet tali ex inductione ſubſtantiæ, atque ipſius quid eſt, demonſtrationem non eſſe, ſed quendam declarationis alium eſſe modum. " " "

Neque illud ualet, Geometria non demonſtrat, circulum eſſe figuram, à cuius centro ad circumſtantiam, & quæ ſequuntur: ergo Geometria non conſiderat circulum eſſe figuram. non enim omnia quæ ſunt in ſcientijs, demonſtrantur: habent enim illæ principia indemonſtrabilia, hoc eſt ſuppoſitiones, & definitiones, & axiomata, ut patet ex primo Poſter. lib. cap. 11. Illis autem uerbis Ariſtotelis, opinionem eius magis infirmari, quàm ullo modo comprobari, ex eo apparet, quod ita ſcribit Ariſtoteles,

Nec ullam de ipſo quid eſt mentionem omnino faciunt, ſed ex hoc partim dilucido per ſenſum facto, partim ut ſuppoſitione aſſumpto. " "

Ergo non tradit illud Ariſtoteles, definitiones ſumi à Prima philoſophia. Siquidem quæ ſumuntur à ſenſu, & ab experientia, non ſumuntur à Prima philoſophia neceſſariò. habent enim (ut oſtendemus) ſcientiæ ſuos ſenſus, & experientias, id quod tradit Ariſtoteles lib. 1. Priorum his uerbis:

Specialiter autem ſecundùm unumquodque ſunt plurima generis principia quidem, quæ ſunt circa ſingula. experimenti eſt tradere: Dico autem, ut Aſtrologiam quidem experientiam Aſtrologiæ diſciplinæ. Sumptis enim ſufficienter apparentibus, ſic inuentæ ſunt Aſtrologiæ demonſtrationes. ſimiliter autem circa aliam quamlibet ſe habet artem, & diſciplinam. " " " " " "

Cæteræ igitur facultates, præter Mathematicam, ſua petunt principia à proprijs experientijs, & ſenſibus; itaque non mutuantur à Primo philoſopho.

Hoc etiam apertiſſimè oſtendit Ariſtoteles libro ſecundo Poſter. ubi tradit principia ſcientiarum & artium haberi ex ſenſu & experientia: Non ergo ſumuntur à Prima philoſophia. Nec cum dicit haberi ex ſuppoſitione ſenſus, eſt peti à Prima philoſophia, ſed eſſe ipſa per ſe nota ex ſuis terminis, & indemonſtrabilia, ut ſunt ſuppoſitiones ſimpliciter. Itaque uerba illa Ariſtotelis, magis cum opinione Madij diſſident, quàm conſentiunt. Quæ omnia, uidelicet ſcientias omnes habere propria principia, quæque habent ex ſuppoſitione, hæc non mutuari à Prima philoſophia, uidetur Ariſtoteles undecimo Primæ philoſophiæ libro, textu uigeſimoquinto, oſtendere his uerbis:

„ *Omnis autem ſcientia principia quædam circa unumquodq; eorum quæ ſub ſe cadunt, atque cauſas quærit: ut Medicina, ut corporum exercendorum facultas, & quæq; cæterarum effectricum, Mathematicarumue. Nam harum quæq; genus quippiam definitum ſibi aſſumerent, quod quidem ſit in rerum ratione, entisq; ſubeat rationem, circa idipſum uerſatur, pertractationemq; facit, non tamen ut ens eſt, entisq; ſubeſt rationi. Ad hæc alia quædam eſt ſcientia, præter illas, dictarum autem quæq; ſcientiarum ipſum quid eſt aliquo modo in unoquoq; modo, genere, reliqua melius, aut exactius demonſtrare conatur. Sumunt autem quid eſt, aliæ per ſenſum, aliæ ſupponentes. Quapropter & ex tali patet inductione ſubſtantiæ, & ipſius quid eſt, demonſtrationem non eſſe.*

Si omnis igitur ſcientia quærit principia, & cauſas in unoquoque eorum quæ ad ſe pertinent, non ſumit illa à Primo philoſopho: non enim quæreret id, quod eſſet alterius ſcientiæ proprium. Nam, ut ait Ariſtoteles I. Poſteriorum lib.

„ *De non Geometricis, in Geometria non eſt diſputandum.*

Et libro primo Cœli:

„ *Scientia de natura ferè plurima uidetur circa corpora, & magnitudines, & horum exiſtentes paſsiones, & motus. Adhuc autem, & circa principia quæcunq; talis ſubſtantiæ ſunt. natura enim conſtantium hæc quidem ſunt corpora, & magnitudines, hæc autem principia habentium ſunt.*

Proprias item cauſas eſſe philoſophi naturalis, confirmant ea quę ſcripta ſunt apud Ariſtotelem libro ſeptimo Primæ philoſophiæ, textu XXXIIII.

„ *Huiuſce enim gratia, inquit, de ſenſilibus etiam ſubſtantijs enitemur definire. Nam facultatis naturalis, ſecundæq; philoſophiæ officium eſt, aliquo modo contemplari, quæ circa ſubſtantias ſenſui ſubiectas uerſantur. non enim de materia ſolùm, ſed de ſubſtantia etiam, quæ ad rationem accommodatur, ac magis philoſophum naturalem cognoſcere oportet.*

Et libro ſecundo Phyſicorum:

„ *Amplius eorum quæ ſunt ad aliquid, materia eſt, in alia autem ſpecie alia materia uſque ad quintum: ergo Phyſicum oportet cognoſcere ſpeciem, & quod quid eſt, aut quemadmodum Medicum neruum, & fabrum æs uſq; quò. cuius enim cauſa unumquodque, & circa hæc quæ ſunt ſeparabilia, ſpecies in materia. homo enim generat hominem ex materia, & Sol.*

Et textu LXX.

Quoniam

Quoniam autem causæ quatuor sunt, de omnibus erit Physici cognoscere, & in omnes inducens propter quod, demonstrabit Physicæ materiam, speciem mouentem, & quod est unius causa. "

Et XI. Primæ philosophiæ libro:

Atq; cum ipsum quid est unamquamq; scientiam aliquando scire necesse sit, atq; hoc principio uti, non lateat oportet, quónã modo definiendum sit philosopho naturali. "

Idem etiam uidetur ostendere libro quarto Primæ philosophiæ, ubi hæc scribit:

Attinet autem ad eum qui maximè circa unumquodque genus cognoscit, affirmare firmißima rei principia posse. Quare & ad eum esse pertinet omnium posse firmißima principia aßignare, qui de hisce quæ sunt, ut entia sunt, cognoscit. atque hic est ipse philosophus. "

Si ex eo igitur quòd particulares facultates constituunt sua principia, notissimè probat, ita esse de Prima philosophia, ut illa principia non sumantur à Prima philosophia. Nam particulares scientiæ non possent constituere firmissima rei principia: hoc enim ad Primam philosophiam spectaret, à qua hæc ipsa principia petita essent. ergo falsum diceret Aristoteles, neque ex eo posset ostendere, Primi philosophi esse, principia communia confirmare, quòd sua quisque particularis artifex principia confirmat, nisi hi ipsi artifices ad hunc modum confirmarent. nullam enim planè uim haberet hæc ratio. Item Mathematica & philosophia naturalis sunt scientiæ diuersæ à Prima philosophia, ergo principia earum non sumuntur à Prima philosophia. Probatur id quod consequitur, ex uerbis Aristotelis lib. I. Posteriorum:

Diuersæ uerò, inquit, scientiæ sunt, quarum principia non sunt ex eisdem, nec ex unius principijs principia proficiscuntur alterius. "

Si enim sumerentur ea principia à Prima philosophia, non essent diuersæ scientiæ. Sed hoc falsum est: ergo neque uerum id, quod à Madio dicitur. Præterea eodem libro Posteriorum Aristoteles inquit,

Monstratum enim, scientiarum, quæ genere differunt, principia diuersa genere. "

Quod quidem esset falsum, si peterentur à Prima philosophia. Hoc item ex eo intelligi potest, quia si facultates (ut Madius asserit) mutuarentur sua principia à Prima philosophia, atq; alio modo considerarent, ut in ordine ad opus, sequeretur ut essent omnes sub ipsa Prima philosophia, quod quidem falsum est. Aristoteles enim libro sexto Primæ philosophiæ:

„ *Quapropter, inquit, philosophiæ tres erunt contemplatrices, Mathematica, Naturalis, Theologia: non enim essent tres contemplatiuæ.*

Sin autem easdem res eodem modo considerarent, essent omnes ipsa Prima philosophia. Id autem uidetur ostendere Aristoteles lib. 1. Poster. his uerbis:

„ *Si uerò aliter quodammodo dicat aliquis, quod hæc quidem Geometria, aliæ uerò syllogismorum, aliæ uerò Medicinæ, quid utique erit aliud quod dicitur, nisi quòd sunt principia scientiarum. sed eadem dicere, derisio est: quoniam eadem eisdem eadem essent, omnia nanq; sic erunt eadem.*

Quibus quidem uerbis ostendit Aristoteles, si principia sint eadem, easdem esse & conclusiones, itaque omnia omnino esse eadem. Quòd si principia quæ sunt in omnibus facultatibus, sint Primæ philosophiæ: conclusiones item erunt ipsius Primæ philosophiæ, atq; ita omnes facultates erunt Prima Philosophia: quod quidem planè falsum est, propter eam quam attulimus rationem. Id quoq; luce clarius (nisi mea me fallit opinio) uidetur ostendere Aristoteles lib. 1. Posteriorum, ubi ita scribit:

„ *Sunt autem, quibus utimur in demonstratiuis scientijs, alia quidem propria uniuscuiusq; scientiæ, alia communia: Propria quidem, ut lineam esse huiusmodi, & rectam: Communia autem, ut æqualia ab æqualibus si auferas, quod æqualia reliqua sunt.*

Ergo ea quæ sunt propria Mathematicæ, non possunt conuenire Primæ philosophiæ, quia non essent propria ipsius Mathematicæ, itaque falsum esset quod tradit Aristoteles. Hæc autem propria principia Mathematicæ sunt definitiones recti & trianguli, quæ quidem conuenire non possunt Primæ philosophiæ. Nam quod alicuius proprium est, hoc illi uni conuenit, & semper.

Huiusmodi autem principia esse definitiones, constat ex ijs quæ tradit Aristoteles lib. 1. Posteriorum:

„ *Dico autem principia, inquit, in unoquoque, quæ cum sint, non contingit demonstrare. Quid igitur significent principia, & quæ ex his sunt, accipiendum est. Quod autem sint principia, necesse est accipere, alia uerò demonstrare, ut quid unitas, & quid rectum, & quid triangulus. esse autem unitatem, accipere magnitudinem, altera uerò demonstrare.*

Definitio igitur unitatis, cæterorumq;, quæ dictæ sunt definitiones, sunt principia. Amplius propositio illa, omnem doctrinam & disciplinam fieri ex antecedente cognitione, quid est passionis, quid & quia subiecti, & quia dignitatis, uidetur hoc idem ostendere, definitiones scilicet esse in scientijs. sunt enim anteceden-

tes cognitiones, ex quibus oritur ſcientia. Cum uerò ſingularum ſcientiarum ſingula principia propria ſint, ſequitur omnino, definitiones, quæ ſunt principia, eſſe proprias definitiones: non ergo pertinent ad Primam philoſophiam. Item primo libro Poſteriorum ita ſcribit Ariſtoteles,

Definitio eſt poſitio, poſitio aũt principium demonſtrationis. "

Et ſecundo libro:

Definitiones ſunt principia demonſtrationis. "

Præterea textum illum Ariſtotelis lib. VI. Primæ philoſophiæ:

Primo nullam ipſarum facere rationem, & quæ ſequuntur: "

Non eſſe ita ſimpliciter accipiendum, oſtendit ipſe Ariſtoteles lib. I. de Anima, cuius hæc ſunt:

Inquirimus autem conſiderare, & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam, poſtea quæcunq; accidunt circa ipſam. "

Ac mox ſubdit:

Videtur autem non ſolùm quod quid eſt cognoſcere, utile eſſe ad ſpeculandum cauſas accidentium in ſubſtantijs, ſicut in Mathematica, quid rectum, & quid obliquum, & quid linea, & quid planum, ad cognoſcendum, quòd rectis trianguli anguli ſunt æquales, ſed è conuerſo accidentia conferunt magnam partem ad cognoſcendum quod quid eſt. "

Illud ergo ſentit Ariſtoteles, ſcientias agere de ipſo quod quid eſt. quæ tamen uerba recto ſenſu accipienda ſunt, ut ſcilicet dicat Ariſtoteles neque ſcientias agere de ipſo quod quid eſt à priori, quòd nuſquam fieri poteſt: neque illius, ut tale eſt, eſſe demonſtrationem uel à priori, uel à poſteriori, propterea quòd in eo non dicitur aliquid de aliquo, aut loquatur de definitionibus ijs, quæ tanquam principia cognoſcendi ſupponuntur in aliqua facultate, ut in Mathematica. De quibus illud uerè dicitur, nullam earum eſſe rationem, ſed alium quendam modum. ac de his fortaſſe loquens Ariſtoteles in libro de Anima:

Omnis enim, inquit, demonſtrationis principiũ eſt, quod quid eſt. "

Quod item uidetur tradere lib. II. Poſter. his uerbis:

Eſt autem quorundam quidem altera cauſa, quorundam autem non eſt. quare manifeſtum, quod quid eſt, alia quidem ſine medio & principia ſunt, quæ & eſſe, & quòd ſint, ſupponere oportet, aut alio modo manifeſta facere. quod uerè Arithmetica facit: & nanq; quid eſt unitatem ſupponit, & quia eſt. "

Idem & paulo infrà:

Sed habentium medium, & quorum eſt quædam altera cauſa ſubſtantiæ, & per demonſtrationem, ſicut dictum eſt, oſtẽdere, non quod quid eſt demonſtrantes. "

Atq; ita uerum eſt, quod ait Ariſtoteles:

» *Similiter modo ſit'ne, an non ſit genus id, in quo uerſatur, tradere, u-*
» *numquenq; artificem uideri, propterea quòd eiuſdem eſt mentis, &*
» *an ſit quippiam, declarare, & quod quid eſt.*

Nam cum definitiones, hoc eſt ipſum quid eſt, principium eſt cognoſcendi, ſupponitur etiam an ſit: propterea quod qui ſupponit, unitatem eſſe indiuiſibilem ſecundùm quantitatem, ſupponit etiam, unitatem eſſe. Niſi enim ſuppoſitum eſſet, unitatem eſſe, ſupponi non poſſet, unitatem eſſe indiuiſibilem ſecundùm quantitatem. Verba igitur Ariſtotelis uidentur ob eas, quas attulimus, rationes, accipienda eſſe hoc ſenſu, nec quemadmodum uidetur accepiſſe Madius. Atque hæc eſt illa interpretatio, quam primo libro, Sectione ſeptima, polliciti ſumus, nos tertio libro eſſe tradituros. Quòd ſi quis aduerſus ea quæ diximus, illud afferret, neceſſe eſſe, à Prima philoſophia has pertractari definitiones, quòd ipſa cauſas entis, quatenus eſt ens, contemplatur: hæ autem definitiones ſunt huiuſmodi cauſæ, quia unumquodq; habet ipſum eſſe ex quiditate. Qua quidem ratione fortaſſe adductus eſt D. Thomas in libro ſexto Primæ philoſophiæ, ut exiſtimaret, ſcientias particulares nullam mentionem, id eſt determinatiouem facere de eo quod quid eſt, hoc eſt de quiditate rei, & de definitione, quæ ipſam quiditatem ſignificat. quanquam in eiſdem uerbis minus ſibi
» uidetur conſtare, cum aliàs dicat, Scientias facere ſuum quod quid
» eſt manifeſtum per ſenſum: ſicut ſcientia quæ eſt de animalibus, ac-
» cipit quid eſt animal per id quod apparet ſenſui, id eſt per ſenſum
» & motum, quibus animal à non animali diſcernitur. Aliàs uerò
» ſcientiam accipere quod quid eſt per ſuppoſitionem ab aliqua alia
» ſcientia, ſicut Geometrica accipit quid eſt magnitudo à Primo phi-
» loſopho, & ſic ex ipſo quid eſt noto per ſenſum, uel per ſuppoſitio-
» nem, demonſtrat proprias paſſiones.

Ex eius igitur uerbis, ut quæ ſcientiæ petunt à ſenſu ſuum quod quid eſt, hæ non petant à Prima philoſophia. Nam ponit differentiam inter ſcientias, ſentitq; eas facultates quæ ſumunt ex ſuppoſitione ſuum quod quid eſt, ſumere illud à Prima philoſophia: ergò falſum eſt, omne quod quid eſt ſumi à Prima philoſophia, atque ad ipſam Primam philoſophiam pertinere, ut dixerat. Sed utcunque ſit, ad hæc ita nos reſpondemus, fieri poſſe, ut eædem ſint cauſæ entis quatenus eſt ens, & entis in particulari ut eſt ens particulare: non tamen idem eſſe, tractare eas quatenus ſunt cauſæ entis ſimpliciter, & ut ſunt cauſæ entis in particulari. aliter enim aut Naturalis & Prima philoſophia non eſſent facultates diſtinctæ, aut altera eſſet ſuperuacanea.

Sed quoniam ex eis quæ à nobis primo libro dicta ſunt, omnia hæc patent, nihil attinet plura de hac re in medium afferre.

Conſtat

Constat igitur, facultates particulares non sumere à Prima philosophia definitiones, ut ad se pertinent: id quod nobis propositum fuit ostendere.

Neq; uerò huic nostræ sententiæ uidetur repugnare, quod libro IIII. Primæ philosophiæ ita scribit Aristoteles:

Patet, impossibile esse, simul idem esse, atque non esse eundem existimare. habebit enim contrarias opiniones simul profectò, qui circa hoc est deceptus. Quapropter omnes qui demonstrant, ad hanc opinionem ultimas demonstrationes reducunt. hæc enim principium est natura cæterarum omnium dignitatum.

Nam Interpretes ipsi ita hunc locum exponunt, ut nihil meam illam opinionem infirment. Alexandri enim hæc sunt:

Quòd uerò Aristoteles ait, hoc dignitatum seu sententiarum principium esse, non sic accipi debet, quasi principium sit earum demonstrandi, cum sententiæ demonstratione non indigeant: tunc enim non essent sententiæ, nec principia, sed quoniam sæpe ad illarum confirmationem & fidem, hac præterea sententia utimur. Confirmantes enim, quæ sunt eidem similia, inter se quoque similia esse assumimus. aliter enim non essent inter se similia, ne uni quidem cuipiam eidem similia fuerunt: sed potius illi erant dissimilia, quemadmodum inter se. At positum erat, esse illi similia. eadem igitur eidem & similia, & non similia erant. Quò sermonem referentes, ut ad id quod fieri non posse constat, opem tulisse putamus sententiæ dicenti, Quæ sunt eidem similia, inter se quoque similia sunt.

Itaq; Alexander unus ex ijs Aristotelis interpretibus, cui ad unum omnes plurimùm tribuunt, hæc à nobis reijcit.

Nec item uidetur obstare locus ille Posteriorum:

Quare ex his manifestum est, quòd non sit demonstrare unũquodq; simpliciter, sed secundùm quod ex proprijs uniuscuiusq; principijs, sed horum principia huiusmodi commune.

Nam aut idem fortasse hoc loco tradit, quod loco citato libri quarti Primæ philosophiæ: aut sensus est, habere principia demonstrationum commune, id est communem facultatem, quæ est Dialectica, ut exponit etiam Linco. utq; ipse testatum reliquit primo Topicorum libro, ubi ostendit, habere uiam Dialecticam ad principia. Neque item contrà facit, quòd ita scribit libro primo Philosophiæ:

Sicut Geometriæ non amplius ratio est, ad destruentem principia sua, sed aut alterius est scientiæ, aut omnibus communis. Eodem enim modo, quo superiora loca, interpretantur.

SECTIO II.

MAD. SEcundò, esto quòd eandem definitionem Primæ substantiæ in Metaphysica posuerit, quam etiam in Prædicamentis posuit: admonet tamen in septimo Metaphys. illam insufficientem esse, cum materiæ etiam conueniat, etenim materia nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur. Vnde uti Metaphys. philosophus in septimo, hac dimissa subdit, etenim separabile, & hoc aliquid inesse uidetur maximè substantiæ. In Prædicamentis uerò illam primæ substantiæ definitionem, tanquam Logico sufficientem admittit, qui primam substantiam non secundùm se considerat, sed in ordine & apparatu ad propositionem. Nam propter hoc, quòd substantia prima non est in subiecto, nec de subiecto dicitur, habet Logicus primam substantiam, ita in propositione esse subiectum, & nullo modo prædicatum esse posset, quod erat eius propositum.

ANTO. Hæc uerba (quod pace tanti uiri dicere liceat) multas mihi uidentur habere difficultates. Ac primùm quidem, quòd illam ego substantiæ descriptionem attuli, substantiam non esse in subiecto: quam uerò ipse recitat, hæc est, substantiam non dici de subiecto: quæ descriptiones maximè inter se differunt, ut notum est. Cum autem non ostendat Aristoteles descriptionem illam, quam ego posui, non esse idoneam: sequitur, ut nihil contra nos faciat. Præterea ut imperfecta sit illa descriptio substantiæ, tamen non sequitur, ut non sit Primæ philosophiæ: quia si ex hoc argumentaremur, eam non esse Primæ philosophiæ: sequeretur, ut hæc, Homo est animal, non esset philosophiæ naturalis. est enim imperfecta hominis definitio, quippe quæ conuenit asino & boui. Attamen est ipsius philosophiæ naturalis, ergo nihil nostra infirmatur argumentatio. Sed ut conueniat materiæ quoque huiusmodi descriptio substantiæ, sequitur, ut ad Primam philosophiam pertineat. nam materia ab ipsa etiam Prima philosophia tractatur, itemq; ea quæ ipsi materiæ conueniunt, quod nos primo huius Apologiæ libro clarissimè demonstrasse putamus. Huiusmodi autem descriptio (ut ait Madius) conuenit materiæ, ergo ad Primam philosophiam pertinet.

Idq; ex eo facilè constat, quòd hac definitione utitur Aristoteles septimo Primæ philosophiæ libro, ad ostendendum, uniuersalia non esse substantias, quod quidem proprium est ipsius Primæ philosophiæ munus: quare nullo modo excluditur à Prima philosophia. Aliter enim sequeretur omnino, ut Aristoteles non rectè illam conclusionem ostendisset: quod quidem quàm absurdum sit, neminem latêre arbitror. Hanc etiam descriptionem posuit Aristoteles quinto libro Primæ philosophiæ, quo loco etiam ex eius expositorum sententia distinguuntur ea, quæ considerantur à Prima philosophia.

Sed

Sed quando uideo homines (ut nunc quidem est) maiorem Aristotelis Interpretibus fidem habere, quàm ipsi Aristoteli, arbitratus sum non esse alienum, nonnullorum ex ipsis Interpretibus auctoritate nostram opinionem confirmare, ut intelligant, qui nobis penitus aduersantur, uel eos cum ipsis dissidere, quos tamen ipsi tueri conantur. Alexander igitur, omnium Græcorum interpretum facilè princeps, in libro septimo Primæ philosophiæ: Præterea, inquit, substantia uocatur, quæ de nullo subiecto dicitur, ut in Prædicamentis demonstratur: uniuersale autem de subiecto dicitur: uniuersale igitur non est substantia. Quibus sanè uerbis ostendit, Aristotelem uti ea definitione, quam in Prædicamentis tradidit ad cognoscendum aliquid, quod Primæ philosophiæ proprium est: ergo huiusmodi medium est Primæ philosophiæ, conclusio enim non esset Primæ philosophiæ. Quòd si dicat Madius, Logicum uti ea definitione in Prædicamentis, ad cognoscendum id quod ipse dixit, cum ponit tanquam manifestum, quod ostendendum esset, est enim id de quo disputatur: tum etiam dissentit ab Aristotele, qui utitur illa definitione ad cognoscendum, an aliquid sit substantia.

Falsum quoque illud esse, non modo commentitium, Logicam agere de substantia, ut subiectum est in ordine ad propositiones, satis (ni fallor) ex nostro libello intelligi potest. Ostensum est enim, Logicum, ut Logicus est, docere constituere propositiones ex terminis communibus, qui termini sunt extra prædicamenta: non autem constituere ex eis terminis, qui sunt in Prædicamentis. Quòd si dicat Madius, Logicum conficere propositiones ex terminis eis qui sunt in Prædicamentis, diluendæ fuerunt rationes eæ, quibus mihi quidem sum uisus planè ostendere, hoc esse falsum. Sed cum illæ nullo modo infirmatæ sint, minimè dicendum uidetur, Logicum ex eis quæ dicta sunt, elicere, substantiam esse subiectum, non prædicatum. ex ea enim nullam constituit propositionem. ac tametsi petit à Prima philosophia definitionem subiecti & prædicati, uti reliquas suas definitiones, tamen ignorat, substantiam esse prædicatum, aut subiectum: quemadmodum etiam non scit, animal esse genus, aut hominem speciem, ut libello nostro ostensum est, ad quem me reijcio.

Præterea dicat mihi uir iste præclarus, quid intersit inter hæc, prima substantia est separabilis, atque hoc aliquid esse uidetur: & hæc, substantia autem, quæ propriè & principialiter & maximè dicitur, est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est. nulla enim uidetur esse differentia, ut declarauit Aristoteles in Antepræ dicamentis, ubi dixit:

Alia uerò neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur, ut aliquis homo, aliquis equus. Nihil enim horum neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur. Simpliciter autem, quæ

sunt

» *sunt indiuidua, & numero singularia, de nullo subiecto dicuntur, in*
» *subiecto autem nihil prohibet ea esse: quædam enim Grammatica in*
» *subiecto est.*

Nam si indiuidua substantiæ sunt ea quæ sunt separabilia, & hoc aliquid: quæ uerò neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto, sunt indiuidua substantiæ, ut patuit: ergo quæ neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto, sunt separabilia, & hoc aliquid. Itaque dicendo, primam substantiam non esse in subiecto, neque dici de subiecto, dicitur, ipsam primam substantiam esse separabilem, & hoc aliquid. Non ergo rectè dixit Madius, alteram esse Logici, alteram Primi philosophi. Id autem confirmatur ex eo, quòd in Prædicamentis ita scribit Aristoteles,

» *Omnis autem substantia uidetur hoc aliquid significare, & in*
» *primis quidem substantijs indubitabile est, & uerum est: quoniam*
» *hoc aliquid significat, indiuiduum enim est, & unum numero quod*
» *significatur.*

Ergo in Prædicamentis illud idem dixit, de prima substantia, quod in Prima philosophia, nempe illam esse hoc aliquid, & separabilem, quod est uerum, nec non significatur. Non enim Aristoteles septimo Primæ philosophiæ libro posuit, materiæ conuenire definitionem illam, non esse in subiecto, neque dici de subiecto. nam ita scribit:

» *Nunc igitur dictum est quasi figura, quid'nam sit ipsa substan-*
» *tia, ubi diximus, id esse quod non de subiecto dicitur, sed quo de cæ-*
» *tera prædicantur.*

Hoc tamen loco illud prætermittendum non uidetur, definitionem eam septimo Primæ philosophię libro, quam Madius attribuit primæ substantiæ, tanquam perfectam, non uideri esse ita perfectam, ut ipse ait: quoniam Aristoteles eo loco uidetur dicere, illam conuenire formæ.

» *Ex his igitur, inquit, consideratis fit, ut materia substantia sit: at*
» *esse non potest. etenim separabile, & hoc aliquid, substantiæ maximè*
» *uidetur competere. Quapropter forma, et id quod ex utrisq; constat,*
» *substantia magis quàm materia uidebitur esse.*

Ex hoc ergo, quòd substantiæ maximè conueniat separabile, & hoc aliquid esse, uidetur Aristoteles inferre, formam & compositum esse magis substantiam, quàm materiam. Id quod confirmatur uerbis illis V. lib. Primæ philosophiæ, tex. XV.

» *Præterea quiditas, ratio cuius est definitio, & hæc cuiusque*
» *substantia dicitur. Fit igitur, ut substantia modis duobus dicatur:*
» *ipsum inquam subiectum ultimum, quod non ulterius de alio dicitur,*
» *& id quod hoc aliquid, ac separabile est: tale autem est uniuscuius-*
» *que species, atque forma.*

Videtur

Videtur ergo illa definitio conuenire formæ. itaq; quemadmodũ definitio ea, quam tradidit Aristoteles in Prædicamentis, nõ est perfecta (ut ait Madius) quia conuenit materiæ: sic ea, quam dicit ipse perfectè cõuenire primæ substantiæ, non erit perfecta. cõuenit enim ex Aristotelis sententia formæ, quæ forma non est prima substantia. Non uidentur igitur probanda esse, quæ de hac re dicit Madius, tum ob eam quam attulimus rationem, tum quia nullam de uerbis Aristotelis, quæ ego recitaui, fecit mentionem.

SECTIO III.

Similiter non obstat quod dicitur, proprietates substantiæ in Prædicamentis positas, esse substantiæ, ut substãtia est, cum philosophus eas consideret in ordine ad prædicationem: idq; patet, inspicienti ea quæ in Antepprædicamentis scribuntur, quæ gratia Prædicamentorum præposita esse nullus dubitat. At ibi expresse omnia principaliter in ordine ad propositionem scripta esse, liquidò patet. MAD.

Hæc uerba summam habent difficultatem, quorum duplex uidetur afferri posse sensus. Nam primò uidetur Madius concedere, proprietates substantiæ conuenire substantiæ, quatenus est substantia: negare autem, ex hoc inferri licere, substantiam, ut est substantia, tractari, quod philosophus eas ipsas proprietates in ordine ad propositionem tractet. sed hoc (meo quidem iudicio) falsum est. Nam si proprietates illæ conueniunt substantiæ, ut substantia est, ibi agitur de substantia, ut est substãtia. sic enim quicque tractari dicitur, quomodo quidem de eo ostenduntur proprietates. At de substantia (ut uidetur concedere Madius) quatenus est substantia, ostenduntur paßiones: ergo ipsa substantia tractatur. Quod si ita est, non tractatur in ordine ad propositionem: substantia enim ut substantia, non refertur ad propositionem, sed illi accidit, ut ex ipsa fiat propositio. Neq; uerò illud dici potest, substantiam his duobus modis eo loco tractari. non enim fieri ullo modo licet, ut idem in eadem doctrina duobus modis tractetur, qui modi per se ad diuersas facultates pertineant. Deinde proprietates quæ substantiæ cõueniunt, quatenus est substantia, perspicuè declarant, substantiam ibi tractari nõ posse, nisi quatenus est substantia. ANTO.

Quod uerò ad alterum sensum attinet, qui ex illis Madij uerbis elici potest, ut non concedat, proprietates illas cõuenire substantiæ, quatenus est substantia, sed sentiat conuenire substantiæ, ut refertur ad propositionẽ: hoc apertißimè refelli uidetur ex eo, quod proprietates illæ (ut quarto libro nostro demõstrabimus) ostenduntur de ipsa substantia, ut substãtia est, eodemq; modo de reliquis omnibus generibus. Quare substantia non potest aliter tractari, nisi ut est substantia.

Illas autem proprietates conuenire substantiæ, ut substantia est, facile constat ex illis Aristotelis uerbis:

" *Maximè uerò substãtiæ propriũ esse uidetur, quod cũ unum & idẽ*
" *numero sit, cõtrariorũ susceptibilẽ esse: & in alijs nõ habebit quisquã*
" *quod tale proferat, quæcunq; nõ sunt substantiæ. quod cum sit unum*
" *& idem numero, susceptibile contrariorum erit.*

Quod si hæc proprietas nulli alij generi cõuenit, præter substantiam, conuenit substantiæ, quatenus est substantia: itaq; substantia ipsa tractatur, ut substantia. eo enim modo tractatur, quo modo de ea ostenduntur passiones. Quod si tractatur ut substantia, tractari non potest, ut refertur ad propositionem.

Præterea hæc ipsa proprietas conuenit ei, ut est ex parte rei. nam suscipere contraria, non est nisi ex parte rei: ergo nõ conuenit, ut refertur ad propositionem. Quid? hoc ipsum iam dici liceret de omnibus conclusionibus, quæ in cæteris sunt facultatibus, ut in Geometria: nempe conclusionem hanc, Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, tractari, ut refertur ad propositionẽ, eodemq; modo de reliquis conclusionibus. Quod si dicatur, hoc dici de substantia, propterea quod hic liber est in Logica: hoc uerò fuerit ponere, tanq; manifestum, id de quo omnis est disputatio.

Præterea hanc Madij opinionem infirmant atq; euertunt omnia, quæcunque à nobis allata sunt, ut ostenderemus, Logicum non tractare huiusmodi propositiones. Quod uerò subiungit, Idq; patet inspicienti ea quæ in Anteprædicamentis scribuntur: Et hoc nobis maxime uidetur à ueritate abhorrere. siquidem nostro libello ostendimus, ea ipsa esse primi philosophi, ibiq; ab Aristotele tradita esse, ut ostenderet substantiæ proprietates. Quod si dissoluisset Madius rationes eas, quas attuli ad probandum contrarium, nihil profectò repugnauissem: sed cum minimè dissoluerit, ut legenti patet, mirum uideri non debet., si negauimus ea quæ dixit.

SECTIO IIII.

MAD. AD quod ex ipso etiam substantiæ prædicamento conuincitur. nam quia omni substantiæ commune est, in subiecto non esse, nulla substantia prædicabitur denominatiuè. Item quia substantiæ nihil est contrarium, si substantia prædicabitur, prædicatio essentialis erit: Si uerò quod de aliqua substantia prædicabitur, contrarium habet, denominatiuè, & non essentialiter prædicabitur. Item quia substantia non suscipit magis & minus, etiam non prædicabitur secundùm magis & minus. Item quia proprium est substantiæ subiectum esse contrariorum, in substantia fieri possunt propositiones contrariæ: ut homo est albus, homo est niger. In hoc autem uersari superfluum duco, quandoquidem legenti totum caput de substantia, ubique comprehendatur, Aristotelem de substantia agere in ordine ad propositionem, Et ita in ordine ad ueritatem & falsitatem.

ANTO. Equidem nobis hæc Madij uerborum Aristotelis interpretatio maximam

maximam attulit admirationem. huiuſmodi enim proprietates ex parte rei conuenire ſubſtantiæ, quî obſecro, cuiquam in dubium uenire potuit, qui non modo proprietates ipſas, ſed rationes, quibus oſtendit Ariſtoteles eas conuenire ſubſtantiæ, paulo attentius conſideraſſet? Nemini tamen mirum fuerit, ſi de hac re pluribus uerbis diſſeremus. id enim omnino res ipſa flagitat. Cum igitur dixerit Ariſtoteles, illud conuenire ſubſtantiæ, ut nihil ei ſit cõtrarium, idq́ confirmauerit uerbis illis:

Primæ enim ſubſtantiæ quid erit contrarium? ut alicui homini, uel alicui equo: ut uerò ne homini, nec equo aliquid eſt contrarium.

Conſtat eum loqui de re. his enim uocibus alicui homini, uel alicui equo, notat indiuiduum, quod eſt in re. nam ea, qua utitur, confirmatio, non poteſt eſſe uera, niſi ratione rei. Quare illa concluſio, Subſtantiæ nihil eſt contrarium, idcirco uera eſt, quod ita eſt in re. Non ergo ſenſus eſt, ſi ſubſtantia prædicabitur, prædicationem fore eſſentialem: hoc enim, ut fatetur Madius, non eſt ratione rei, propterea quod eſt in ordine ad propoſitionem.

Præterea falſum eſt, ſubſtantiam, ſi prædicetur, eſſentialiter prædicari: quia uerum eſt dicere, album eſt lignum: tamen hæc prædicatio eſt accidentalis, ut cum multis alijs locis teſtatum reliquit Ariſtoteles, tum uerò maximè primo libro Poſteriorum.

A' nobis item maximè uidetur facere, quod ita ſubdit Ariſtoteles:

Hoc non eſt ſubſtantiæ proprium, ut quantitatis bicubito, uel tricubito nihil eſt contrarium: at uerò nec decem, nec alicui talium.

Nam ſi horum uerborum idem foret ſenſus, quem ſuperiorum putat eſſe Madius, illud diceret Ariſtoteles, ſi quantitas prædicetur, prædicationem fore eſſentialem: nam harum uocum Quantitati nihil eſt contrarium. Vel ſenſus eſt, quem nos diximus: uidelicet eam rem, quæ eſt quantitas, nullum in ſe habere contrarium. quod idem intelligendum eſt de ſubſtantia. Vel ſi quantitas prædicatur, huiuſmodi prædicationem eſſe eſſentialem, quod quidem prorſus à uero alienum eſſe conſtat: cum ſecundùm naturam dicamus, hominem eſſe longum, latum, profundum. quæ tamen prædicatio eſt denominatiua, non eſſentialis.

Hoc item (meo quidem iudicio) confirmare uidetur, quod tradit Ariſtoteles in Prædicamento qualitatis, qualitati ineſſe aliquid contrarium. hic enim quæro, an ſenſus ſit, ei rei quæ eſt qualitas, aliquid eſſe contrarium, ut caliditatem, & frigiditatem: quæ quidem contraria dicuntur, quod contra ſe mutuò & agunt, & patiuntur. hæc enim ſunt contraria, ut oſtendit Ariſtoteles libro primo de Generatione & corruptione, his uerbis:

Sed quoniam non quodq; aptum eſt pati, & facere, ſed quæcunq; aut contraria ſunt, aut contrarietatem habent.

Ac paulò infrà,

" *Huius autem causa, quoniam contraria in eodem genere omnia,*
" *faciunt autem, & patiuntur contraria ad inuicem.*

Quæro igit, an hoc sibi uelint uerba Aristotelis, In qualitate esse huiusmodi contrarietatem: quia qualitates in se inuicem & agunt, & patiuntur. Quòd si hic sensus est eorum quæ tradidit Aristoteles de qualitatis contrarietate, ut ex ipsius quidem uerbis facilè constat, ita etiam accipiendum uidetur illud de substantia, substantiæ nihil est contrarium, ut ostendat, nihil in re contrarium esse substantiæ: quia substantia non est apta uel ad agendum in substantiam, uel ad patiendum ab ipsa substantia. Atque hunc quidem esse uerborum Aristotelis sensum, patet ex eis quæ libro secundo de Generatione & corruptione, textu uigesimo secundo ita scribit,

" *Et extrema quidem syncerißima, ignis & terra: media autem mi*
" *xta magis, aqua & aër. & utraque utrisque contraria, igni quidem*
" *est contrarium aqua, aëri autem terra: hæc enim ex contrarijs pas-*
" *sionibus constituta sunt.*

Non igitur uoluit, substantiam, quatenus est substantia, esse contrarium substantiæ: sed substantiam dici contrariam substantiæ, quia scilicet constituta est ex contrarijs pasßionibus.
Et textu uigesimo quarto,

" *Elementa autem, inquit, omnia habent contrarietatem, quia diffe*
" *rentiæ contrariæ sunt.*

Et eodem libro, textu trigesimo nono,

" *Terra quidem aëri, igni uerò aqua contraria est, ut cōtingit sub-*
" *stantiam substantiæ esse contrariam.*

Ex quibus constat, uerum esse quod diximus. non enim extrema hæc uerba addidisset Aristoteles, nisi ita sensisset, substantiam non esse contrariam substantiæ, nisi ratione qualitatis.

Aut illud, Qualitati est aliquid contrarium, sic interpretandum est, ut dicat Aristoteles, qualitatem, si prædicetur, non prædicari essentialiter. sed hic sensus, præterquam quòd nihil ad rem facit, prætera discrepat ab ijs quæ mox Aristoteles, ut quid ipse dicat, magis appareat, ita subdit:

" *Vel dicitur, ut iustitia iniustitiæ, albedo nigredini.*

Quòd enim iniustitia dicitur contraria esse iustitiæ, & albedo nigredini, hoc est ex parte rei: neque illud designat, iustitiam, aut albedinem, si prædicetur, non prædicari essentialiter. Si enim dicat aliquis, quòd de aliqua substantia prædicetur, si contrarium habeat, id denominatiuè, non essentialiter prædicari: ut hoc ita sit, tamen falsum est, cum prædicatur absolutè, non prædicari essentialiter. Qui quidem sensus sequitur ex eo sensu, quo accipitur illud, substantiæ nihil est contrarium: id est si prædicatur, prædicatur essentialiter.

tialiter. at si aliquid habet contrarium, & prædicatur, prædicatur accidentaliter. Ergo neq; ad rem facit, quod hoc loco ait Madius, & à uero alienum est: immò unum prædicatur de altero. Iustitia enim, ut patet, non prædicatur de iniustitia. Itaque quod dicitur, Substantiæ nihil esse contrarium, hoc ualet, ita esse ex parte rei: non illud, substantiam, si prædicetur, prædicari essentialiter.

Præterea falsum est, qualitatem, si prædicetur, non prædicari essentialiter. nam si color prædicatur de albedine, huiusmodi prædicatio essentialis est, & per se. color enim aliquo modo est in quod quid est ipsius albedinis. Quare si falsum est, colorem non prædicari essentialiter de albedine, non est hic sensus illius conclusionis: ergo neque erit conclusionis illius de substantia. contrarietates sunt enim eiusdem rationis. Nam quo modo consideratur unum prædicamentum, ita consideratur & aliud.

Amplius, cum Aristoteles in Prima philosophia, & in naturali utitur hac proprietate, substantiæ contrariam non esse substantiam, ut ostendat, in substantia non esse motum, utitur ibi hac ipsa proprietate, ut est in re, ergo & in Prædicamentis. Quod ita confirmatur, quia hanc proprietatem tradit Aristoteles tantummodo in Prædicamentis: nusquam enim alibi docet. Itaque debet accipi loco superius citato, ut declaratur in Prædicamentis: efficeret enim Aristoteles dubium dubio. At libro quinto Physicorum, constat accipi prout est in re, ergo itidem in libro Prædicamentorum, & in libro de Generatione & corruptione, ubi ait, elementa non esse contraria: & libro primo Physicorũ, quo loco tradit principia esse contraria, & non esse contraria.

Præterea quid obstaret, quo minus hoc dici posset, illam conclusionem eodem sensu accipi in Prima philosophia, & in naturali, quo accipitur in Logica: atq; ita illud idem sequeretur, quod in libro Prædicamentorum.

Quòd si dicat aliquis, id non posse concedi, propter diuersitatem, quia hic liber est pars Logicæ: ita ego responderim, hoc nihil aliud esse, nisi id tanquam manifestum ponere, de quo disputatur.

Illud etiam falsum esse, Item quia substantia non suscipit magis & " minus, non prædicabitur secundùm magis & minus: uidetur ostendere huius ipsius proprietatis confirmatio illa:

Vt hæc substantia, Homo, non est magis aut minus homo, " *nec ipse à seipso, nec alter ab altero: non est enim alter altero* " *magis homo, sicut est album alterum magis album, & bonum al-* " *terum altero magis & minus bonum. Sed & ipsum à se magis &* " *minus dicitur: ut corpus cum sit album, magis album dicitur esse* " *nunc, quàm prius: & cum calidum sit, magis & minus calidum di-* " *citur.* "

Cum igitur (ut patet) hæc confirmatio ſit de re, propterea quòd uerbis illis, Vt hæc ſubſtantia homo, oſtenditur ſubſtantia ea quæ eſt in re, concluſio etiam eſt de re. Confirmat id autem ſimilitudo ea, quam affert Ariſtoteles de albo, Vt album altero magis album, & quæ ſequũtur. hæc enim omnia dicuntur de re. Nam quod ad uocem attinet, non minus ſubſtantia dicitur recipere magis & minus, quàm qualitas. Non ergo ſenſus eſt, ſubſtantiam non prædicari ſecundũ magis & minus, aut non ſubijci etiam ſecundùm magis & minus: hoc enim ab Ariſtotelis inſtituto alienum eſſet. Sed uerbis illis, ſubſtantia non ſuſcipit magis & minus, hoc notatur, eam rem quæ dicitur ſubſtantia, non ſuſcipere magis & minus. ut hæc ſubſtantia quæ dicitur Homo, ut Socrates, non eſt magis ſubſtantia nunc, quàm heri. Id quoque planè confirmat ratio ea, qua oſtendit Ariſtoteles, qualitatis proprium eſſe ſuſcipere magis & minus, his uerbis:

" *Candidum namq; ſit amplius. contingit candidum fieri, non tamẽ*
" *omnia, ſed plura: hæc enim conſtat dici de re.*

Quod igitur de ſubſtantia dicitur, eam uidelicet non ſuſcipere magis & minus, hoc de re accipiendum eſt. Quòd ſi ex eo inferatur, ſubſtantiam prædicari ſecundùm magis & minus, hoc fuerit ratione rei.

Sed quid, dij boni, afferri poteſt, ex quo facilius intelligi poſsit, Ariſtotelem de ſubſtantia, hoc eſt de re illa quæ eſt ſubſtantia, agere, non ut oſtendat, in ſubſtantia fieri non poſſe prædicationes contrarias, quàm illud:

" *Maximè autem proprium ſubſtantiæ, cum unum & idem nu-*
" *mero ſit, ſuſceptibilem eſſe contrariorum.*

Quod ita eſſe oſtendens,

" *Veluti color, inquit, quod eſt unum & idem numero, non erit al-*
" *bum, neque nigrum, neque eadem actio eſſet praua & ſtudioſa. Simi-*
" *liter in alijs, quæ ſubſtantiæ non ſunt. Subſtantia enim, cum unum &*
" *idem numero ſit, capax eſt contrariorum: ut Homo, cum unus &*
" *idem numero ſit, aliquando quidem niger, aliquando albus.*

Deinde probat, hoc uerum non eſſe de oratione, & de opinione, propterea quod non mutantur ipſa, ſed res: ex cuius mutatione dicitur oratio aut uera, aut falſa.

" *Verùm, inquit, ſubſtantia in eo quod contraria recipit, in hoc ſu-*
" *ſceptibilis dicitur contrariorum.*

Quod quidem apertiſsimè mihi uidetur Madij opinionem euertere. In ſubſtantia enim fieri poſſent huiuſmodi propoſitiones, ſi hic ſenſus, quo Ariſtotelẽ interpretatur Madius, ad rem faceret. Siquidem ſubſtantia ſuſceptibilis eſt contrariorum, ut oſtendit Ariſtoteles, propterea quòd langorem ſuſcipit, & ſanitatem. Recte igitur à nobis

nobis dictũ est: neq; huiusmodi propositiones appellãtur cõtrariæ, sed potius contrariorum, ut ex secundo Periherm. libro constat.

Id etiam ex interpretibus ipsis (ut aduersarij uel suo ipsorum gladio iugulentur) satis perspici posse arbitramur. Boëtius enim uir apud eos summæ auctoritatis, ad hanc proprietatem cõfirmandam huiusmodi dubitationem affert.

"Sed, inquit, si quis forsitan dicat, cur, cum ignis calidus sit, nunquam frigus suscipiat: & cur, cum aqua sit humida, nunquam suscipiat siccitatem. Sed dicendum est, quoniam ea contraria suscipere uidentur, substantiæ, quæ sunt in eius natura, non insita, alioquin non suscipit quicquid illi substantialiter adest."

Sentit igitur, Aristotelem ubi ait, substantiam esse susceptibilem contrariorum, loqui de re quæ appellatur substantia, non uerborum illorum hunc esse sensum, quem putat Madius: aliter enim nullus hic esset eius dubitationi locus, etiam si non susciperet contraria, cum id conueniat substantiæ, quatenus est substantia. Conuenit enim uni substantiæ, & quatenus res est. quare non potest ei conuenire ratione alterius: quia quod cuique conuenit, ut tale est, non potest ei conuenire ratione alterius. Nam si ratione alterius conueniret, sequeretur, ut non conueniret ei, quatenus tale est. Ergo proprietas illa non conuenit substantiæ, quatenus est propositio, sed quatenus res est. Eandem dubitationẽ attulit Hammonius, & Simplicius. Sentiunt igitur & ipsi, Aristotelem loqui de re, quæ est substantia.

Præterea hoc idem dici posset de omnibus ijs quæ traduntur in cæteris facultatibus, ut (exempli causa) cum in Geometria dicitur, triangulo inesse, habere tres: sensus esset, confici posse illam propositionem, triangulum habere tres angulos, quæ quidem & ipsa esset Logica, quod planè absurdum est. Nam quod uerè dicatur, homo est albus, homo est niger: hoc uerum est ratione rei, uidelicet in re ita est. quia ex eo quod res aut est, aut non est, oratio dicitur aut uera, aut falsa. Non enim quemadmodũ ostendit Aristoteles libro nono Primæ philosophiæ, quia dicimus, hominem esse risibilem, uerum est, hominem in re esse risibilem: sed quia homo in re est risibilis, uera est prædicatio illa, homo est risibilis.

Sed quid dicemus de ijs quæ pertractantur in prædicamento quantitatis, ubi diuidit Aristoteles quantitatem, in quantitatem discretam & continuam, quidq; utraque sit, explicat: quo loco inter continuas quantitates numerat tempus, lineam, superficiem, locum: inter discretas, numerum & orationem, quatenus eam metimur syllaba uel breui, uel longa. Deinde ostendit, quæ propriæ sint quantitates, quæ rursus per accidens. cumq; cæteras quantitatis affectiones enumerasset,

Proprium autem, inquit, maximè quantitatis est, quod & æquale, & inæquale dicitur.

Hęc enim non possunt ullo modo sic accipi, ut referantur ad propositionem. non enim (nisi mea me fallit opinio) fieri potest, ut non Aristotelis uerba extorquentes, ac maximè perturbantes ita exponamus, quia proprium maximè quantitatis est, æquale & inæquale dici, in quantitate fieri posse prædicationes æquales & inæquales. hoc enim planè falsum esset, atque admodum ridiculum.

Cum igitur hæc ipsa quæ attulimus de Prædicamento quantitatis, manifestè conueniant rebus: ea item quæ sunt in Prædicamento substantiæ, dicendum est conuenire rebus. non enim maior est ratio unius, quàm alterius.

Neque uerò minus hoc ex prædicamento relationis perspici licet, quàm ex superioribus prædicamentis. Quî enim potest illa relatiuorum proprietas, ut insit ipsis contrarietas, sic accipi, ut illud notet, si prædicetur, non prædicari essentialiter, sed denominatiuè: cum unum aliquod relatiuum, si ponatur in quid est alterius, non prædicetur quodam modo denominatiuè, sed essentialiter?

Ecquis item adeò fatuus existimabit, Aristotelem ubi tradit, relatiua suscipere magis & minus: illud sentire, prædicari ipsa relatiua secundùm magis & minus, nec potius significare rem ipsam, cuius ratione, aut uera aut falsa sit prædicatio?

Sed ut multa alia mittam, quæ afferri possunt, quid de illa proprietate, omnia quæ ad aliquid sunt, dici ad conuertentiam? Dicet'ne quisquam, ex his uerbis elici, relatiua, si prædicentur, prædicari conuertibiliter? hoc nimirum enim uidetur absurdum. Quod si quis diceret, non'ne id ratione rerum fieret? Nam de proprietate illa, Si quis aliquid eorum quæ sunt ad aliquid definire sciet, & illud ad quod dicitur, definitè cogniturus est: quid aliud indicat, præter naturam eorum quæ ad aliquid dicuntur? Quòd si naturam significat, non ergo hæc diuiduntur, quatenus referuntur ad enunciationem.

Quòd si quis neget, hæc Aristotelem tradere de natura relatiuorum, ostendat is quæso, quæ'nam sit hæc natura relatiuorum, quibus eam uerbis, aut quo loco docuerit Aristoteles. nemini enim dubium esse potest, quin relatiua, cum sint una ex illis decem speciebus entis, aliquam certam naturam habeant: quæ natura, si (ut constat) aliter declarari non potest, non ab re dictum est à nobis, hic de eorum natura agi. Quod si concedatur, ut ratio ipsa postulare atque exigere uidetur, quî potest aliquis negare, in prædicamento substantiæ agi de substantia, ut substantia est, cum in hac re una atq; eadem sit ratio utriusque prædicamenti?

Quid autem de prædicamento qualitatis? Cum describit Aristoteles qualitatem esse eam, secundùm quam quales quidam dicuntur: significat'ne aliud, nisi albedinem esse qualitatem, quia is cui inest albedo, uerè dicitur albus? Quid? Cum habitum & dispositionem naturalem, propriam uel impropriam passionem, uel passibilem qualitatem, & formam, quæ est permanens

alicuius

alicuius rei figura, dicit esse species qualitatis, non'ne ostendit, hæc omnia esse qualitates, ut dulcedinem, amaritudinem, austeritatem, & reliqua huiusmodi? quia secundùm illas dicimur quales. At ostendere, aliquid esse qualitatem, quid aliud est, nisi ostendere, hominem esse animal? Quòd si probaremus, hominem esse animal, esset probatio de re: ergo & illa erit de re. atque ut hæc philosophiæ naturalis est, sic illa diuinæ. Quòd si de rebus sunt, quæ hic pertractat Aristoteles, non sunt propter enunciationes. enunciationes enim sunt propter res, non res propter enunciationes, ut ostensum est in nostro libello. Præterea sequeretur, ut omnia quæcunque sunt in cæteris facultatibus, sic possent interpretari: nulla est enim diuersitatis ratio. nisi fortè dicat aliquis, hunc librum esse partem Logicæ, quod quidem esset, tanquam manifestum id ponere, de quo omnis est disputatio.

Quid de facere, & pati? Vbi tradit Aristoteles calefacere, & frigidum facere, non'ne illud significat, referri hæc ad propositiones, non ad res? Quid de pertractatione oppositorum, quam ostendimus ex tot locis Primæ philosophiæ, pertinere ad primum philosophū? Non'ne patet, esse de rebus? ut cum dicitur, bonum esse contrarium malo. Quid de priori, & simul? non'ne tradit Aristoteles quarto Primæ philosophiæ libro, ea pertinere ad Primam philosophiam? ibiq; ea pertractat, quemadmodum hic, cuius quidem repetitionis causa nostro libello ostensa est.

Quid? cum dicit, Motus autem species sunt sex, generatio, cor- " ruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, secundùm locum muta- " tio: non'ne hæc de rebus sunt, & propter res ipsa? Non'ne sunt etiam de re, quæ de alteratione & augmentatione scribit? ubi ostendit, alterationem distingui ab augmentatione.

Quid de habere? non'ne egit Aristoteles in Prima philosophia? At hæc omnia sunt de rebus, ut ostensum est: ergo non tractantur propositionis causa.

Ac, ut paucis totam rem absoluam, Logicæ nihil opus est his uocibus ad enunciationes constituendas, quòd ipsa (ut nostro libello demonstratum est) non conficit suas enunciationes ex his quæ sunt in illis decem generibus: ac licet utatur terminis, quæ sunt in Antepraedicamentis, & Postprædicamentis, tamen hi ipsi termini significant affectiones entis, manifesteq; ad Primam philosophiam pertinent, ad Logicam uerò in ordine ad opus.

Rationes autem eæ, quibus ostendi, Logicam non indigere his prædicamentis, id luce clarius uidentur ostendere.

SECTIO V.

QVod etiam scribitur in Commentariolo, prædicamenta esse Primæ philosophiæ partem, & in eis naturam substantiæ perfectè considerari, ut substantia est; diligentiori indiget perscrutatione. Quomodo MAD. enim

enim in Metaphysica negaret, species & genera esse substãtias, quas substantias in Prædicamentis dixit. In eadem igitur facultate, Metaphysica scilicet, philosophus diceret, species & genera esse substantias, & non esse substantias, utroque in loco substantiam considerans secundùm eius propriam naturam.

ANTO. Hæc item quæ scribit Madius, summam mihi attulerunt admirationem, quod uult ex ijs in quibus Aristoteles minus sibi constare uidetur, scientiarum diuersitatem ostendere: cum & in philosophia, & in cæteris facultatibus propè infinita sint ea, quibus auctores ipsi uidentur à seipsis dissentire. Ac ne longius exempla petamus, non'ne ex huius doctissimi uiri ratione sequeretur, ut octauus Primæ philosophiæ liber, aut septimus, non sit pars Primæ philosophiæ, quod eo loco hæc scripta reliquit Aristoteles,

" *Et insuper alio modo genus magis quàm species, & uniuersalia*
" *magis quàm singularia, substantiam esse:*

Cum tamen septimo libro multis rationibus ostenderit, nullum uniuersale esse substantiam. Non igitur absurdum est, in eadem facultate Aristotelem dixisse, genera & species esse substantias, ac rursus negasse, esse substantias, si quod ait septimo libro Primæ philosophiæ, id rursus negat octauo libro, ubi quidem de substantia agit, secundùm propriam eius naturam. aliter enim omnino negandum erit, aut septimum, aut octauum librum pertinere ad facultatẽ eam, ad quam tamen consensu omnium pertinere dicitur, idque ratio ipsa apertè comprobat.

At uerò quasi in diuersis facultatibus pertractandis liceat à seipso unum aliquem auctorẽ dissentire, ita uir iste doctissimus argumentatus est. Quòd si detur, hoc fieri in diuersis facultatibus suo quicque sensu interpretando, cur in eadẽ facultate hoc ipsum non fiat? quemadmodum sæpissimè quidem fieri uidemus.

Illud autem minimè prætereundum putamus, non dixisse nos, naturam substantiæ in Prædicamentis perfectè explicari: etsi diximus, illam, ut substantia est, considerari. quod tamen superius quoque declaratum est.

SECTIO VI.

MAD. AT si ponamus, Prædicamenta esse Logicæ facultatis partem, facilè erit hanc controuersiam sedare: cum munus Metaphysicæ sit, de ipso esse, & quiditate uerba facere, non autem Logici. Species autem iure Logicus dicit magis substantias, quàm genera, secundùm rationem prædicandi. nam prædicatum subiectum manifestat, & quia species magis manifestat ipsam substantiam quàm genera, magis substantia dicetur. Item quia prima substantia ita in propositione subijcitur, ut nullo modo prædicetur illud, apud Logicum magis substantia erit, quod magis in propositione subijciendi rationem habeant. sed species est huiusmodi respectu generis, ergo species magis substãtia quàm

quàm genus: quod secundùm considerationem Logicam uerissimum est.

Hic, præterquam quod non uidetur Madius ostendere, Aristotelem à se ipso non discrepare, præterea nonnulla dicit, quæ dubitationem habent. Non ostendit autem, Aristotelem secum non dissidere, quia ponit species esse substantias, cum ostendat quomodo sint magis substantiæ quàm genera. In Prima philosophia autem negatum est prorsus, eas esse substantias. Manet ergo Aristotelis, suæ ipsius opinionis euersio. ANTO.

Quod uerò subiungit, quomodo species sint magis substantia quàm genera, quia uidelicet propinquiores sunt primæ substantiæ, tantùm abest (mea quidem sententia) ut ostendat, hoc esse Logici muneris, ut ex eo etiam inferatur contrarium. Nam quod species dicitur esse magis substantia, quàm genus, quia est propinquior Primæ substantiæ, hoc est ratione rei, non ratione propositionis: à re ipsa enim illud sumitur, speciem esse propinquiorem primæ substantiæ. Siquidem ex eo sumitur, quod euidentius declarat, quid sit prima substantia. Quod autem declarat quid sit aliquid, quod est in re, declarat eius substantiam, uel essentiam. At quod aliquid declaret essentiam alicuius, quod sit in re, hoc est ex parte rei: ergo declarare, species esse magis substantiam, quàm genera, quod scilicet sint propinquiores ipsi substantiæ, hoc erit ex parte rei. Atque ita prima substantia dicitur prima, quia ex parte rei subiecta est omnibus. Propositiones enim non sunt ueræ, nisi ratione rerum: hoc autem non fit ex eo quòd ipsæ res sint, uel subiecta, uel prædicata propositionum, sed in propositione prædicatum dicitur manifestare subiectum: ut si dicamus, homo est animal ratione rei, non quod hęc uox Animal declaret hanc uocem Homo: sed res ea quæ illa uoce animal significatur, id declarat, quod significatur illa uoce homo.

Deinde ex his quæ ex eodem prædicamento scribit Aristoteles, ostendens quomodo genera & species sint substãtiæ, apparet, eum à se ipso non discrepare.

Sunt enim, inquit, secundæ substantiæ, quia indicant primas substantias, non quod in se sint substantiæ, quippe quæ sunt accidentia. " " "

Ex quo intulit,

Meritò post principales substantias, sola aliorum species & genera dicuntur secundæ substantiæ. eorum enim quæ prædicantur, principalem substantiam hæc indicant. " " "

Ac ita quidem patet ex eo, quod Aristoteles secũ ipse apertè dissideat, negandum non esse, librũ Prædicamentorum esse partem Primæ philosophiæ, sed Logicæ.

Huc accedit, ut ostendere, aliquid esse substantiã, & magis substantiam, pertineat ad Primã philosophiam, ut in nostro libello demonstrauimus. Nam hoc fieri non potest, nisi per naturam substantiæ. aliter

aliter enim nihil attineret de prędicato ſupponere quid ſit, quod quidem ſpectat ad Primum philoſophum, non ergo ad Logicum.

Præterea utcunq; ſeſe res habeat, omnia hæc ſunt ſuperuacanea, cum Logicus (ut noſtro libello oſtenſum eſt) nuſquam utatur huiuſmodi uocibus.

Amplius ſecundo Phyſ. libro, textu quarto oſtendit Ariſtoteles, materiam eſſe ſubſtantiam, quia eſt ſubiectum. ergo dicere primam ſubſtantiam eſſe ſubiectum, non eſt Logici: nam aliter probatio illa eſſet facultatis eius, quam iſti Logicam appellant.

Præterea primo Phyſ. lib. text. LII. oſtendit, ex eo quod ſubſtantia prima eſt ſubiectum, inferri non poſſe eam pertinere ad Logicã. eius autem hæc ſunt uerba:

» *Nullius uidemus eorum quæ ſunt, ſubſtantiam contrariam. prin-*
» *cipium autem non de ſubiecto oportet dici aliquo, erit enim principiũ*
» *principij. ſubiectum enim principium eſt, & prius uidetur eſſe præ-*
» *dicato.*

Cum igitur in ea facultate, quæ de rebus agit, quæq; nullo modo dici poteſt eſſe Logica, utatur Ariſtoteles ad probandam concluſionem de rebus nomine ſubiecti & prædicati, patet ex eo, quod in lib. Prædicamentorum dicat, ſubſtantiam eſſe ſubiectum, uel prædicatum, inferri non poſſe, illam conſiderationem ad Logicam ſpectare.

Sed oſtendat, quæſo, uir iſte doctiſsimus, unde ipſe apud Logicũ didicerit, id magis eſſe ſubſtantiã, quod magis in propoſitione ſubijciendi rationem habeat, niſi illud ſit ratione rei.

SECTIO VII.

MAD. ALia uerò ratio (mea quidem ſententia) præcipua ipſius Commentarioli hæc eſt. Termini omnes quibus utitur Logica, ſunt extra decem genera: ſunt enim affectus entis, quatenus ens, ut nomen, uerbum, ſyllogiſmus, & alia id genus. ergo non indigemus in Logica his terminis ſimplicibus, qui in Prædicamentis ſunt. Ego diſtinctione utendum eſſe exiſtimarem. ſimplicia enim, quæ in prædicamẽto ſubſtantiæ ſunt, ſecundum eſſe reale extra animam, nõ ſunt negotij Logici: at illamet ipſa, ſecundùm illud eſſe quod habent in anima tantùm conſiderata, ſubſtantiam primam, quatenus ſubiectum eſt, ſic ad Logicum pertinere dicerem.

ANTO. Hæc planè abſurda eſſe, ex eis quæ à nobis dicta ſunt in noſtro libello, ſatis perſpici poſſe arbitramur. ibi enim oſtendimus, ſubiectũ & prædicatum primò ad Primam philoſophiam ſpectare, quia ſunt affectiones entis, quatenus eſt ens. Quod cum ita ſit, ſequitur omnino, ut ea quæ conſiderantur ſub ratione ſubiecti, pertineant ad primum philoſophum: quia ſubiectum, ut tale eſt, pertinet ad primum philoſophum: ſicut ea quæ cõſiderantur ſub ratione entis, dicuntur pertinere ad Primam philoſophiam, quia ens, ut ens, ad ipſam ſpectat. Ac ita quidem eius diſtinctio, ut uera eſſet, tamen probare uidetur

detur magis oppositum, quàm propositum. Vt omittam, sic distingui non licere, cum & superius, & in Commentariolo nostro ostensum sit, omnia quæ tradidit Aristoteles in Prædicamentis de substantia, cōuenire ei ut est substantia, ibiq; de substantia agi, ut res est; eodemq; modo de reliquis.

Illud etiam argumentum, quo in Commentario nostro ostendimus, substantiam considerari non posse ut genus, probare mihi uidetur, illam non posse considerari ut subiectum.

Hoc idem autem, quia de omnibus ijs quæ sunt in cæteris facultatibus, dici posset, neminem latêre arbitror. hoc est, cōsiderari posse sub ratione subiecti & prædicati. imò sic considerantur, cum ex eis fiunt propositiones, ut homo est animal, itaq; pertinere ad Logicam. Quòd si dicat aliquis, in cæteris probari proprietates, uerbi gratia, hominis, quatenus homo est: hoc idem dicemus de substantia, & quodcunque ad diluendam rationem nostram afferetur: hoc idem à nobis dicetur ad improbandum id, quod ab isto doctißimo uiro in medium allatum est.

Præterea, si considerantur ut subiectum, sequitur, non considerari ut significant res, quatenus significant res. consequens est falsum, & contra Boëtium, Hammonium, & Simplicium, quos tamen auctores uehementer isti sequūtur: Ergo & antecedens. Probatur consequens, quia considerare aliquid ut est subiectum, ex ipsius Madij sententia est, considerare ut habet esse in anima. Sed considerare, aliquid significare rem ut significat illam rem, non est considerare, ut habet esse in anima: ergo sequitur id quod dictum est.

Præterea distinguendo consequens, uidetur apertißimè concedere antecedens: uidelicet, terminos qui sunt in Logica, esse affectiones entis, quatenus est ens: itaque entis realis. ens enim, ut ens, reale est. ergo non sunt affectiones entis in anima. Sed infrà capite undecimo, negat esse affectus entis realis, sed entis quod habet esse in anima: ergo sibi non constat. Illum autem concedere antecedens, ex eo patet, quòd fatetur, non indigere nos simplicibus ijs quæ sunt in Prædicamētis, ut habēt esse reale, sed ut habēt esse in anima tantùm.

SECTIO VIII.

Qvòd autem res eadem diuersis considerata modis duo constituat subiecta formalia, tantùm abest ut esse putem in intelligibile, ut etiam putem esse maximè necessarium. eædem namq; lineæ sunt Mathematicæ, & naturales. MAD.

Illud ego non negaui, unam rem diuersis modis consideratā duo constituere subiecta: Sed dixi, cum una aliqua res diuersis modis cōsiderata duo efficiat subiecta, fieri nō posse, ut aliquis afferat ea, quæ in libro Prædicamentorum pertractantur, diuersis modis pertractari, qui modi ad diuersas facultates pertineant. quia ex hoc sequeretur, ut unius facultatis duo essent subiecta: quod quidem non uidetur intelligi posse, quia una sciētia est, quæ est unius generis. Quare ea quæ ANTO.

dicit Madius, uidentur nostram opinionem confirmare: sed de his in sexto libro pluribus disseremus.

Illud autem de linea, minus fortasse probandũ uidetur, quòd differentia quæ est inter philosophiam naturalẽ & Mathematicam, nõ potest esse secundùm formã: quia huiusmodi differentia sumitur à fine, ut nõ modo ex ijs patet quæ scribit Aristoteles, cũ alijs locis, ut in nostro libello ostensum est, tum 1. lib. Oeconomicorum, his uerbis:

» *Cuius autem gratia unumquodque est, & fit, & substantia ipsius*
» *hæc existit.*

Sed ex his etiam quæ in secũdo libro Primæ philosophiæ ita scribit Alexander,

» Doctrina uerò quæq; à fine, propositoq; notatur, & habet esse.

Quòd si differentia, quæ est inter duas aliquas facultates, secundùm formam, sumitur à fine: quæ autem est inter Mathematicam & naturalem philosophiam, sumi non potest à fine, quod utriusque finis est scire: non est inter illas differentia secundùm formam: erit ergo secundùm materiam, ut constat etiam ex sexto libro Primæ philosophiæ, & tertio de Anima, ubi docet Aristoteles distingui inter se scientias, quemadmodum & res. Quod cum ita sit, non eadem erit omnino linea, quæ à naturali philosopho consideratur, & à Mathematico, quia nullam haberet differentiam, ac ita distinctæ non essent scientiæ illæ, quia nulla esset differentia inter eas, neque secundùm formam, neque secundùm materiam. Quare dicendum est, aliquo modo diuersas esse lineas: quia linea, quæ consideratur à Mathematico, est linea abstracta à materia: quæ uerò consideratur à philosopho naturali, est cum materia. linea autem cum materia, & linea sine materia, non sunt omnino eædem lineæ, neque habent omnino easdem proprietates. Idq; uidetur (mea quidem sententia) omnino concedere Aristoteles secundo philosophiæ naturalis libro, cuius hæc sunt:

» *Pòst speculandum est, quomodo differt Mathematicus à Phy-*
» *sico. etenim plana & firma habent Physica corpora, et longitudines,*
» *& puncta, de quibus intendit Mathematicus.*

His enim uerbis, & eis quæ sequuntur,

» *De his quidem igitur negociatur Mathematicus, sed non in-*
» *quantum Physici corporis terminus est unumquodque, neque acci-*
» *dentia speculatur in quantum talibus existentibus accidentium, unde*
» *& abstrahit:*

Ostendit Aristoteles, quod diximus. Ponit enim, Mathematicum considerare lineam solam, & Physicum lineam cum corpore, ut est terminus corporis. Qui quidem diuersus modus considerandi res, non efficit diuersitatem in forma, sed in materia: itaque non sunt omnino eædem res, quæ ita considerantur. Ergo illud de linea, quod scribit Madius, minus probandum uidetur. Sed de hac re suo loco fusius disputabimus.

Sectio

SECTIO IX.

De necessario & possibili agitur in Metaphysica, & in libro de Interpretatione. in Metaphysica, ut sunt in re: in Logica, ut sunt in propositione. Non igitur, quia in libro de Interpretatione, erit Metaphysicus: quia licet & Metaphysica, & Logica de eodem tractent, uidelicet de necessario, diuerso tamen modo id agunt. MAD.

Si putat Madius, necessarium pertractari à Metaphysico simpliciter & absolutè, atque ut est affectus entis, cum ait, cõsiderari ab eo ut est in re, à Logico autem ut est in propositione, hoc est ut refertur ad opus, itaque propositionis causa, & demõstrationis: nihil ab eo dissentimus, uidenturque nobis hæc omnia nobiscũ facere. Sin aliter sentit, arbitramur falsam esse hanc illius opinionem, atque ab Aristotelis sententia discrepare. nam & in Logica, & in Prima philosophia eadem est definitio necessarij, nempe necessarium esse id quod aliter se habere non potest. Quòd si uariè consideratur huiusmodi definitio, ita considerari necesse est, ut in Prima philosophia simpliciter & absolutè accipiatur, in Logica uerò in ordine ad opus: sicuti eadem est definitio iræ, & in philosophia, & medicina: & recti, in Geometria et in Mechanicis: sed uariè tractantur. aliter enim nulla esset inter ipsas facultates differentia. Atque ut illud dici nõ potest, ullam harum definitionum cõsiderari, modò ut est in re, modò ut est in intellectu, quia omnino sunt eædem definitiones: ita neque hoc dici poterit de ea quam primam posuimus definitionem. non enim maior est ratio unius, quàm alterius. ANTO.

Neque uerò illud mihi dixisse uideor, quoniam in Prima philosophia, & in libro de Interpretatione agatur de necessario, librum de Interpretatione esse Primæ philosophiæ: sed quia sunt eædem definitiones, & in Prima philosophia, & in Logica, dicendum esse, illas considerari absolutè in Prima philosophia, quippe quæ scientia est, ac natura prior ipsa Logica: in Logica autem, in ordine ad opus. Quod si negaretur, sequi omnino, ut Logica & Prima philosophia eædẽ essent facultates, nec inter se ullo modo distinctæ, utpote quæ haberent easdem res eodem modo tractatas: quod quidẽ omnium esset absurdissimum.

SECTIO X.

Ita etiam de Prædicamentis dicendum esse existimarem, quod Metaphysicus agit de ipsis, ut sunt in re: Logicus, ut sunt in anima tantùm, & in ordine ad orationem. MAD.

Id nos planè iam infirmasse arbitramur, cum ostenderimus, in ipsis Prædicamentis agi de decem generibus, ut res sunt, nec Logicum omnino de illis agere, ut sunt in anima, quippe qui (ut in Commentario ostendimus) non utitur eis quæ sunt in Prædicamentis, ad quæ (uti suprà etiam fecimus) hanc ipsam dispositionem reijcimus. ANTO.

SECTIO XI.

MAD. VNde quod scribit, terminos simplices, quibus Logicus utitur, esse affectus entis: hoc facilè concederem. uerùm etiam dicerem, esse affectus entis, ut habet esse in anima, non realis. De ente uerò per accidens, & de ente solùm in anima habente esse, nulla scientia principaliter considerat: sententia est Aristotelis in sexto Metaphysicæ ultimo, etiam in undecimo Metaphysicæ scribit hunc in modum:

Quod autem, ut uerum ens, nō secundùm accidens, hoc quidem est in complexione mentis, & passio in hac, propter quod circa sic quidem ens, non quæruntur principia. Quòd si Metaphysicus de ente per accidens consideret, uti considerat, & de ente rationis, esse enim cuiuscunque entis considerat, perspecta tamen eorum natura, ea reijcit à scientijs, ut patet per loca superius citata.

ANTO. Hæc planè à ratione uidentur abhorrere. nam cum hi ipsi termini sint affectiones entis, quod est subiectum in Prima philosophia: sequitur omnino, ut sint affectus entis realis, non entis quod habet esse in anima tantùm. Hos autem terminos esse affectiones entis, quod est subiectum in Prima philosophia, declarant ea quæ scribit Aristoteles quarto Primæ philosophiæ libro, quæ quidem à nobis sæpe iam citata sunt.

» *Perspicuum igitur est, inquit, ad unam scientiam pertinere id*
» *quod est, ut ens est, & ea quæ insunt ipsi, ut tale est, contemplari, &*
» *non solùm substantiarum, sed etiam eorum quæ competunt, scientiam*
» *eandem esse contemplatricem, eorum inquam quæ diximus, & de*
» *priore, & de posteriore re, & genere, & specie, & toto, & parte,*
» *& huiusmodi cæteris.*

Quibus uerbis apertissimè ostendit, hæc pertinere ad Primam philosophiā, quia sunt affectiones entis, quatenus est ens. Sed ens, quatenus ens, est subiectum in Prima philosophia, ut libro quarto Primæ philosophiæ, textu primo, & multis alijs locis testatum reliquit Aristoteles: ergo hi termini sunt affectiones entis, quod est subiectum in Prima philosophia. huiusmodi autem subiectum est reale: Prima enim philosophia est scientia realis. omnis autem scientia dicitur realis ex subiecto: ergo hi termini cum sint affectus entis, quod est subiectum in Prima philosophia, sunt affectus entis realis. Confirmatur ex his quæ concessit Madius. Prędicamenta, ut sunt in Prima philosophia, sunt realia: ergo & ens, quod de ipsis dicitur, est reale. Sed huiusmodi sunt affectus entis, quia ens de ipsis dicitur, ut patet: ergo sunt affectus entis realis. Præterea ens, ut ens, est reale: hi autem termini sunt affectiones entis, quatenus est ens: ergo entis realis. Itaque non sunt affectiones entis, quod habet esse in anima tantùm, ut asserit Madius. Prętereà primi philosophi est, agere de his quæ sunt affectus entis, ut de necessario, de contingenti, de causa, de priori, & de reliquis id genus: ergo non habent tantùm esse in anima, id

quod

quod asseruit Madius. Si enim haberēt tantùm esse in anima, ex hac illius opinione sequeretur, ut nulla scientia consideraret huiusmodi terminos. Probatur autē ex V. Primæ philosophiæ lib. ibi enim ut isti etiam interpretes sentiunt, cum distinguat Aristoteles ea quæ pertinent ad primum philosophum, distinguit omnia ea quæ dicta sunt. Itaq; consideratio illa est primi philosophi.

Videtur etiam Madius à seipso dissentire, in ijs quæ scribit. Nam quod ait: Prędicamenta, quatenus habent esse in anima tantùm, esse Logicæ facultatis partem: de ente autem, quod est solùm in anima, nullam scientiam principaliter agere: hoc illud significat, aliquā scientiam agere de ente in anima tantum, ut Logicam: nullam uerò scientiam principaliter agere de ente in anima. quæ quidem inter se pugnare, ac planè contraria esse, neminem latêre arbitror. Nam si Logica de his terminis ageret, tractaret principaliter ea quæ sunt tantum in anima. esset enim eiusdem rationis, & in toto, & in partibus.

Præterea si uerū esset, quod ait Madius de terminis simplicibus, qui sunt in Logica: necessarium, & contingens, qui item sunt termini simplices in Logica, nō considerarentur à primo philosopho, ut sunt in re, quod ex eius sententia haberent esse in anima tantum. itaq; non essent affectus entis realis, & excluderentur à scientijs. Sed ipse capite nono dixit, tractari etiam à primo philosopho: ergo sibi non constat. Præterea ex his quæ hoc loco dixit, sequitur, ut idem nō possit tractari & in Logica, & in Prima philosophia, quia Logicus, ex eius sententia, considerat ea quæ sunt affectus entis non realis, sed quod est in anima tantum. hoc autem ipsum ens excluditur à scientijs, ut ipse dicit. itaq; idem non potest tractari, & in Logica, & in Prima philosophia: licet diuerso modo tractetur, quia ens in anima excluditur (ut ait ipse) à scientijs, atq; hæc id quod est solum materia, non potest considerari, ut habet esse in re. Sed cōtrarium in eodem capite dixit, ergo secum dissidet.

Quem uerò locum citat ex libro sexto Primæ philosophiæ, hic nihil uidetur ad rem facere, uel quia cum loquatur ipse de simplicibus, Aristoteles ibi (ut patet) agit de compositione & diuisione, quæ est in anima, ut ostendit D. Thomas, & ipse Alexander. Vel quia ea ipsa de quibus ibi agit Aristoteles, non omnino excluduntur à Prima philosophia. Siquidem libro nono Primæ philosophiæ illud ipsum ens pertractauit, quod in calce sexti libri sese pertractaturum pollicitus erat.

Quod autem affert ex XI. Primæ philosophiæ libro:

Id aūt, quod ut uerū est ens, & nō per accidens, in mentis complexione cōsistit, atq; in hoc est affectus. Quapropter circa id quidem quod ita est, principia nō quærūtur: circa uerò id quod extra, et separabile.: id aūt quod est per accidens, nō est necessariū, sed indefinitū, atq; talis entis causæ inordinatæ sunt, ac infinitæ. Id aūt quod alicuius gratia fit, in his est quæ natura fiunt, aut à mente proficiscuntur:

Hoc uerò arbitramur Aristotelem dicere, non quidem se inuestigare nolle causas entis ueri, aut falsi, quod reperitur in cōpositione, & in diuisione. aliter enim secum ipse dissideret, qui nono libro loco superius citato dixit, causas esse res.

» *Non enim, inquit, quia nos te albū esse uerè putamus, ideo tu es al-*
» *bus: sed quia tu es albus, ideo nos qui hoc diximus, uerum dicimus.*

Et in Prædicamentis, & in lib. Periherm. hanc ipsam causam attigit. Sed nolle se inuestigare causam, quare intellectus coniunxerit uerbum, scribit cum Socrate ad hunc modum: Socrates scribit, in quo est aut uerum, aut falsum, cuius rei causam non est hic inuestigandi locus: quippe quod uidetur pertinere ad librum de Anima. Ac ne uiderer ego unius argumenti ui in hanc opinionem adductus esse, non alienum putaui, hanc nostram sententiam, interpretum eorum quibus isti plurimum tribuunt, auctoritate confirmare, in quibus est D. Thomas, Latinorum ipsius Aristotelis interpretum fortasse optimus. Is autem in VI. Primæ philosophiæ lib. ita scribit:

» Illius uerò, scilicet entis ueri, causa est aliqua passio mentis, id est in
» tellectus, componentis & diuidentis, et ideo pertinet ad scientiam de
» intellectu, quò scilicet ad istam causam: non quòd non pertineat ad
» Metaphysicum eo modo, quo diximus.

Idem ipse Thomas in librū sextū Primæ philosophiæ, exponens illa Aristotelis uerba, Posterius perscrutandum est: In fine scilicet, inquit, noni libri, & in Logicalibus, sed satis esse existimo, quod de eo perscrutetur in fine illius noni libri. Quod uerò ad causam, quam diximus, attinet, excluditur ab hac facultate, quia est operatio mentis, quæ pertinet ad librum tertium de Anima.

Alexander etiam Græcorum interpretum facilè princeps, in undecimo Primæ philosophiæ libro, hæc uerba protulit:

» Ens igitur, ut uerum, & non per accidens, in mentis complexione
» consistit, & eius est affectus. cum enim mens prædicatum uerè cum
» subiecto coniungit, hoc ens appellat, non quidem simpliciter ens,
» sed ens quasi uerum. Vt si Socrate scribente, mens dicat, Socrates
» scribit: hoc ens erit, non tamen simpliciter, sed ens tanquam uerum.
» Huius igitur entis, tanquam ueri, nulla causa inuestigatur. nemo
» enim inquirit, cur cum Socrate mens uerbum Scribit copulauerit.
» Entis autem externi, & separabilis, id est per se existentis causas in-
» dagamus: quo in loco externum ens uocat Socratem, eiusq; opus,
» ipsum inquam scribere. neq; enim Socrates, & munus quo pingitur,
» sunt in mente, quæ ait, Socrates scribit: sed extra ipsam, & hoc in lo-
» co. ergo circa ens externū causas indagamus: inquirimus enim cau-
» sam, cur Socrates scribit. Neq; uerò ab re horū mentionem fecit: sed
» quia entis per accidens causas non haberi ostenderat, conuenienter
» dixit, entis quidem quasi ueri causas esse.

Patet igitur, Alexandrū loqui de ea causa, cuius nos meminimus, etsi uidetur aliquo modo in uerbis à D. Thoma discrepare.

Illud etiam constare arbitror, Aristotelem non loqui de simplicibus, cuiusmodi sunt genus, species, necessarium, contingens: sed de compositione omnium simplicium in quacunque facultate, quatenus fit ab anima. itaque Madium ipsum ab re hunc textum citasse. Loquitur enim apertè Aristoteles de illa compositione, quam facit intellectus, componendo eas quas isti nuncupant primas intentiones, ut homo est animal, & de reliquis huiusmodi.

Auerroës item in lib. VI. Primæ philosophiæ, text. ult. ita scribit:

" Ens enim, quod est per accidens, non habet causam terminatam: & quod est ueridicans, nō habet etiam causam, nisi animam, & ideo utrunque numeratur in genere entis diminuti. "

Sentit igitur cum ipso D. Thoma, animam esse eam, cuius ratione non uult Aristoteles inuestigare huiusmodi causam, quia scilicet pertinet ad tertium de Anima.

SECTIO XII.

HAs puto potiores esse rationes, quibus uir doctissimus in suam sententiam adductus est: quæ tamen ex his quæ scripsimus, uideri fortasse possent esse solutæ. MAD.

Vtrum autem rationes nostræ dissolutæ sint à Madio, necne, ex eis quæ à nobis dicta sunt, intelligi potest. an uerò potiores sint eæ quas ipse connumerauit, ex libello nostro facilè est perspicere. ANTO.

SECTIO XIII.

CIrca uerò id quod de secundis intentionibus scribitur, nihil dicimus: cogeremur enim declarare, quid esset uniuersale potentia, & quid actu, & quid uniuersale potentia propinqua, quid remota: iterum uniuersale actu nunquid esset unius & eiusdem rationis, an diuersarum. & si diuersarum, num ambo ab intellectu agente, & ambo à possibili, alterum ab agente: & quomodo differant uniuersale, & propositio uniuersalis. quæ omnia nimis longam traherent orationem nostram. Dies autem hi caniculares tacitè admonent, ne longior sim, præsertim cum M. Antonius Ianua insignis philosophus, cui iure hæc mandata præcipuè est prouincia, ad plenum (uti spero) sit satisfacturus. Hæc autem pauca qualiacunque sunt, ut tuæ petitioni morem gererem, scribere nō recusaui. Reliquum est, ut te rogem, atq; obsecrem, me semper tuis paratum commodis uelis existimare. Vale. MAD.

Ego uerò non satis intelligo, quid causæ sit, cur dicat Madius, si ad ea quæ ipsi de intentionibus scripsimus, respondisset, ea sibi omnia declaranda fuisse, quæ enumerat: præsertim cum appareat, satis esse illud ponere, passiones animæ intellectiuæ esse similitudines singularium, eductas ab ipsis singularibus, quatenus inter ipsa singularia conuenit. Sunt enim necessariò alia agentia. Sed nihil attinet ea hoc loco connumerare, itemque necessarium esse, simulatque ANTO.

hæ paſsiones fiant, huiuſmodi ſimilitudines plura nobis ſingularia referre: quia ex hoc ſequitur, ut non alio, ſed eodem temporis pūcto ſint, id quod nobis propoſitum fuit oſtendere, cōtrà quàm opinantur interpretes iſti, qui aſſerunt, hæc uniuerſalia fingi ab intellectu cōparante unum obiectum prius cognitum cum alio: exempli cauſa, hominem prius cognitum cum prius cognito animali. cum ita ſentiamus nos, ſimulac fit homo, eodem planè temporis momento fieri & uniuerſale. Sed de his pluribus uerbis in eo libro diſſeremus, ubi præceptori noſtro reſpondebimus. Hæc ſunt, ampliſsime Princeps, quibus nobis dilui uiſæ ſunt acutiſsimæ rationes, quas Vincentius Madius, philoſophus ſanè quàm egregius, contra Commentarium noſtrum attulit.

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE

LIBER QVARTVS.

CVM M. Antonio Genuæ, & Vincentio Madio reſponderim, uidetur iam reſpondendum eſſe doctiſsimo atque acutiſsimo philoſopho, Ludouico Buccaferreo. is enim tertius ad ea quæ noſter libellus habet, multas, & eas quidem perarduas, dubitationes, noſtrorumq́ argumentorum diſſolutiones (ut philoſophi erat ingenioſiſsimi, ac omni diſciplinarum genere ornatiſsimi) attulit. Cui quidem ego, quicquid in philoſophiæ ſtudio profeci, ſi quid tamen profeci, id omne libenter acceptum refero. Ingenui enim animi uel maximè, qui omnium bonarum diſciplinarum parentem philoſophiam profiteatur, eſſe non ignoro, per quos profeceris fateri. Eo autem ipſe doctore complures annos ſum uſus, incredibili mea cum uoluptate, atque utilitate, eiusq́ admiratione ſic, ut ab hominis latere, quoad liceret, nunquam diſcederem. Quòd ſi poſtea factum eſt, ut ab eo nonnullis in rebus diſſentirem, nemini mirum uideri debet, cum id ſummorum clariſsimorumq́ philoſophorum exemplo fecerim, itaq́ faciendum eſſe, moneat illud Ariſtotelis, Δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

Alexan-

ALEXANDRO CARDINALI FARnesio, S. R. E. Viceecancellario, Lodouicus Buccaferreus S. P. D.

FORTASSE ne tantum negligentiæ nota accusabor, reuerendiss. Antistes, uerùm etiam tuæ amplitudinis indignationē subibo, quòd cum pluribus antea diebus uotis tuis facere satis debuissem, uti per literas mihi significaueras, usq; hoc temporis procrastinando rem tam leuem distulerim: quo nihil posset esse mihi grauius, nec molestius, ut qui reuerēdiss. Amplitudinis tuæ perpetuò fuerim (ut par est) obseruantissimus. Quamobrem ante omnia ueniam, quibus possum supplicationibus, exposco, atq; exoro. ita enim tua singulari humanitate, qua in omnes uteris, fretus, publicis præsertim lectionibus, ac priuatis reculis meis occupatus, non citra animi molestiam, in hanc diem traduxi hanc expositionē meam qualemcunque, quid scilicet sentirem de Commentariolo Antonij Mirandulani, quod iamdudum Amplitudini tuæ dicauerat, & sub eiusdem patrocinio inuulgauerat. Is enim, sicut summa ingenij acrimonia in cunctis rebus semper polluit, ita & in eo rei nouitate oblectatus, sese ipsum latratibus omnium studiosorum exposuit, præcipuè si qui fuerint, qui aliorum calumnijs studeant, atq; occupentur. Ego uerò eo animo, quo perpetuò hominem summa amicitia ac beneuolentia mihi cōiunctum prosecutus sum, ut qui sub signis meis, nec sine gloria militauerit, eundem quoq; hac in re complector, sapientissimæ illius sententiæ non immemor: Tradidit scilicet Deus mundū disputationi, ne nouerit homo, quid ille ipse operatus fuerit. Ita enim semper licuit cuiuis bonarum artium studioso, quæ sibi uiderentur probabilia, disceptationis, atque honestæ contentionis gratia in mediū afferre, & eo magis, cùm omni offensione careant. Ea igitur, quæ suspicionem ingerunt his, qui communem expositorū Aristotelis sententiam sectantur, eidem repellenda obijciam. Quorum quidē modum etsi non ignorauerim sine omni molestia ab homine dissoluendum fore, nihilominus ut uoluntati reuerendiss. Amplitudinis tuæ obtemperarem atq; obsequerer, quæ summa est omnium mihi uotorum, cùm plurimum tibi debeat ætas nostra, ut qui studiosos omnes, sicut studiosum decet, & supra omnem ingenij aleam positum adolescentem, ne dum literarum studijs, sed summis Christianæ Reipublicæ difficultatibus occupatissimum, pio mentis affectu foueas, atq; amplectaris, has leues dubitatiunculas adieci. Quod si fortè quispiam tenues ac ieiunas existimauerit, is ampliore plausu ac fauore, hominem mihi familiarem ac carissimum, quod summopere expetiueram, prosequatur. Vale Antistes omnium amplissime.

Sectio

SECTIO PRIMA.

BVCCA. OCcurrit primùm id eius placitum, Logicam non esse scientiam, sed artem, quæ circa solam orationem uersetur, quod dubitatione non caret, tum quia in hac ipsa facultate est omnis conditio ueræ demonstrationis, subiectum scilicet, paßio demonstrabilis de ipso, principia, quibus demonstretur: tum quia nulla ars, etsi Mechanica, uacat nomine scientiæ, cum neque careat demonstratione propter quid: tum quia ars recta est ratio factibilium, est autem factio hominis operatio in materiam extraneam: tum quia oratio non per se notificat ignotum, qua oratio, sed qua definitionis, diuisionis, & argumenti rationem sortitur. Non igitur est per se subiecta Logico, sed magis modus sciendi, quo ignotum notum fit, incomplexum quidem, & simplex definitione ac diuisione, complexum uerò argumento. Aristoteles autem secundo Metaphysicorũ libro dicens, Vanum est simul quærere scientiam, & modum sciendi, uidelicet Logicam exprimens nomine sui subiecti primi à scientia, quæ de ueris rebus fit: excludit, non autem omni modo.

ANTO. Ad hæc, quæ scribit clarißimus doctor meus, ut respondeam, nullo planè contradicendi studio, sed quo magis ueritas eluceat, nego, ullam esse in Logica omnibus numeris absolutam, perfectamq; demonstrationem: Logicamq; ipsam esse scientiam. Quòd autem uir iste doctißimus uidetur contrarium ostendere, qui scribit:

» In ea esse & subiectum, & proprietates de ipso subiecto demon-
» strabiles, & principia, quibus demonstrantur ipse proprietates:

Si ita sentiat, hæc esse in Logica sic, ut ueræ conficiantur demonstrationes, ex quibus uera perfectaq; existat scientia, negamus, hæc ipsa unius scientiæ causa pertractari, siquidem ad opus duntaxat referuntur. qua re fit, ut Logica nullo modo sit scientia. Sin autem ita sentiat,

» In Logica esse subiectum, paßionem demonstrabilem, & princi-
» pia, quibus demonstratur,

id est ostenditur ipsa paßio: concedimus id. sed negamus, quod infert,

» In Logica esse omnes demõstrationis numeros, atq; ita scientiæ.

Quandoquidem nec omne subiectum, nec omnis paßio demonstrabilis, neque omne principium, quo aliquid ostenditur, ueram, perfectamq; efficit demonstrationem. sed hæc ipsa ueram constituunt demonstrationem tum, cum unius scientiæ causa, non operis pertractantur. Atque ita negamus, rationes eas, quibus ostenditur aliquid in Logica, esse ueras, ac simpliciter demonstrationes: siquidem ad opus duntaxat, non ad scientiam spectant. communiori tamen uocabulo dici possunt demonstrationes, ut in octaua Sectione libelli nostri satis superq; nos ostendisse arbitramur. Atque has ipsas quidem demonstrationes designauit Aristoteles, cum definiens artem sexto Ethicorum libro tradidit,

Illam

Illam esse habitum cum ratione factiuum. "

Hæc enim ratio est discursus ille, quo artes concludunt necessariò, ita faciendum esse, uel contrà. Nam aliter non connumeraretur inter eos habitus, quibus uerum semper dicimus: quem tamen discursum communiori uocabulo appellare possumus (ut dictum est) demonstrationem.

Quanquam autem ita esse (ut diximus) arbitramur, tamen non alienum putamus in medium afferre uerba Auerrois ea, ex quibus facile quisque intelligere poterit, illum hoc idem quod nos sensisse: ac ita quidem non uidebimur ipsi rem nouam, absurdam'ue protulisse. Auerroës igitur in secundum Primæ philosophiæ librum:

Scientia enim operatiua, inquit, quamuis utatur ratiocinatione, " & speculetur de causis, tamen non est digna uocari scientia speculatiua, quia non perscrutatur de causis rerum, & definitionibus earum, nisi ut scientes eam agant, & non ut sciant, sicut est in scientijs speculatiuis. "

Ex Auerrois igitur sententia nullam uim habet argumentum illud. In hac facultate est ratiocinatio, est causa, ex qua fit demonstratio, est definitio, ergo est scientia propriè. Nam possunt hæc referri ad opus duntaxat, sicuti ostendimus referri ea quæ sunt in Logica.

Præterea in sextum eiusdem Primæ philosophiæ librum, Commentario primo hic ipse Auerroës ita scribit:

Omnes igitur cogitationes agentes, & operantes, & quæ utuntur argumentatione, sunt arguentes secundùm aliquid, non arguentes simpliciter, cum scientia in eis non sit, nisi propter opus. "

Conficiunt igitur (ut putat Auerroës) huiusmodi cogitationes argumenta, quæ quidem non possunt esse, nisi rationes, in quibus sunt & subiecta, & passiones, & principia, tamen nulla in his propriè est scientia, ad opus enim tantummodo referuntur. Idem Auerroës in Epit. Logicæ:

Artes, inquit (ut alibi dictum est) diuiduntur in tres partes: scilicet in artes, quarum finis est solùm operatio, sicut est ars medicinæ, & cæteræ, siue operatio eius fuerit per syllogismum, & per experimentum, aut breui se expediens solo experimento: & in artes, quorum finis est solùm scientia, & hæ quidem sunt scientiæ speculatiuæ, sicut est scientia naturalis, & cæteræ: & in artes adiuuantes istas, quæ sunt artes quæ dirigunt intellectum ad perscrutationem harũ, ut est ars Logicæ, & ei proportionalis. "

Ex his igitur constat, in artibus disci posse aliquid per syllogismũ. Itaq; ab Aristotelis expositoribus ijs, quibus isti plurimùm tribuũt, diluuntur argumenta, quæ contra nos allata sunt. Quod uerò aliam Buccaferreus conclusionis suæ confirmationem subiungit,

Hoc idcirco esse, quòd nulla ars, etsi Mechanica, careat nomine scientiæ. "

Concedimus fieri posse, ut artes communiori uocabulo posint appellari

appellari ſcientiæ, ac rurſus ſcientiæ artes, ut lib. VI. Primæ philoſophiæ, text. II. uidetur his uerbis oſtendere Ariſtoteles,

» *Cum autem & naturalis ſcientia circa genus quippiam eius quod*
» *eſt, uerſetur, circa namq; ſubſtantiam talem uerſari uidetur, in qua*
» *principium ipſum motionis ineſt, atq; quietis, patet, neq; actiuam, ne-*
» *que effectricem ipſam ſcientiam eſſe.*

Cum appellet igitur Ariſtoteles effectricem ſcientiam, qui effectiuus eſt habitus, artem ipſam ſcientiam uocat. Quæ quidem uerba (ut eorum etiam, quos iſti ſequuntur, auctoritate opinio noſtra confirmetur) exponens Alexander,

» Sed illud eſt, inquit, intelligendum, artes hoc in loco ſcientias cõ-
» muniori uocabulo nuncupare.

In Antepraedicamentis etiam tradit Ariſtoteles, ſcientiã de Grammatica, tanquam de ſubiecto dici. Hanc igitur ob cauſam in noſtro libro ipſi Logicam artem diximus. etenim propriè non eſt ſcientia, quippe quæ manifeſtò docet operari. Concedimus ergo, omnes artes communiori uocabulo dici ſcientias, ac ita quidem Logicam appellari poſſe ſcientiam: negamus tamen hoc contra nos quicq; facere, qui propriè locuti ſumus.

Sin autem illud doctiſsimus præceptor meus ſentiat, artes appellari ſcientias propriè, huic opinioni repugnat Ariſtoteles, cum multis aliis in locis, tum uerò maximè VI. Ethicor. lib. cap. IIII. Ibi enim diuidit habitus intellectus, quibus uerũ cognoſcimus, tradítq;, eos eſſe quinq; numero:

» *Hi aũt, inquit, ſunt ars, ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus.*

Quòd ſi diſtinguuntur (ut apertè oſtendit Ariſtoteles) fieri non poteſt, ut unus habitus ſit propriè alter. Item libro primo Primæ philoſophiæ, textu ſeptimo:

» *Dictum eſt igitur in Morum libris, quid intereſt inter artem at-*
» *que ſcientiam, cæterosq; ſimilis generis habitus.*

Sed nos pluribus de hac re in extrema nona libelli noſtri Sectione egimus, oſtendimusq;, concluſiones quæ ſunt in artibus, ut concludunt per eas, quibus utuntur artes ipſe, rationes, referri ad opus, atq; ita nullo modo propriè quidẽ appellari poſſe ſcientias. Ad eam uerò, quam ſubdit præceptor meus doctiſsimus, rationem,

» Ita propterea eſſe, quia utuntur demonſtratione propter quid:

Reſpondemus id quod prius aduertit Auerroës, huiuſcemodi demonſtrationem non eſſe ſimpliciter atq; abſolutè demonſtrationẽ, ſed communiori uocabulo dici demonſtrationem, quia conſideratur huiuſmodi ratio & cauſa, quæ propter quid explicat, ut ſcientes agamus, non ut ſciamus duntaxat. Ita quamuis rationes ſint, quæ explicent propter quid, tamen nõ ſunt ſimpliciter demonſtrationes, ex quibus ſcilicet comparatur ſcientia: itaq; nihil contra nos facere, ſatis oſtenſum eſſe arbitramur.

Quod

Quod autem subiungit,

Quia ars recta est ratio factibilium, est autem factio hominis opera- "
tio in materiam extraneam: audiat uir iste excellentissimus Ioan- "
nem Gandauensem, qui in sexto Primæ philosophiæ libro ita scri-
ptum reliquit:

Logica est bene realis scientia, quia considerat rem ueram, et syllo "
gismum ordinatum in modo & figura extra intellectum. unde sunt "
entia uerè realia, licet dependeant ab anima in productione. unde e- "
tiam non inuenitur ab aliquo, nec ab Aristotele, nec ab Auerroë, diui "
sio scientiæ per realem, & per rationalem. "

His uerbis tollit Ioannes difficultatem. quod enim ars recta sit ratio factibilium, factio autem sit operatio hominis in materia extranea, nihil hoc obstat, quo minus Logica sit ars, quippe quæ ex illius sententia docet operari circa syllogismum extra intellectũ, quæ quidem est materia extranea. Sed utcunque sit, illud respondere licet, nos Logicam eo modo appellare artem, quomodo ipse præceptor meus eam uocat scientiam, atque (ut ipse ait) non esse scientiam, quę de ueris rebus agat, re uera tamen erit semper magis ars, quàm scientia, ut suprà demonstrauimus. Neque in eam ipsi opinionẽ discedimus, ut existimemus, orationem, quatenus oratio est, ignotum aliquid explicare: sed orationem, quatenus est cognoscendi modus, qui complectitur & definitionem, & omnes syllogismi species. Diuisionem autẽ, ac cætera quæ uidentur cognoscendi instrumenta, uel ad hæc ipsa redigi posse arbitramur, ut octauo huius Apologiæ libro declarabitur, uel nõ esse instrumenta: idque non sine ratione, nisi mea me fallit opinio. Nam cum omnia quæ sciuntur, generatim, sint omnino quatuor, atque hæc ipsa quatuor sciantur per definitionẽ, & per species syllogismi: quid est enim definitione percipitur, cętera speciebus syllogismi: non possunt esse plura cognoscendi instrumenta, essent enim superuacanea. siquidem unius rei, quatenus una est, non potest esse nisi una scientia, ut ex II. Poster. libro constat.

Quæ quidẽ omnia etsi satis perspicua esse arbitramur, tamen quo magis illud intelligatur, diuisionem non posse ipsam per se obscurũ aliquid declarare (quod tamen uidetur excellentissimus præceptor meus asserere) uerba illa Aristotelis I. Posteriorum lib. recitabimus.

Quoniam autem diuisio per genera parua quædam particula di- "
ctæ methodi facile est uidere, est enim diuisio infirmus syllogismus: "
nam quod oportet quidem ostendere, patet, "

Et cætera, quæ sequuntur. Item II. Posteriorum lib.

At uerò neque per diuisionem uia est syllogizare, sicut in resolu "
tione circa figuras dictũ est, nunquam enim necesse est rem illam esse, "
cum hæc sint, "

Et cum eodem libro alia multa dixisset, hæc addidit:

Sed diuisiones, quæ sunt secundùm differentias, utiles sunt in his, ut "
sic adeamus: sicut tamen demonstrant, dictum est in prioribus. "

Ex his igitur uerbis Ariſtotelis facilè quiſq; poteſt intelligere, diuiſionem non eſſe inſtrumentum, quo ignota cognoſcantur, cum petat ex Ariſtotelis ſententia id, quod eſt in principio, neque neceſſariò quicquam concludat, aut demonſtret. Sciendi autem modum non eſſe Logicæ ſubiectũ, ſatis oſtenſum eſſe arbitramur in exordio noſtri Commentarij. Quam uerò interpretationem affert præceptor meus, illius propoſitionis Ariſtotelis I I. Primæ philoſophiæ lib. ut hoc tueatur, Logicam eſſe ſcientiam, cum eo loco uideatur Ariſtoteles, ex ſentẽtia quoq; expoſitorum, eam modum ſciendi appellare, hæc ipſa interpretatio noſtræ uidetur mirũ in modũ fauere opinioni, qui eam artem nominauimus. quanquam licuit illud etiam nobis dicere, Logicam non eſſe artem quæ de ueris rebus agat, neq; tamen omnino non eſſe artem, ut fatetur ipſe, Ariſtotelem uerbis illis ſcientiam: quæ de ueris rebus ſit excluſiſſe, non tamen omnino: etſi ita etiã artis ſimilior erit, quàm ſcientiæ, ut quæ docet operari. Hoc autem à nobis dictum eſt in eam ſententiam, quatenus Logica non dicitur eſſe de rebus, propterea quod docet conſtituere inſtrumenta cognoſcendi. Quam item ſententiam ſecuti ſumus, ubi diximus, eam eſſe de ſola oratione: tamen re uera aſſerimus, eſſe de rebus communibus, quę ſunt affectus entis. Sed hoc loco quoquo modo dicatur, nihil refert. Auctoritas tamen illa uidetur oſtendere noſtram opinionem, quia ex eorum ſententia, modo ſciendi intelligit Ariſtoteles Logicam, cum dixit,

" *Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi:*

Separatq; ipſam à ſcientia, id quòd ipſi diximus.

Præterea cum inuenta ſit Logica non ſui, ſed alterius gratia (ut etiam ex ipſorum ſententia liquet, & ex I. Topicorum lib. ubi diuidit Ariſtoteles problemata, utq; à nobis oſtenſum eſt in Commẽtario, & hoc etiam libro oſtendetur) non poteſt eſſe ſcientia. Conſequentia probatur, tum ex primo Ethicorum libro, ubi docet Ariſtoteles, quid inter Fabrum & Geometram interſit, qui ambo rectum conſiderant: tum etiam ex I. Primæ philoſophiæ libro, tex. X V. Rectè igitur à nobis dictum eſt.

SECTIO II.

BVCCA. SEcundum placitum eſt, librum Prædicamentorum Ariſtotelis non eſſe Logices partem, ſed Metaphyſices, cui quoq; ſubalternatur. prima eius pars multipliciter oſtenditur, tamẽ quia in eo pertractantur propria ſubſtantię, qua ſubſtantia eſt, ſimiliter et cæterorũ Prædicamentorũ, uerbi gratia, quod in ſubiecto non ſit, quod cum una numero ſit, ſuſcipiat cõtraria, careat cõtrario, expers ſit ipſius magis ac minus, ſpecies ſit magis ſubſtantia quàm genus. quæ tota cõtemplatio proculdubio Metaphyſici eſt, cũ ſit prima entis diuiſio in ſubſtantiam & accidens, tũ eadem ſcientia ſpeculatur ens, & primas illius partes: tũ quia otioſæ eſſent cæteræ ſcientiæ, cum omniũ rerũ contemplatio decẽ prędicamentis

mentis

comprehensa sit: tum quia Prædicamenta sunt de rebus, Logica nō est de rebus cum. tum genus, species, necessarium, contingens, contrarietas, contradictio, de quibus in Prædicamētis est speculatio, entis sunt affectus, qua ens: transcendunt enim omne Prædicamētum, & in quolibet sunt Prædicamento, atq; ob hoc æqua dicuntur: tum quòd non egemus decem generum peritia, ante uerbi et nominis definitionem, sunt enim per se notæ hæ definitiones ex communi consensu. Non igitur debet præcedere librum Perihermenias, neq; per consequens inter libros Logices Aristotelis annumerari, quia ex omnium consensu, si secundus liber annumeretur inter eos, primum locum sibi uendicabit. Hac ratione opinatur, librum Porphyrij Isagogicum minimè libro Prædicamentorum anteponendum, uerùm ei parti Logices distribuendum, quæ de partibus definitionis agit, cuiusmodi fuerit liber Posteriorum resolutionum.

Secunda pars eiusdem placiti demonstratur eo, quòd VII. Metaphys. de prędicamentis agit Aristoteles, quæ res sunt: in V. uerò multiplicitatem illorum nominum aperiat, tamen quod cōtemplatio horum omnium apud Logicum ad opus referatur. primo enim Priorum dicendum, quomodo fiat syllogismus: & II. Posteriorum, quo modo fiat demonstratio. omne autem quod ad alterū dicitur, prius natura est aliquid, à se igitur: & prius in se ipso comprehenditur, nulla autem uidetur alia arte, quàm diuina. Ita enim descēdit Metaphys. facultas in Logicam, cum tamen minimè liceat descendere de genere in genus, nisi alterum sub alterum fuerit. Attamē primò occurrimus cum cæteris expositoribus Aristotelis. cum enim Logices usus sit ad dirigendas intellectus nostri operationes, quæ genere tres sunt, simplicium intelligentia, compositio ac diuisio, & argumentum, prima non nisi Prædicamentorū doctrina dirigi potest, qua singula in proprio genere ordinamus eo modo, quo ordinari debent. Tum quòd Logica facultas tradit nobis omnem modum, quod ignotum notum fiat. Ignotum autem cum duplex sit, incomplexum, & complexum, secundum argumento innotescit: primum uerò partim definitione, qua demonstratur rei essentia, partim diuisione, qua eiusdem partes explicantur. uerbi gratia, species respectu generis, definitio autem quæ ex genere & propria rei differentia constat, & diuisio generis per proprias differentias in sui species, quomodo sciri poterit, ignorata coordinatione prædicamenti? ita enim Aristoteles inuestigaturus animę definitionem, quærit primò generalissimū genus, quo comprehendatur. mox eo inuēto, ipsum diuidit per differentias omnes, ut quæ propriæ sint rei definiendæ, recipiantur, & alienæ reijciantur. Cum igitur omnes artes utantur definitione, & diuisione rei, quam contemplantur, necessariò supponitur cuiuis earum Prædicamentorum, & eorum proprietates, quibus discernat de singulari, in quo'nam genere reperiatur.

Hæc multas (quod pace tam docti, acutiq; uiri dixerim) mihi uidentur habere difficultates, quarum nonnullas omittendas esse duximus,

ximus, quòd eas ex noſtro libello commodè tolli poſſe arbitraremur. Illud tamen ſilentio non præteribimus, nuſquam nos dixiſſe, Prædicamenta ſubalternata eſſe Primæ philoſophiæ, ſed aſſeruiſſe illius eſſe partes. Quod uerò ex Interpretum ſententia ſubiungit clariſſ. doctor meus, id ego falſum eſſe arbitror, ſi ita ſentiat, ut ſentire quidem uidetur, quod dicunt iſti de tribus illis operationibus, hoc eſſe aliud ab eo, quod ipſi in noſtro libello diximus, Logicæ ſcilicet finem eſſe, tradere rationem conſtituendi modum cognoſcendi: propterea quòd numero quatuor ſunt, quæ quæruntur, totidem item, quæ ſciuntur. Qui quidem cognoſcendi modus comprehendit definitiones, & omnes ſyllogiſmi ſpecies. cætera enim de quibus agitur in Logica, ut orationem, ſyllogiſmum, et reliqua id genus omnia, horum ipſorum cauſa pertractari, inferius oſtendemus.

Illud inquam falſum eſſe opinamur, cùm ob rationes, quas in prooemio Commentarij attulimus tum ex eis: quæ in uniuerſa Logica pertractantur, in qua nihil aliud docetur, niſi conſtitutio eorum inſtrumentorum quæ dicta ſunt.

Illud etiam,

» Doctrinam, quæ habetur ex libro Prædicamentorum, dirigere
» primam intellectus operationem: à ueritate alienum eſſe, ſatis nos oſtendiſſe arbitramur in noſtro libello, ac pręcipuè in undecima eius ſect. Probantur enim ibi proprietates ſubiecti, quod planè complexum eſſe, neminem latêre arbitror. Hoc tamen non obſtat, quò minus Prædicamenta uſui ſint definitionibus ſcientiarum particularium, quamuis ſint de complexis. uſui ſunt enim eo modo, quo dicemus inferius, demonſtrationem, quæ eſt de complexis, tradere cognitionem definitionum, quæ ſunt de incomplexis.

Adde etiam, quòd ſi ita eſſet, tamen nihil indigeremus in Logica illa intellectus directione. etenim in noſtro libello demonſtrauimus, Logicam non uti ſimplicibus ijs, quę dicuntur eſſe in Prædicamētis.

Præterea concedimus (id enim inſequitur) docere hæc, Definitionem fieri oportere ex genere & differentia, Diuiſionem eſſe generis in ſpecies, Demonſtrationem conſtitui ex ueris neceſſarijs, hoc eſſe Logicæ munus. Logicam enim tradere omnem modum, quo ignotum quid notum fiat, docendo ſcilicet illum conficere, ut in noſtro libello oſtenſum eſt. Demonſtrare uerò, & definire actu, hoc exiſtimamus pertinere ad eos artifices, qui eas pertractant res, quas demonſtrant & definiunt. Quamobrem illud inferri non licet, Logica docet definire, & demonſtrare, ergo conficit omnes definitiones, & omnes demonſtrationes. Nam præterquam quòd hoc falſum eſſe apparet, præterea ſuperuacaneæ eſſent cæteræ facultates. Atque ita quidem non ſequitur, ut neceſſe ſit cognita habere omnia ea, quæ neceſſaria ſunt ad omnes definitiones, & demonſtrationes conficiendas: ſiquidem non omnes Logica conficit, ut quæ ſunt in particularibus facultatibus. Poteſt igitur ſcire illas regulas, quas diximus, Definitionem ſcilicet conſtare ex genere,

nere, & differentia, demonstrationem ex ueris, primis, & reliquis, ignorata tamen coordinatione Prædicamentorum. Regulæ enim huiusmodi constitutæ sunt ex simplicibus ijs, quæ non sunt in Prædicamentis. Aliud est autem docere definire & demonstrare, aliud definire & demonstrare. Logica docet definire & demonstrare, reliquæ ad præscriptum definiunt & demonstrant: docet autem ipsa Logica ex transcendentibus illis terminis, ut probatum est in Commentario. Verùm quo melius ea quæ dicta sunt, percipiantur, illud non prætereundum esse statuimus, si ea quæ in aliqua facultate pertractantur, sint ex eis quæ subijciuntur alicui decem illorum generum, necessariò cognoscenda esse decem ipsa genera. Sin autem facultas aliqua pertractet ea, quæ genera omnia transcendant (quod quidem, uti probatum est, facit Logica) non uideo, quid opus sit tenere coordinationem decem illorum Prædicamentorum, ut sub quo genere comprehendatur aliquid eorum, quæ omnia ipsa genera transcendunt, intelligamus. Non enim si uelis unum aliquid eorum declarare, inuenies sub quo genere sit, ac diuides genus illud in proprias differentias.

Quòd uerò ait, Omnes artes uti definitione, & diuisione rei illius, " quam pertractant, itaque necessariò cuique arti Prædicamentorum " doctrinam supponi, eorumq; proprietates, quæ declarant, quo ge- " nere quidq; singulare contineatur: hoc (ut ego quidem arbitror) opinionem nostram confirmat. ostendit enim Prædicamenta esse de rebus, ac necessariò præcedere omnes artes, in quibus tractantur ea quæ sunt sub Prædicamentis, id quod ipsi planè asserimus. Non autem antecedere artem illam, quæ contemplatur ea quæ sunt supra decem ipsa genera, non infrà, qualem Logicen esse asseruimus. Quam quidem ob causam in nona parte nostri libelli ostendemus, doctrinam, quæ in libro Prædicamentorum traditur, antecedere oportere facultates particulares, quæ uersantur in ijs quæ uno aliquo illorum generum continentur. Atq; hanc nostram sententiam confirmauimus loco illo Aristotelis, libro de Anima, quem ipsum locum ad opinionem suam comprobandam attulit præceptor meus. Sed ex eis quæ dicta sunt, intelligi licet, utri opinioni locus ille magis faueat. aliorum enim sit iudicium. Satis autem nos esse duximus, illud ostendere, ea quæ definiuntur in Logica, non contineri aliquo decem generum: contrà uerò contineri, ea quæ tractantur in cæteris facultatibus. Ex quo quidem planè sequitur, ut facultates eæ quæ de rebus particularibus agunt, ut philosophia, & Mathematicę, indigeant cognitione illorum generum, Logica uerò minimè, id quod in disputatione positum est. Non enim intelligo, quid Aristoteli definienti enunciationem, propositionemq; esse orationem, in qua dicitur aliquid de aliquo: syllogismum esse orationem, ex qua sequitur aliquid necessariò: demonstrationem esse syllogismum facientem scire: quid inquam ipsi Aristoteli hæc definienti, afferat cognitio substantiæ, eiusq; proprietatum: quid item, ut

u 3 ostendat,

ostendat, enunciationem componi ex nomine, & ex uerbo, quia est oratio, in qua dicitur aliquid de aliquo. Syllogismum cōstare ex tribus terminis, & duabus propositionibus, quia est oratio, ex qua sequitur aliquid necessariò. Demonstrationem constitui ex ueris, primis, & reliquis, quia facit scire, opus sit scire ea quæ lib. Prædicamētorum traduntur, ut uerbi gratia, substantiam non esse in subiecto, non suscipere neque magis, neque minus, suscipere contraria, & cætera huiusmodi.

Præterea, si eum qui definiturus est animam, quæ quidem anima est res realis, oportet prius scire, num anima sit substantia, quod intelligitur ex ijs quæ docentur in lib. Prædicamentorum, dicendum sane uidetur, hunc ipsum librum agere de rebus, ac præcedere oportere omnes particulares facultates. non enim maior est ratio unius, quàm alterius. Quod quidem à nobis cum dictum esset, improbauit excellentiss. præceptor noster.

SECTIO III.

BVCCA. Etiam in annexo est ambiguitas, tum quia Porphyrius Isagogicum suum librum fatetur utilem esse ad prædicamentorum notitiam: tum quia, cum omnis eius doctrina de quinque uniuersalibus sit sumpta ex lib. Topicorum: tum quia nedum tradit notitiam generis & differentiæ, ex quibus constat definitio, sed et cæterorū quæ à definitione excludi debent.

ANTO. Concedimus, Porphyrij libellum non mediocrem afferre utilitatem ad Prędicamentorum cognitionem. negamus autem, illum esse collocandum initio Logicæ facultatis, sed suum esse locum arbitramur, quem ipsi duodecima parte libelli nostri diximus. Vbi quidem ostendimus, fieri non posse, ut ordine doctrinæ præcedat definitionem nominis & uerbi. Cum autem fateatur præceptor noster, huiusmodi doctrinam sumptam esse ex libro Topicorum, uidetur nostram confirmare opinionem. Non enim tradidisset Aristoteles eas definitiones in Top. quæ initio Logicæ facultatis tradendæ fuerant. Quocirca minimè probandum uidetur, tantum quidem philosophum primam omnium facultatem, quasi mancam, fœdeq; nimis, dempto capite, mutilatam nobis tradidisse. Neq; tamen ex ijs quæ diximus, quenquam existimare uolumus illud consequi, ut huiusmodi definitiones non tradendæ sint ea parte, ubi traduntur proprietates definitionis, quòd in Top. tradātur. nam in ipso lib. Top. traduntur & proprietates definitionis, & in lib. Posteriorum, licet modo diuerso. Innuit tamen Aristoteles 1. Posteriorum lib. illas esse necessarias, his uerbis:

" *Quòd autem substantia sit, ex his manifestum est. necesse enim, si*
" *non hoc sit, trinitati esse, ut genus aliquod esse, hoc autem nomina-*
" *tum, aut non nominatum. Erit igitur in plusquam trinitati inexi-*
" *stens. concedatur enim huiusmodi esse genus, quòd secundùm poten-*
" *tiam in plus.*

Et

Et paulo pòst ad probandum terminum per diuisionem, subdit:

Tria oportet coniecturari, accipientem prædicamēta in eo quod quid est, & hæc ordinare, quid primum, & quid secundum, & hæc omnia sunt. Est autem horum primum per id quod possumus, sicut ad accidens syllogizare, quoniam inest & per genus probare. " " " "

Et cætera, quæ sequuntur. Ex quibus quidem luce clarius apparet, has definitiones esse necessarias eo modo, quo à nobis dictum est. Sed cur eás Aristoteles non secundo Posteriorum lib. sed sexto Top. explicarit, alibi diligentius, quantum quidem per nos fieri poterit, ostendemus.

Neque item, quod Aristoteles non modò tradit notitiam generis & differentiæ, sed eorum etiam, quæ à definitione excluduntur, hoc nostram opinionem euertit. Nam primo Top. lib. cap. IIII. docuit, omnia hæc ad definitionem referri, his uerbis:

Non lateat autem nos, quoniam, quæ ad proprium, & ad genus, & ad accidens, dicta sunt, & ad definitiones conueniunt dici. " "

Et paulo pòst:

Quare secundùm prius assignatam rationem, omnia erunt quodāmodo definitiua, quæ annumerata sunt. " "

SECTIO IIII.

SEcundo dicto obstant multa, tum quòd pars scientiæ nō subalternatur suo toti, cum sint omnino eiusdem generis, & eorundem principiorum: tum quia necessario sciētia subalternata, ordine doctrinæ, sequitur subalternantem, alioqui non foret scientia. quia omnis demonstratio debet esse aut ex immediatis, aut ex his quæ ab immediatis fidem habent primo Poster. tum quia ibidem dicitur, quòd scientia subalternans dicit propter quid principiorum scientiæ subalternatæ, & subiectum esse sub subiecto adiecta accidentali differentia. sic autem Metaphys. non dicit causam principiorum ipsius Logicæ: sunt enim, inquit, definitiones nominis, & uerbi, & enunciationis, affirmationis & negationis, per se notæ, ex cōmuni usu loquentium receptæ sunt: tum secunda intentio, quæ subijcitur Logico, non comprehenditur sub ente reali, quod Metaphysico subijcitur: BVCCA.

Negamus, dixisse nos, Prædicamenta esse subalternata Primæ philosophię. diximus enim, illius esse partem, sine qua ipsa quasi māca, mutilataq; foret. Quòd uerò ad alia, quæ sequuntur, attinet, nempe scientiā subalternatam, ordine doctrinę, sequi subalternantemq;: satis responsum esse in quarta & quinta nostri Commentarij sectione arbitramur. nam ibi rationes, quibus nostram tueremur opinionem, attulimus. Neque illud etiam, quod subiungit ex primo Posteriorum lib. contra nos quicquam facere, satis ostendisse uidemur ijs, quæ diximus in IIII. nostri libelli sect. his uerbis: ANTO.

» Licet fortasse facultas omnis, quæ propter quid principiorum al-
» terius facultatis dicat, sibi hanc ipsam facultatem subditam faciat, at-
» que adeò (ut ita dicam) subalternet, si minus simpliciter & absolutè,
» at in ea certè parte, cuius dicit propter quid, ob Medicinam scilicet,
» & Geometriam: non tamen sequitur, ut omnis facultas, quæ sibi a-
» liam subalternet, declaret propter quid omnium principiorum illius
» facultatis. nam aliquando nullius, aliquando uerò aliquorum, & a-
» liquorum non.

Satis inquam uidemur his uerbis ostendisse, nihil contra nos facere illud Aristotelis 1. Poster. lib.

» *Alio modo differt, quia scire propter quid, quod est per aliam*
» *scientiam utrunque speculari. huiusmodi autem sunt, quæcunque sic se*
» *habent inuicem, ut alterum sub altero sit: ut speculatiua ad Geome-*
» *triam, & Machinatiua ad Stereometriam, & Harmonica ad A-*
» *rithmeticam, & apparentia ad Astrologiam.*

Horum enim uerborum Aristotelis eum arbitramur sensum esse, quem ostendimus. nam hoc solùm tradit, facultates eas quarum una explicat propter quid, altera quia, ita se habere inter se, ut una sit sub altera. Nusquam tamen apud eum legimus, facultatum, quarum una sit sub altera, alteram declarare semper propter quid omnium principiorum alterius. Quòd si alicubi uidetur hoc dicere Aristoteles, quod tamen non dicit ob eas rationes, quas ipsi in Commentario nostro attulimus, rectè interpretanda sunt illius uerba, quod idem multis alijs in locis necesse est facere. Neque illud etiam repugnari putandum est, quod eodem loco subdit Aristoteles his uerbis:

» *Hoc autem ipsum quia sensibilium est, sed propter Mathemati-*
» *cas, hi enim causarum demonstrationem habent, & multoties nesci-*
» *unt ipsum quia.*

Nam loquitur secundùm ea, quæ dixerat: dixerat autem, alio modo differre quia ab ipso propter quid in alia scientia, & connumerauerat Mathematicas facultates, quod ad ea attineret, quæ sibi ipsæ subalternarent. Quodq; hic aliquis dubitare potuit, an quia, & propter quid sciretur in Perspectiua, & in Geometria, itemq; utra declararet propter quid, utra quia: hanc ipse dubitationem tollit, ostendens Mathematicas, sub quibus sunt eæ quæ dicuntur sensibiles, explicare propter quid, ipsas autem sensibiles quia. Id tamen, quod à nobis dictum est, non explicatè scribit Aristoteles. neq; enim putandũ est, si quispiam dixerit, omnem hominem esse animal, hoc eum significare, omne animal esse hominem.

Quod uerò de illa accidentali differentia dicit, si aliter accipiat, atque pro respectu ad opus: hanc ipsam differentiam putamus ab Aristotelis sententia discrepare, quanquam etiam non propriè ita dicitur. respectus enim ad opus, est ipsius habitus forma substantialis.

Sed

Sed quo facilius hæc res perſpici poſſit, utamur exemplo Perſpectiuæ, quam fingamus pertractare lineam uiſualem. Hæc igitur linea uiſualis eſt materia compoſita, ex qua oritur perſpectiua: quæ quidem materia conſtat ex Geometria, & ex philoſophia naturali, atque ita totum hoc ſolum habetur pro materia. Forma uerò eſt reſpectus ad opus, finis enim (ut oſtenſum eſt in noſtro libello) eſt forma ſubſtantialis habituum, quæ forma affert unitatem illi materiæ, uti caro, oſſa, nerui, quæ inter ſe materia differunt, ſuam accipiunt unitatem à forma ſubſtantiali. ex illa ergò materia compoſita, & ex reſpectu ad opus, exiſtit ipſa Perſpectiua, quæ ſpecie differt à Geometria, & à philoſophia.

Quoniam id quod tractauit Geometria, & philoſophia in ſe, & abſolutè, ac ſcientiæ tantummodo cauſa, ipſa Perſpectiua tractat in ordine ad opus. Non enim poteſt pertractare ſimpliciter, & abſolutè, atque ipſius ſcientiæ tantummodo cauſa, propterea quòd hoc iam præſtitit Geometria, & philoſophia. Quare neceſſariò pertractat eadem in ordine ad opus. Conſiderans enim lineam uiſualem, conſiderat, uti doceat facere, ut ſic apparere, aut ſic. Atque hæc differentia eſt ſecundùm ſpeciem, & formam. Neque hoc ſanè mirum uideri debet, cum multis in locis, quorum nonnullos in noſtro libello recitauimus, hoc apertè tradiderit Ariſtoteles: idemq; etiam ex eo intelligi poſſit, quòd Socrates, quatenus homo eſt, ſpecie differt à ſeipſo, cum conſideratur, ut eſt pater. collocatur enim in Prædicamento ad aliquid: quod cum differat genere à ſubſtantia, differt etiam ſpecie. Vna igitur, atque eadem res conſiderata, ſic differre poteſt ſpecie à ſe ipſa, quatenus abſolutè conſideratur. Ac tametſi ipſa Perſpectiua lineam petat à Geometria, uiſualitatem (ut ita dicam) à philoſophia, tamen dicitur magis Geometrica, quàm naturalis, quòd affert cauſas ſuarum concluſionum magis ex parte Geometrica, quàm ex naturali. Etenim quamuis utraque præ ipſa Perſpectiua ſint materia, tamen linea magis ſubit uicem formæ, uiſualitas materiæ. Ex illa materia ergo, & ex reſpectu ad opus, tanquam ex forma ſubſtantiali, fit unum per ſe, quod quidem eſt Perſpectiua. Atque ita apparet, ſubiectum Perſpectiuæ non eſſe aggregatum per accidens, ut multi opinantur, neque item fieri ſubalternationem, addita accidentali differentia, ut ait Præceptor meus. Propterea quòd ex materia, & ex forma fit unum per ſe, ita tamen accipiendo differentiam accidentalem, ut aliud (quemadmodum diximus) notet, ac uidentur ſentire Interpretes. Quod autem de Perſpectiua dicimus, eam ſcilicet fieri ſubalternatam Geometriæ, ob reſpectum ad opus, hoc idem aſſerimus de omnibus cæteris facultatibus, quæ alijs ad hunc modum ſubijciantur. omnes enim (ut ſuperiore libro oſtendimus) ſubalternantur ad hunc modum. Quæ enim huiuſmodi facultates ſubalternatæ pertractant, hæc ipſa cum prius pertractauerint prin-

cipales

cipales facultates: necesse est, tractari in ordine ad opus. Aliter enim subalternata facultas non distingueretur à principali secundùm formam, quippe quæ & easdem res tractaret, & eodem modo. Interest autem inter huiusmodi facultates, quæ quidem sunt sub alijs, quarũ omnium forma est finis. nam aliæ accipiunt suam materiam ab una omnino facultate, ut Medicina & facultas moralis à philosophia: aliæ uerò à duabus facultatibus, ut Perspectiua, Musica, & Astronomia, & Mechanicæ.

Neque repugnant uerba illa Aristotelis primo Posteriorum libro, cap. duodecimo:

» *Habent autem se & ad Perspectiuam, sicut hæc ad Geometriã, alia ad istam, ut est id quod est deinde. ipsum enim, quia Physici est scire, sed propter quid Perspectiuæ, aut simpliciter, aut secundùm doctrinam.*

Hæc inquam Aristotelis uerba, non repugnant eis quæ diximus, omnem uidelicet scientiam subalternatam, huiusmodi fieri per respectũ ad opus, quòd philosophia ex ea parte, qua subalternata est Perspectiuæ, nullum habet ordinem ad opus, quam tamen Aristoteles uidetur dicere esse subalternatam. Nam ipsi loquimur de scientia, quæ tota est subalternata: & uerè secundùm naturam, quæ quidem omnia sua principia à subalternante mutuatur. quibus proprietatibus caret omnino philosophia naturalis, quòd ad ipsam Perspectiuã attinet, quippe quæ subalternat̃ Perspectiuæ ex ea modò parte, quæ est de iride, quæ quidem est minima pars. Ac licet Aristoteles dixerit, scientiam de iride esse sub Perspectiua, perinde atq; est perspectiua sub Geometria: tamen noluisse dicere, ipsam philosophiam esse sub Perspectiua, itemq; partem illam de iride non esse uerè sub perspectiua, quemadmodũ perspectiua est sub Geometria, nisi quatenus per spectiua explicat propter quid iridis, ostẽdit his uerbis, quæ subdit:

» *Multæ autem, et non sibi inuicem scientiarum, habent se sic, ut ad Geometriam Medicina. quòd enim uulnera circularia tardius sanẽtur, Medici est scire: propter quid autem, Geometræ.*

Non enim sentit, Medicinam esse sub Geometria, quæ tamen eandem habet similitudinem cum Geometria, quam philosophia cum Perspectiua.

Illud autem absurdum uideri potest, facultatem eam quæ subijcitur alteri, declarare propter quid alicuius rei, quæ sit in facultate priori secundùm naturam: cuiusmodi est philosophia naturalis, quæ nõ solùm est prior Perspectiua, quæ subijcitur Geometriæ, quæq; accipit partem suæ materiæ ab ipsa philosophia naturali, sed etiam ipsa Geometria. Diuina enim philosophia natura omnium est prima, quam subsequitur philosophia naturalis: est enim de substantia. tertium locum obtinet Mathematica scientia, quæ agit de quantitate. Naturalis autem philosophia, quatenus prior est, omnia habet quæ

ad ipsam pertinent, atque ita nihil uidetur indigere posteriori. Quòd si dicatur, hoc ab Aristotele uideri dici, non quod ad priorem scientiam, & per se attinet, sed quòd ad nos, & per accidens, atque ita huiusmodi non erit uera subalternatio. In facultatibus enim subalternatis, sæpenumero ob aliquam oblatam occasionem, pluribus agitur de eis, quæ ad subalternantes pertinent, quàm in ipsis subalternantibus: ut de affectibus animi constat, qui pertinent ad naturalem Philosophiam, tamen de illis in Ethica facultate, quæ est sub philosophia, & in Rhetorica copiosius disputatur, quàm in ipsa philosophia. Ita nonnunquam quod ad illud attinet, quod tractatur, superiores scientiæ sese reijciunt ad inferiores, ut duodecimo Metaphysicorum libro sese reijcit Aristoteles ad Astrologos. Item primo libro, de differentia artis & scientiæ, ad librum Ethicorum. hoc enim est ratione nostri, non ratione scientiæ superioris. Quibus omnibus cognitis, perspicuum est, nihil obstare, quo minus uerum sit, quod à nobis dictum est, omnes uidelicet facultates subalternatas, ita fieri ratione ad opus. Quòd si Aristoteles appellat eas nomine scientiæ, communiori uocabulo, atque impropriè id eum facere, satis ostendimus. Constat igitur, non illas subalternari, quòd addatur accidentalis differentia, quæ sit alia à respectu ad opus. Atque ita perspicuum est, nihil prohibere, quo minus Logica hoc modo subijciatur Primæ philosophiæ.

SECTIO V.

Respondes, secundas intentiones minimè fore entia rationis, & Logicam hoc modo esse de secundis intentionibus, cum neque his nominibus utatur Aristoteles, neque huiusmodi res sint. Sed quæ subijciuntur Logico, sunt affectus entis, qua ens est: & subijciuntur Logico, quatenus arte constant, genus, & species, cum sint uniuersalia, simplices fore rationalis animæ passiones, similitudines uidelicet rerum singularium, productas ab ipsa conuenientia, quam inter se habent, si genere genus, si specie species elicitur, quæ est rei similitudo, quæ non potest abstrahi ab intellectu, nisi illa conuenientia cognita, & hoc modo uniuersalia inductione colligi. Alioquin si forent relationes rationis, sicut communiter expositores dicunt, simul nota forent genus & species, cum tamen prius tempore genus quàm species generetur (tertio libro de Generatione animalium) & ex consequenti etiam prius intelligatur. Aliter enim, cum secundæ intentiones sint relationes obiecti cogniti, comparati alteri obiecto cognito, essent in secunda operatione intellectus. BVCCA.

Sed & hæc multis ambiguitatibus sunt referta, tum quia si genus & species sunt affectus entis, qua ens est, quomodo sunt operationes nostri intellectus, cum ens, qua ens, præscindat à substantia, &

& ab accidẽte, & à ratione generis & speciei, tum quia aut omne ens esset genus aut species: aut ens simpliciter pręscindens à substantia, & ab accidente, haberet rationem generis, aut speciei: quæ absurda sunt. Aut enim reduplicatiuè sumitur ea uox inquantum, & sic uniuersalem infert: aut specificat rationem entis, & sic sequitur secundũ. Tum quia conuenientia, cum sit relatio, caret propria ui agendi, neque habet simulachrum proprium apud intellectũ: ex quo non per se sentitur, sed per accidens extremorum sensu comprehenditur. Tũ quia comparatio obiecti cogniti ad obiectum cognitum, est in prima operatione intellectus, non autem in secunda.

Tum quia si intellectus prius apprehendit huiusmodi singulariũ conuenientiam, quàm uniuersalia ipsa eliciat, & si fuerit conuenientia in genere, eliciatur generis similitudo, si speciei, species, prius erit ratio generis, q̃ sit similiter & speciei, quod claudit contradictionẽ.

Tum quia similitudines simplices animæ rationalis, quæ rerum naturalium sunt simulachra sunt opera intellectus agentis, concurrẽte cum eo ipsius rei simulachro in phantasia, sine aliqua cognitione singularium plurium. Quòd si ab intellectu potentiæ fiant, non nisi collatione obiecti cogniti ad obiectum cognitum, quod negabas.

Tum quia uniuersale, quod colligitur inductione, est complexũ, uniuersalis propositio, non autem simplex rei simulachrum.

Tum quia necessariò simul comprehenditur genus & species, cum sint correlatiua ex Porphyr. Aristoteles autem tertio libro de Generatione loquitur de indiuiduo generis, ut speciei. quorum est per se generatio, sumptis genere & specie pro prima intentione, non pro secunda, sicut etiam IIII. Metaphysicæ loquitur his, ut sunt intentiones primæ.

ANTO. Etsi multa proferre possumus, quæ falsò nobis ascribuntur, tamẽ ne longiores simus, his omissis, ad ea quæ contra nos afferuntur, ueniemus. Primùm igitur asserimus, genus & speciem, & cætera huiusmodi esse affectiones entis, quatenus ens est, quam rem ex uerbis Aristotelis nos ostendisse, in VII. libelli nostri sectione existimamus, ut in extrema etiam hac parte ostendemus.

Sed quid, Dij boni, proferri potest, quod nobiscum magis faciat, idq; apertius, quàm uerba illa Aristotelis quarto Primæ philosophiæ libro?

» *Posthæc autem dicendum esse uidetur, utrum unius, an diuersarũ*
» *scientiarum, sit de his principijs, quæ in Mathematicis appellantur,*
» *ac de substantijs contemplari. Patet itaq; non ad diuersas, sed ad unã*
» *harum etiam considerationem, & ad philosophi scientiam pertinere.*
» *Vniuersis enim quæ sunt, sed non generi cuiquam seorsum à cæteris*
» *accommodantur. Atq; utũtur quidem his omnes ex eo, quia sunt eius*
» *quod est, qua ratione est ens: eousque tamen utuntur, quousq; satis est*
» *ipsis, id est quoad occupat, quo de afferunt demonstrationes. Quare*
» *cum pateat, hæc ipsis, ut entia sunt, uniuersis competere, hoc est enim*

ipsis commune, horum quoque contemplatio eius profectò erit, qui id "
quod est ea ratione, qua est ens, contemplatur. Quocirca nemo eo- "
rum quæ partes considerant, de his ipsis quicquam dicere aggredi- "
tur, si sint uera, nec ne. "

Ex his igitur patet, genus, speciem, necessariũ, cõtingens, cæteraq́; id genus, quòd uniuersis quæ sunt, non uni alicui generi separatim cõueniunt, esse affectus entis, quatenus ens est, & ad primum philosophum pertinere. aliter enim non probaret Aristoteles id quod de principijs illis probare conatus est, ea scilicet pertinere ad primum philosophum, quia sunt affectus entis, quatenus ens est: esse autem affectus entis, quatenus ens est, quòd uniuersis quæ sunt, non uni alicui generi separatim conueniant.

Quod uerò quærit, si sunt affectus entis, quatenus ens est, quomodo sint operationes nostri intellectus? non uideo quid hoc prohibeat, cum & ipsum ens sit operatio nostri intellectus. est enim uniuersale: uniuersalia autem non sunt in natura, nam essent posteriora singularibus. Aristoteles enim primo de Anima, textu octauo:

Animal autem, inquit, uniuersale, aut nihil est, aut posterius, si- "
militer autem & si quid aliud commune prædicetur. "

Quod autem subdit:

Cum ens, qua ens, præscindat à substantia, & ab accidente, & à "
ratione generis & speciei, "

Quasi uelit rationem afferre, cur non posint esse operationes nostri intellectus, si sunt affectus entis, quatenus ens est: concedimus, ens, ut ens, præscindere à substantia, & ab accidente. habet enim suã naturam, & suas proprietates, quatenus ens: non tamen (ut ostensum est) sequitur id, quod ipse ait. Negamus autem (sicuti ostendetur) ipsum ens, ut tale est, præscindere (sic enim ipse loquit̃) à ratione generis & speciei. Quod ad aliam rationem attinet, qua conatur probare, genus & speciem non esse affectus entis, quatenus ens est, quia aut omne ens esset genus, uel species: aut ens simpliciter præscindens à substantia, & ab accidente, haberet rationem generis, uel speciei, quæ absurda existimat: cõcedimus, omne ens esse uel genus, uel speciem, atq́; ens præscindens à substantia, & ab accidente, hoc est ens, quatenus ens, habere rationem generis, uel speciei. Quæ quidem (iudicio nostro) tantùm abest ut absurda sint, ut sint etiam maximè necessaria, quia non illud dicimus, omne ens esse genus, omne ens esse speciẽ, sed omne ens esse uel genus, uel speciem, uel propriũ, uel accidens, & huiusmodi. Quorum alterum colligi posse arbitramur ex eis quæ scripta sunt apud Aristotelem 1. Ethic. lib. cum ait:

Bonũ tot modis dici, quot ens, & in eo quod quid, ut Deus, & mẽs, "
& in quali uirtutes, & in quanto mensuratum, & ad aliquid utile. "

Nam ut dicimus, ens esse bonum, quia bonum reperitur in unoquoq́; entis prædicamento: ita dicimus, ens esse genus, quia genus

 dicitur

dicitur totidem modis, quot ens. reperitur enim in unoquoq; entis prædicamento. Id quod perspicuum esse potest ex uerbis Aristotelis primo Topicorum libro,

» *Semper enim accidens, inquit, & genus, & proprium, & definitio in unoquoque Prædicamentorum erit. Nam omnes propositiones ab his, aut quod est, aut quale, aut quantum, aut aliorum aliquod Prædicamentorum significant, & quod dicitur de genere, ita dicatur de specie, & de alijs.*

Vt igitur uerè dicitur, ens esse bonũ, sic item uerè dicitur, ens esse genus. id ergo non absurdum est, sicuti opinatur præceptor meus.

Alterum etiam uidetur ex eo intelligi posse, quòd sunt affectus entis, quatenus ens est, ut ostendimus, quia non sunt propria alicuius prædicamenti. atque hi ipsi affectus, quemadmodum dicuntur de ente simpliciter, sic etiam proferuntur cum disiunctione. Nam ut uerum est dicere, ens esse genus, quia in quolibet prædicamento est aliquod genus: ita erit uerum dicere, ens esse uel genus, uel speciem, uel proprium, uel accidens, quod in quolibet prædicamento est aliquid horum. Neque uerò absurdum est, quod huiusmodi ita prædicentur. etenim id Aristoteles primo Posteriorum libro ostendit his uerbis:

» *Quæ igitur sub scientiam simpliciter cadunt, per se dicuntur, uel eo pacto, ut sint in prædicatis subiecta: uel & rursus, ut ipsa sint in subiectis ea ab ipsa, & necessaria sunt. Nam fieri non potest, ut non competant, aut simpliciter, aut opposita, ueluti lineæ, rectum, aut obliquum, & numero par, aut impar.*

Omne igitur ens, quatenus ens, est genus, est species, est proprium, est accidens. Itemq; omne ens, quatenus ens, est uel genus, uel species, uel proprium, uel accidens, uel definitio. Quemadmodum etiam omne ens, quatenus ens, eadem ratione dicitur unum multo diuersum, simile, dissimile, prius, posterius, necessarium, cõtingens, totum, pars. Hæc enim proculdubio sunt affectiones entis, sicuti cõstat multis Aristotelis locis, ut tertio Primæ philosophiæ libro, ut septimo, ut quarto, ut nono, ubi ait:

» *Quare quot sunt unius, tot & eius quod est, species sunt, de quibus quam sit contemplari ad eandem genere scientiam spectat, ut de eodem ac simili, & cæteris talibus. ferè autem omnia contraria ad hoc principium reducuntur.*

Item in eodem libro, textu duodecimo:

» *Quæ cum ita sint, & uni pluralitas opponatur, fit, ut eorum cognitio, quæ sunt opposita dictis, ad scientiam dictam attineat, Diuersi inquam, dissimilis, inæqualis, & si quæ sunt alia, quæ aut ad idẽ, aut ad pluralitatem accommodantur.*

Si ergo concedunt, hæc esse entis affectiones, eodem autem modo de

do de ente prædicantur ea quæ ſuprà diximus, quo modo nemo nõ fatebitur hæc ipſa prædicari, non minus illa quàm hæc, concedendum uidetur, eſſe affectiones entis.

Neq; uerò quenq; uelim in eam opinionẽ diſcedere, ut exiſtimet, hæc quæ ſuprà diximus, nõ conuenire enti, quatenus ens eſt, quod ens, ut ens, abſtrahit à ſubſtantia, & ab accidente. etenim apertè Ariſtoteles oſtendit libro quarto Primæ philoſophiæ, loco ſuperius citato, huiuſmodi conuenire decem generibus, ut entia ſunt, quia conueniunt uniuerſis, non uni alicui ſeparatim: quod ſanè declarat, illa conuenire etiam ipſi enti. Hoc idem quoq; uidetur probare primo Poſteriorum libro, his uerbis:

Et proportionale, quod commutabiliter eſt, ſecundùm quod numeri ſunt, & ſecundùm quod lineæ, & ſecundùm quod firma, & ſecundùm quod tempora ſunt, quemadmodum & demonſtratum eſt aliquando ſeorſum ſic, contingens eſt de omnibus una demonſtratione monſtrari: ſed propter quid inde nominatum eſt aliquid, ſecundùm quod hæc omnia unum ſunt, ut longitudines, firma, tempora, & ſpecie differentia, ſeorſum ab inuicem accepta ſunt, ſed tamen uniuerſale monſtratur. non enim ſecundùm quod lineæ ſunt, aut ſecundùm quod numeri inerant, ſed ſecundùm hoc eſt, quod uniuerſale poterit eſſe.

Ergo etiam huiuſmodi affectus, quia non cõueniunt uni alicui iſtorum generum ſeparatim, ſed omnibus, non poſſunt eſſe affectus illorum, ſed neceſſariò ſunt affectus communis illius, quod omnia illa comprehendit: cuius ſcilicet unius ratione dicuntur ineſſe ipſis generibus. Sed cum hoc non poſsit eſſe aliud præter ens, quia ratione entis modo dicuntur unum, ſunt affectus ipſius entis, quatenus ens eſt, quo item primo poſito ipſa ponuntur, ac rurſus ſublato tolluntur. Ac quanq; ens, ut ens, dicitur abſtrahi à decem illis generibus, tamen non abſurdum exiſtimandum eſt, ipſum dici genus, uel ſpeciem, quod in quolibet genere hæc ipſa reperiantur. nam hęc eſt cognitio à ſigno. etenim parem & imparem dicimus eſſe numeri proprietatem, quod dualitas & trinitas ſunt huiuſmodi: tamen dicimus paritatem & imparitatem eſſe affectus numeri, quatenus numerus eſt, ut oſtendit Ariſtoteles primo Poſteriorum libro, & quarto Primæ philoſophiæ, textu decimo nono, ubi ait,

Nam & numeri, ut numerus eſt, proprij ſunt affectus, ueluti paritas, & imparitas.

Neque illud etiam uidetur contra nos facere, ſi dixerimus, ens, ut prædicatur de decem generibus, habere rationem generis, non uniuoci, ſed æquiuoci ad unum, ut quarto Primæ philoſophiæ libro, textu ſexto docet Ariſtoteles, his uerbis:

Quapropter & eius quod eſt, ut eſt ens, quæcunq; ſunt ſpecies, unius eſt ſcientiæ genere, & ſpecierum ſpecies contemplari.

Si enim entis sunt species, ens est genus, sed eo quidē modo, quo modo dixit eodem libro, textu secundo, & textu nono:

» *Quare, inquit, quot sunt unius, tot & eius quod est, species sunt.*

Quorum uerborum sensum ne uideamur ipsi extorquere, proferendum putamus, quid hoc loco sentiat optimus Græcorum interpres Alexander.

» Species autem, inquit, unius & entis, latè sumpto uocabulo
» generis ponit. nam neque ens, neque unum propriè genus est, nec
» species quæ ipsis subijciuntur. commune enim quod multipliciter
» dicitur, non est genus: huiusmodi enim sunt ens, & unum. quod e-
» nim de his prædicatur, in quibus est prius & posterius, id quodam-
» modo genus est, quia cum genere quandam obtinet similitudinem,
» non tamen propriè genus est.

Non ergo recedimus in hac re ab eorum interpretum, quos ipsi sequuntur, expositione. Quare ea quæ uidentur doctissimo atq; ingeniosissimo præceptori nostro absurda, tantum quidem abest ut absurda sint, ut sint etiam maximè necessaria. Nam opinamur nos eo modo genus & speciem, totum & partem de ente prædicari, quomodo cogitur ipse concedere, affectus aliquos entis prædicari de ipso ente, quatenus ens est, quoquo modo sint illius affectus. etenim quemadmodum hi ipsi affectus prædicantur de ente, quatenus ens est, hoc est ut abstrahit à decem generibus, aliter enim non esset ens, quatenus ens: ita licet dicere de genere & specie, cæterisq; huiusmodi. Quòd si putat ipse, non esse proprios affectus entis, quatenus ens est, legendus est Aristoteles quarto Primæ philosophiæ libro, loco superius citato, cuius hæc sunt uerba:

» *Nam ut & numeri, qua numerus est, proprij sunt affectus, ue-*
» *luti paritas, imparitas, commensuratio, æqualitas, excessus, defe-*
» *ctus, atque hæc & per se, & inter numeris competunt, & solido*
» *similiter, & mobili ac immobili, & experti atque participi ponderis, sunt affectus alij proprij: sic & ei quod est, ut ens est, sunt*
» *propria quædam, atque hæc sunt ea de quibus philosophi ueritatem*
» *considerare.*

Sed quo facilius dissolutio eorum quæ subiunxit uir iste doctissimus, percipi possit, exponendum uidetur, quid nobis uoluerimus, cum diximus, passiones intellectiuas esse similitudines plurium singularium, eductas ab ipsa conuenientia, quam inter se habent singularia. Noluimus igitur hoc significare, eas proficisci ab illa conuenientia, sed ex singularibus, non quatenus singularia & distincta sunt, sed quatenus inter se consentiunt. Nihil denique aliud (ut ostensum est in nostro libello) diximus, nisi quod Ioannes Gandauensis in libro nono Primæ philosophiæ, textu undecimo, ita scriptum reliquit,

» Vniuersalia causari ex quiditate, in qua conueniunt inferiora.

Ac ita quidem mihi uidetur dissolutum esse argumentum illud, quo

quo præceptor noster conatur ostendere conuenientiam, neque esse relationem, nec habere propriam speciem. Etenim non ita sentimus nós, uniuersalia existere ab illa conuenientia, sed ab eis, in quibus inter se congruunt singularia.

Hoc item confirmari posse uidetur his quæ ita scripsit Aristoteles primo Topic. lib. cap. XXV.

Ad inductiuas autem rationes, eo quod circa singula in similibus inductione uniuersale existimamus inducere. non enim facile est inducere ignorantibus similia. "

Id enim ipsi significare uoluimus, quod uidetur Aristoteles his uerbis ostendere.

Idem etiam satis apertè docet Aristoteles primo Posteriorum libro, capite decimo octauo, cum ait,

Quoniam quidem uidere separatim in unoquoque, intelligere autem simul est, quoniam in omnibus sic est. Hoc autem intelligi non potest, nisi uidendo in unoquoq; scilicet singularium aliquid, in quo sunt similia, ut uidendo hoc uitrum esse perforatum, et illud, iudicamus ita esse in omnibus: aliter enim hoc fieri non posset. "

Sed quoquo modo res se habeat, illud nobis hoc loco satis est, tales similitudines existere à pluribus. ex eo enim sequitur, ut simulatque existant, eodem temporis momẽto plura singularia referant: ex quo quidem constat, uera esse ea quæ à nobis dicta sunt. Multa præterea possent afferri, quod cum substantia non uideatur per se sentiri, tamẽ concedunt eam habere propriam speciem in intellectu. Sed nihil ad nos in præsenti.

Quod uerò subiungit præceptor meus, quem quidem semper honoris causa nomino,

Comparationem obiecti cogniti ad obiectum cognitum eo modo, quo hic loquimur, esse in prima operatione intellectus: "

Non uidetur carere difficultate, siquidem intellectus prima operatione percipit hominem tantùm, antequam ipsum cõparet: quòd si ipsum postmodum comparat cum animali, in eadem re alia operatione operatur. diuerso enim temporis momento operatur. At hæc neq; est tertia operatio, neq; potest esse prima, quòd operatione tantummodo ipsum hominem perceperat: secunda est igitur. Idq; ex eo confirmatur, quod sentiunt isti, hominem comparari cum animali, itaq; secundam intentionem effici, quæ est species: deinceps animal conferri cum homine, atq; ita effici intentionem eam, quæ genus appellatur. Sed quî potest comparari homo cum animali, animal cum homine sic, ut appelletur homo species, animal genus, nisi sciatur latius patêre animalis notionem, hominis uerò angustius? Quî item hoc fieri potest, nisi ita dicatur, omnis homo est animal, nõ omne animal est homo? ut ostendit Aristoteles 1. lib. Priorum, his uerbis:

Sed prius dicemus de syllogismo, quia uniuersalior est. Demon- "

» *ſtratio enim eſt ſyllogiſmus, non omnis tamen ſyllogiſmus eſt de-*
» *monſtratio.*

At ita dicere, ómnis homo eſt animal, nō omne animal eſt homo, ſpectat ad ſecundam intellectus operationem. ergo uerum eſt quod diximus, ſi ſint huiuſmodi ſecundæ intentiones eo modo, quo dicunt fore, ut ad ſecundam ipſius intellectus operationem ſpectent.

Quod uerò ad eam partē, quæ ſequitur, attinet, fieri nullo modo poteſt, ut intellectus abſtrahat ſimilitudines illas, quæ plura referunt, niſi ſenſu interiore plura illa inter ſe congruentia cognouerimus. atq; ob hanc ſanè cauſam dixit Ariſtoteles 1. Poſter. libro:

» *Ex ſingularibus pluribus uniuerſale fieri manifeſtum.*

Idq; uoluimus ipſi dicere. Nec enim latebat nos, Ariſtotelem III. de Anima lib. duplicem intellectum ſignificare, his uerbis:

» *Quoniam autem ſic in omni natura eſt aliquid hoc quidē materia*
» *unicuiq; generi, hæc autem eſt potentia omnia illa, alterū autem cau*
» *ſa, & factiuum, quod in faciendo omnia, ut ars ad materiam ſuſtinuit,*
» *neceſſe & in anima has eſſe differentias.*

Et paulo pòſt:

» *Et eſt intellectus, hic quidem talis in omnia fieri, ille uerò in om-*
» *nia facere, ſicut habitus quidem, & ſicut lumen. quodam enim modo*
» *& lumen facit potentia exiſtentes colores actus.*

Ex his igitur minimè dubitari poſſe uidetur, quin ſit intellectus agens, qui abſtrahat, poſsibilis, qui recipiat, cogitatiua, quæ ante plura illa ſingularia inter ſe cogruentia percipiat. His ad explicandam noſtram opinionem ita declaratis, quod ad ipſum argumentum attinet, negamus primùm, dixiſſe nos intellectum, uel poſsibilem, uel agentem prius apprehendere huiuſmodi ſingularium conuenientiam, quàm uniuerſalibus ipſis eductis. Diximus enim, intellectum agentem non poſſe abſtrahere ſimilitudines illas, quæ plura referunt, niſi conuenientia illorum plurium per ipſam cogitatiuam percepta. ac tum quidem negamus, quod infert præceptor noſter. Nam cum ita diximus,

» Si fuerit conuenientia in genere, elici generis ſimilitudinem:

Illud nobis propoſitum fuit ſignificare (ut ex eodem loco facilè intelligi poteſt, ubi qui meus eſſet ſenſus oſtendi) ſi fuerit conuenientia in forma uniuerſali, elici genus: ſi in forma particulari, ſpeciem, atque ita non prius eſt ratio generis, quàm ſit ipſum genus. niſi illud ſentiat, prius eſſe rationem generis, id eſt id à quo ſumitur genus, quod quidem in potentia dici poteſt genus, quàm ſit ipſum genus actu. hoc enim uerìſsimum eſſe concedimus, ac eodem modo de ſpecie. Præterea fatemur, ſimilitudines animæ rationalis, quæ rerum ſunt imagines, eſſe principaliter opera intellectus agentis in genere cauſæ efficientis, concurrente cum eo ipſius rei imagine, quæ ineſt in phantaſia, ac non effingi ab intellectu potentiæ, itaque non fieri ab eo ex collatione obiecti cogniti (ut ipſi quidem loquuntur) ad obie-

ctum

ctum cognitum. Id quod uerè negasse nos arbitramur. Quod uerò ait, Sine aliqua cognitione singularium, "

Si loquitur de intellectu agente, concedimus. Putamus enim illum abstrahendo non cognoscere. Sin autem de phantasia, aut cogitatiua, hoc uerò falsum esse arbitramur. nam ea necessariò cognoscit particularia illa. Si enim sensus exterior cognoscat, multo quidem magis cognoscit interior.

Praeterea falsum esset illud Aristotelis 1. Poster. libro,

Ex cōsideratione multoties accidente, uniuersale uenantes demonstrationē habemus, ex singularibus pluribus uniuersale est manifestū. "

Non enim fieret illa consideratio, nisi per sensum interiorem. Item illud secundo Posteriorum libro,

Ex sensu igitur fit memoria, ex memoria autem multoties facta experimentum: multiplex enim memoria unum est experimentum. ex experimento autem fit uniuersale in anima. "

Quod autem non posint uniuersalia fieri ab intellectu potentiae, ex collatione obiecti cogniti cum obiecto cognito, praeter ea quae dicta sunt, ex eo etiam intelligi potest, quod nihil esset opus intellectu agente: cuius munus atque officium est, facere uniuersale in in actu, ex eo quod est uniuersale in potentia. Si enim fierent ipsa uniuersalia ab intellectu potentiae, nihil indigeremus intellectu agente, ut patet.

Hoc item Auerroës in tertio de Anima libro, rei ueritate compulsus, luce clarius ostendit his uerbis:

Et omnia dicta ab Aristotele in hoc sunt, ita quod uniuersalia nullum habent esse extra animam, quod intendit Plato. quia si ita esset, non indigeret ponere intellectum agentem. "

Ac ita quidem constat, ex eorum etiam quos ipse sequitur, interpretum sententia, uniuersalia non fieri ab intellectu potentiae, ex collatione obiecti cogniti cum obiecto cognito. Natura enim sunt ipsa uniuersalia prius, quàm recipiantur ab intellectu posibili. etenim mouens, quatenus mouens, prius est eo quod ab ipso mouetur. Quod item subdit,

Vniuersale, quod habetur ex inductione, esse complexum: "

Minus probandum uidetur. Nam uniuersalia huiusmodi simplicia fiunt ex pluribus singularibus, non ex uno singulari, nisi saepius repetito: itaque ex inductione, inductio enim est progressus à singularibus ad uniuersalia. Huiusmodi autem uniuersalia fieri ex singularibus, uidetur ostendere illud Aristotelis primi Poster. libri:

Species quidem igitur esse, aut unum aliquid extra multa non necesse est, si demonstratio erit, esse tamen unum de multis uerum dicere est necesse. non enim uniuersale esset, nisi hoc sit. si uerò uniuersale nō sit, medium non erit, quare neque demōstratio. Oportet igitur aliquid unum & idem in pluribus esse, non aequiuocè. "

Quo quidem loco facilè constat, eum loqui de uniuersalibus simplicibus: de his enim disceptabant inter se, & Plato, & ipse Aristoteles. tum hoc apertissimè declarant uerba illa,

» *Oportet aut unum & idem in pluribus esse, non æquiuocè.*

Quòd si huiusmodi uniuersalia sint in singularibus, ut testatur etiã Aristoteles VII. Primæ philosophiæ lib. text. XXX. his uerbis,

» *Homo uerò, & equus, et huiusmodi cætera in ipsis sunt singularib.*

Sumuntur à pluribus singularibus, non ab uno modo singulari, nisi sæpius repetito, atq; ita fiunt ex inductione, ut dictum est. Quòd autem si sint in singularibus, sumãtur ab ipsis, ex eo colligitur, quòd per se ipsa non sunt in singularibus, cum nón sint singularium substantiæ, sed eorum similitudines. Quare si dicantur esse in singularibus, huius rei nulla alia potest esse ratio, nisi quòd sumuntur ab ipsis singularibus, & referunt ea à quibus sumuntur.

Auerroës quoq; in XII. Primæ philosophiæ lib. (ut etiam interpretibus ijs, quibus isti plurimum tribuunt, testibus utamur) uidetur admodum fauere nostræ opinioni. illius enim hæc sunt uerba:

» Vniuersalia apud Aristotelem non sunt in re extra, sed sunt colle-
» cta à singularibus in intellectu, qui considerat apud ea similitudinẽ,
» & facit in eis unam intentionem.

Quo quidem loco patet, eum loqui de uniuersalibus simplicibus. subdit enim:

» Plato uerò ponebat uniuersalia existentia extra ánimam per se.
» Constat autem, ipsum Platonem posuisse uniuersalia simplicia per se
» extra animam.

Quanquam ipse Auerroës uidetur dissentire ab his quæ paulo ante citauimus, in tertio libro de Anima. Hic enim uidetur tribuere intellectui posibili, quod ibi tribuit intellectui agenti. sed hoc nihil ad nos. tueantur hominis sententiam ij qui in eius uerba iurarunt: hoc nos contenti sumus, si inter expositores reperiantur, qui ea quæ à nobis dicta sunt, confirment, ut appareat, nos Aristotelis uerba non extorquere.

Si quis autem quæ diximus, ita conetur infirmare, nullo modo fieri posse, ut ex inductione colligantur uniuersalia incõplexa, quòd id quod per inductionem habetur, sit aliquid de aliquo: dixit enim Aristoteles secundo Posteriorum libro,

» *Inductionem nõ demonstrare quia est, sed quoniã est, aut non est.*

Ad hæc ita respondemus, inductionem sic se habere ad uniuersalia simplicia, ut se habet demonstratio ad quid est. Declaratum est enim secundo Posteriorum libro, fieri non posse, ut quid est habeatur per demonstrationem, quòd id quod ex demonstratione habetur, sit aliquid de aliquo: in ipso autem quid est non est aliquid de aliquo. Attamen Aristoteles lib. I. de Anima, dixit,

» *Accidentia magnam partem conferre ad cognoscendum quod*
» *quid est. cum enim, inquit, habemus tradere secundùm phantasiam de*

acciden-

accidentibus, aut omnibus, aut pluribus, & tunc de substantia habebimus dicere aliquid. "

Hoc autem quod ait Aristoteles, cum fieri non posit, nisi demonstratione, ut patet ex definitione animæ, quam secundo libro de Anima inuestigauit, quod quidem fit tum, cum ipsum quid est ignoratur, cumque multas ipse definitiones concludat in philosophia ex demonstratione, omnino uidetur à seipso dissentire.

Ad tollendam igitur hanc Aristotelis inconstantiam, ita fortasse dicendum est, definitionem, & quid est haberi nullo modo posse per demonstrationem, quod rationes quibus utitur Aristoteles secundo Posteriorum libro, hoc apertè ostendunt, idque nos superiore libro perstrinximus, sed ut prædicatum. ac tametsi postmodum intelligimus substantiam, uerbi gratia, hominis, non posse aliam esse ab hac, non tamen propriè ipsum quid est trahetur ex demonstratione. Vt declarauimus etiam in Institutione, quam in primum Posteriorum librum conscripsimus, ad quam lectorem rejicimus. Atque ob hanc quidem causam existimamus, Aristotelē dixisse, accidentia magnam partem conferre ad ipsum quid est, non autem propriè illud demonstrare. Qua re sic constituta, nihil obstare uidetur, quo minus uniuersalia simplicia rectè dicantur haberi ex inductione, quod scilicet inductio confert ad illa, uti demonstratio dicitur conferre ad ipsum quid est. Id quod uidetur ostendere Aristoteles secundo Posteriorum libro, loco suprà citato.

In his statur, inquit, quousque comparabilia steñt, & uniuersalia, "
ut huius animalis quousque animal, & in hoc similiter. "

Quo quidem loco apparet eum loqui de uniuersali simpliciori.

Quòd si minus probetur alicui, eam particularem cognitionem, ex qua fit uniuersale simplex, inductionem propriè appellari, nuncupemus eam inductionem quadam similitudine, ac tum quidem nihil sequetur absurdi. Quòd si hoc item non satis probetur, nihil tamen contra nos facit, modò concedatur, quod quidem concedendum uidetur, passiones intellectiuas esse similitudines rerū singularium, simulac sunt in intellectu, quod eodem temporis momento plura referunt, atque ita in prima intellectus apprehensione esse uniuersales: id quod nobis propositum fuit ostendere, quoquo modo fiant similitudines illæ, nihil hoc refert.

Quod uerò ex ipso Porphyrio affert, ad id respondemus, genus & speciem definita, quomodo quidem definit Porphyrius, ut species sit, quæ est sub assignato genere, concedi fortasse posse, esse relatiua. Quòd si definiatur genus esse, id quod aptum natum est prædicari de pluribus differentibus specie, id est forma: dicimus posse ipsum genus esse, nulla adhuc effica specie actu. nam illa differentia formæ cognoscitur in indiuiduis, ex quibus elicitur genus. Quod hoc autem ita posit esse, colligitur ex VI. Topic. lib. & ex primo, loco à nobis citato, ubi hæc scripta reliquit Aristoteles:

Interimit

" *Interimit enim genus, & differentia speciem: quare priora hæc,*
" *quàm species sunt, & euidentiora. Nam specie quidem nota, necesse*
" *est & genus & differentias cognosci. nam qui hominem scit, & ani-*
" *mal greßibile scit. Genere autem, uel differentia notis, non necesse*
" *est speciem cognosci. nam qui scit hominem, scit animal greßibile.*
" *Genere autem, uel differentia notis, non necesse est speciem cogno-*
" *sci: quare ignotior species.*

Quòd si uerum est, animal esse notũ homine ignoto, atque eodem temporis momento animal esse genus, plura enim refert forma differentia: falsum est intelligi, & genus, & speciem actu simul. nam aliquando intelligitur animal non intellecto homine, ac tum quidem animal est genus, ut ostensum est, & loco citato uocat Aristoteles: sequitur ergo id quod diximus. Quod si est relatiuum, refertur ad ea à quibus pendet, non ad speciem, & sic nihil contra nos.

Quod autem ad illud Aristotelis secundo libro de Partibus animalium respondet, nõ uidetur tollere difficultatem, præsertim cum nihil responderit ad eas quas attulimus ipsi rationes. ita enim sumus argumentati. Si aliquid prius sit planta quàm animal, & animal quàm homo, prius potest intelligi planta quàm animal, & animal quàm homo. Vt enim prius se habet, ita poterit intelligi, siquidem unumquodque quemadmodum est, sic etiam cognoscitur. Quòd si (ut ita dicam) in illo priori intelligi potest planta prius quàm animal, & animal quàm homo, in illo priori poterit esse genus, ac nulla erit species actu. in illo enim priori idoneum erit ad plura referenda specie, hoc est forma differentia: itaque erit genus. nam generis indiuidua non possunt esse priora indiuiduis speciei, nisi genus sit prius species, id quod asserimus ipsi. putamus enim sumi animal ab indiuiduis animalis, & hominem ab indiuiduis hominis. ita si hæc indiuidua animalis priora sint, quàm indiuidua hominis, ipsum animal esse prius homine: ut in illo priori animal est genus, quia idoneum est plura referre specie differentia: ergo genus est prius specie, quam rem illud facilè declarat. Quòd si dicimus, genus est prius specie, non possumus hoc dicere, nisi quia ita est in re, ut id à quo sumitur genus, sit prius eo à quo sumitur species. Hoc item Boëtij testimonio, qui unus est ex ijs quos isti sequuntur, comprobatur, qui quidem Boëtius in capite de Genere, hac eadem ratione, uiaque ostendit, prius agendum esse de genere, quàm de reliquis. Extorqueri igitur non possunt, quæ à nobis recitata sunt, Aristotelis loca, dicendo eum in aliam sententiam loqui, quo modo dixit præceptor meus. Nam quicquid omnino dicatur, in idem recidit. Cum enim dicimus, genus esse prius specie: illud significamus, ea quæ genera appellantur, priora esse his quæ appellantur species, ut animal homine. neque aliud quicquam interesse uidetur, si dicamus, animal est prius homine, genus est prius specie, nisi quòd alterũ latius accipitur, alterum angustius. utimur enim huiusmodi uocibus,

cum

cum aliquid uniuersalius significare uolumus. Ac sanè quoties quærit Aristoteles, an in re sint uniuersalia, quærit de his quæ appellantur uniuersalia, ut in nostro libro diximus. Atque ita constat, præceptoris nostri distinctionem ab Aristotelis sententia discrepare.

Neque item (pace tanti uiri dixerim) satisfactum esse arbitror uerbis illis Aristotelis quarto Primæ philosophiæ libro, quibus ostendit, genus, speciem, totū, partem, ad Primam spectare philosophiā, quia sunt affectiones entis, quatenus ens est. Nam quod respondet præceptor noster, id satis nos confutasse arbitramur, ubi hæc scripsimus: Non enim putandum est, genus, & speciem, de quibus " loco citato quarti Primæ philosophiæ libri agit Aristoteles, accipi pro animali, uel substantiam pro homine, uel asino, ut multi perperam (mea quidem sententia) existimauerunt.

Nam hæc interpretatio apertissimè textum illum euerteret: siquidem animal, substantia, homo, asinus, & huiusmodi non sunt affectus entis, non enim sunt in omni ente. ergo necessarium est, accipi genus pro eo quod in quod est prædicatur de pluribus specie differentibus. Quod etiam confirmare sic possumus, quia eo modo debemus intelligere, genus pertinere ad primum philosophum, quomodo definitur ab ipso primo philosopho. Sed genus quinto Primæ philosophiæ libro definitur esse, quod prædicatur in quid est: ergo debemus intelligere, genus sic acceptum pertinere ad Primam philosophiam. Perperam igitur (ut dixi) locum illum Aristotelis interpretantur, qui ipsum eo modo quo diximus, interpretantur. Ex his inquam dissolutum esse putamus id quod respondet præceptor noster, hæ enim rationes meæ infirmandæ fuerant. Argumentamur ergo sic. Si genus & species accipiuntur, ut sunt primæ intentiones, quemadmodum ipse concedit, accipientur de substantia, de quantitate, de qualitate, huiusmodique cæteris, item de animali, de asino, de boue, & de singulis huiusmodi. At fieri non potest, ut accipiantur de his: ergo fieri non potest, ut ipsum genus & species accipiantur, ut sunt primæ intentiones, quomodo quidē ipse loquitur.

Hoc autem ita esse, declarant uerba Aristotelis eodem loco, ubi cum uellet ostendere, talia pertinere ad Primā philosophiam, hoc ait idcirco esse, quòd sunt affectus entis. eius autem hæc sunt uerba:

Perspicuum est igitur, ad unam scientiam pertinere id quod est, "
& ea quæ insunt ipsi, ut tale est cōtemplari, & non solùm substantia- "
rum, sed etiam eorum quæ competunt, scientiam eandem esse contem- "
platricem, eorum inquam quæ exposuimus, hoc est prioris, posterio- "
ris, generis, totius, speciei, partis, cæterorumque huiusmodi. "

Sentit ergo, pertinere ea ad Primam philosophiam, quod sunt accidentia entis, ut ex eius uerbis planè constat, ac testatur etiam Auerroës exponens eum locū, & D. Thomas, & Alexander his uerbis:

Adiungit autem suprà commemoratis (ut dixi) quædam alia, " de quibus est philosophi disputare, quæ quidem sunt prius, poste- "

rius,

„ rius, genus, ſpecies, totum, & pars, & cætera id genus. Nam & hæc „ entis, qua eſt ens, affectiones ſunt, quippe quæ ſingula, uel in ſub„ ſtantia ſunt, uel in ſubſtantiæ quopiam accidente, non autem cuiuſ„ que determinati generis ſunt affectus.

Quòd ſi loquitur hic Ariſtoteles (ut patet ex eius interpretũ uerbis) de his, ut ſunt affectus entis: Subſtantia autẽ, quantitas, animal, homo, aſinus, bos, non ſunt affectus entis, quatenus ens eſt, ut conſtat, non enim ſunt in omni ente: hæc nullo modo poteſt intelligere. Cum intelligat autem genus, ut prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, rectè à nobis dictum eſt.

SECTIO VI.

BVCCA. PAri modo neceſſarium & contingens, quæ à Metaphyſico conſiderantur, complexè ſumuntur, nõ incomplexè, cum ſint conditiones ſimplices, aut modi entis. Similiter ueritas & falſitas conſiderantur illic, ut ſunt conditiones primi principij, ſcilicet de quolibet affirmatio, uel negatio uera. Similiter de priore & poſteriore eſt conſideratio Metaphyſica, ut dicunt ordinẽ in partibus entis, non autem in rebus eiuſdem prædicamenti, quatenus ab anima eſt tota ordinatio prædicamentalis, etiam ut oſtendat, quod ea quæ Metaphyſico conſiderantur, nõ uniuocè prædicantur, ſed ſecundùm prius & poſterius, ideo quod Metaphyſica oſtendit ſignificationes terminorum, quibus utitur Metaphyſicus.

ANTO. Hæc etiam uidentur maximam habere difficultatem. ac primùm quidem, quòd cum neceſſarium & cõtingens ſint affectiones entis, quatenus ens eſt, ſumuntur incõplexè, cum uolumus ſcire quid ſint. Cum autem uolumus concludere, aliquod ens eſſe neceſſarium, ex illa definitione ſumuntur complexè, ut linea & triangulũ in Geometria. Quod ſi ita eſt, nihil omnino contra nos, qui dicimus, hanc definitionem, Neceſſarium eſt quod non poteſt aliter ſe habere, primò & ſimpliciter pertinere ad primum philoſophum: quatenus uerò per illam docemur, demonſtrationem eſſe ex neceſſarijs, itaq; redigitur ad opus, pertinere ad Logicam. ac de neceſſariò idem dicendum eſt, quod de genere, de ſpecie, cæteriſq; huiuſmodi omnibus.

Quod uerò ait, Eſſe conditiones ſimplices, & modos entis,

Si opinatur eſſe affectiones entis, noſtræ fauet opinioni: ſin aliter ſentiat, habet eas quas diximus difficultates.

Quod autem dicit de uero & falſo, ſi hæc eſt illius ſententia, ut exiſtimet, eſſe affectus entis, quatenus ens eſt, nihil id noſtræ aduerſatur opinioni. ac ita quidem quibuſcunq; illa conueniunt, conuenire dicuntur ratione entis, & ſic affirmationis & negationis, atq; hæc ipſi putamus in Logica pertractari in ordine ad opus. Sed de his ſatis dictum eſt in ſeptima parte noſtri libri. Sin autem hoc negat, diſſentit ab ijs quos citauimus Ariſtotelis locis, propterea quòd ſunt affectiones entis, ut dictum eſt de reliquis, & oſtendit Ariſtot. II. Primæ philoſophiæ lib. his uerbis, Quare

Quare ut unumquodque est, sic & ueritatis particeps est. "

Quòd præterea scribit eruditissimus præceptor meus, non uidetur (bona eius uenia dixerim) satis cum ueritate consentire, si sentit aliter, atque à nobis dictum est. Nam prius, & posterius (ut suprà ostendit Aristoteles) sunt affectiones entis, quòd sunt in omni prædicamento. In omni enim ente est prius, & posterius, ut genus. Huc accedit, quòd partes entis sunt etiam decem prædicamenta. Ita autem sese rem habere, patet ex V. Primæ philosophiæ lib. ubi distinguitur prius. quo quidem loco (ut sentit etiam præceptor meus) distinguit Aristoteles significationes terminorum, quibus utitur Primus philosophus: ibique easdem ponit distinctiones, quas posuit in Prædicamentis, atque eisdem etiam in Logica utitur, ubi tradit, demonstrationē esse ex prioribus, sed in ordine ad opus. est enim idem prius ubique re, sed differt ratione ad opus. Non ergo probandum uidetur id, quod præceptor meus de priori & posteriori dixit.

SECTIO VII.

Rationes autem, quibus tuam opinionem tueris, non difficile est dissoluere, cum decem generalissima à Metaphysico quidem considerantur, ut sunt partes entis: à Logico uerò, quatenus ab anima sunt, & in ratione habent esse. Existimatur enim (inquit Auerroës) quòd si non esset anima, non essent Prædicamenta, simili modo. Logico propria, quæ res insint sub ea ratione, puta quòd substantia habet rationem generis, uel speciei, quod uniuocè prædicatur, quod non sit in subiecto, de quo prædicetur, quod uidetur hoc aliquid significare. Si uerò aliæ proprietates hic considerentur, quæ insint eis, ut entia sunt, id factum est ad ampliorem prædictorum notitiam, non ex prima intentione. BVCCA.

Hæc item mihi summã habere difficultatē uidentur. Nã quod ait, X. generalissima considerari à Metaphysico, ut sunt partes entis: à Logico uerò, quatenus ab anima sunt, & in ratione habent esse: ANTO. " "

Non diluit rationes meas, quibus ostendi, eandem esse considerationem lib. Prædicamentorum, & Primæ philosophiæ: ac illas præsertim, quibus probaui, lib. Prædicamentorum esse de rebus, atque ex eorum opinione fieri, ut Aristoteles, quasi mãcus sit, & mutilatus in rebus pertractandis, quòd nusquam naturas decem generum, eorumque proprietates, eo modo quo dictum est in libello nostro, pertractet, quod tamen ad perfectam omnium rerum cognitionem maximè necessarium fuit. Neque enim dicere possumus, de his agi quinto Philosophiæ libro. Siquidem eo loco non uult Aristoteles ostendere rerum proprietates, sed distinguere, ut ipse quoque præceptor meus fatetur, significationes terminorum, quibus utitur Primus philosophus. Integra manet etiam ratio illa, quæ ostendit, Logicam perfectè, absoluteque tradi sine ipsorum Prædicamentorum cognitione. Reliquarum rationum, quas nullo modo infirmauit, nihil attinet mētionem facere, quòd ex nostro libello peti possunt.

Illud autem Auerrois,

Si non eſſet anima, nulla exiſtimari futura eſſe prædicamenta: Non modo uerè dicitur de Prædicamentis, quæ ipſe arbitratur partes eſſe Logicæ, ſed de illis etiam quę putat eſſe Primæ philoſophię, & de omnibus ſcientijs atque artibus, ſiquidem omnes ſunt de uniuerſalibus, ſingularium enim non eſt ſcientia: quæ quidem uniuerſalia non habent eſſe extra animam. Concedent enim omnes, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, ut comprehendunt omnia ſua inferiora, ad Primam ſpectare philoſophiam: nemo tamen (credo) fatebitur eſſe in re extra animam. quod ergo ſcribit præceptor meus, nõ modo (pace tanti uiri dixerim) commentitium uidetur, ſed etiam à ratione alienum.

Quod ait autem,

Subſtantiam cõſiderari à Logico ſub ratione generis, uel ſpeciei: hoc ipſi tertia ſectione noſtri libri ſatis confutaſſe nobis uidemur.

Quod uerò ſequitur, In Prædicamento ſubſtantiæ hanc eſſe proprietatem, ut ſubſtantiæ uniuocè prædicentur: oſtendimus, hanc ipſam proprietatem conuenire ſubſtantiæ ratione rei, quia ſubſtantia prædicatur ſecundùm nomen, & definitionem ſubſtantialem, propterea quòd in re conſtituit eſſentiam eius de quo prædicatur. oſtenſum eſt etiam à nobis in noſtro libro, nomina illa, ſubiectum & prędicatum, ſpectare ad Primam philoſophiam: & hac de cauſa ſeptimo Primæ philoſophiæ libro Ariſtotelem uocaſſe materiam primam ſubiectum.

Quod item dicit,

Proprium eſſe ſubſtantiæ, ut nõ ſit in ſubiecto: dubitare non poſſumus, quin hoc illi conueniat ratione rei, quod etiam oſtendit Ariſtoteles in Anteprædicamentis his uerbis:

In ſubiecto autem eſſe dico, quod cum ſit in aliquo, non ſicut quædam pars, impoſſibile eſt ſine eo eſſe, in quo eſt, ut quædam Grammatica in ſubiecto quidem eſt anima, de ſubiecto uerò nullo dicit: & quoddam album in ſubiecto eſt corpore, omnis enim color in corpore eſt, de ſubiecto uerò nullo dicitur.

Atque ita patet, quod aliquid aut ſit in ſubiecto, aut non ſit, hoc eſſe ratione rei. Illam etiam proprietatem, ut ſubſtantia ſignificet hoc aliquid conuenire ipſi ſubſtantiæ, prout eſt in re, declarat, quod ſubdit Ariſtoteles, hoc eſſe indubitabile, et uerum, de prima ſubſtantia, quam quidem primam ſubſtantiam definierat, neq; eſſe in ſubiecto, neq; dici de ſubiecto aliquo: quæ definitio conuenit primæ ſubſtantiæ pro re ipſa, ut aliquis homo, & aliquis equus, quod quidem eſt eius ſimilitudo. Senſus eſt igitur uerborum Ariſtotelis, id quod nominatur prima ſubſtantia, ſignificare hoc aliquid: quia res illa quæ ſignificatur, eſt ſingularis, & indiuidua. Ac fortaſſe hanc addidit proprietatem Ariſtoteles, ut oſtenderet, quid inter primas & ſecundas ſubſtantias intereſſet.

Quod

Quod autem insequitur,

Si aliæ proprietates considerantur hic, quæ in sint prædicamẽtis, "
quatenus entia sunt, id factum esse ad ampliorem Prędicamentorum "
notitiam, non ex prima intentione: "

Minus probandum uidetur, uel quia ostendimus, has proprietates non conuenire his generibus, quatenus entia sunt, sed substantiæ quatenus substantia est, quantitati quatenus quantitas est, atque eodem modo cæteris: uel quia ut nonnullæ reperirentur proprietates substantiæ, quæ illi conuenirent, ut genus est in anima, non in re, cuiusmodi tamen nullæ reperiuntur, tamen plures essent, quæ conuenirent ei, ut quædam res est: item quantitati, qualitati, relationi, facere, pati, ut res quædam sunt, quemadmodum à nobis tertio Apologiæ libro ostensum est. Itaque huiusmodi proprietates magis essent ex prima intentione, reliquæ uerò ad pleniorem cognitionem facerent.

Cæterùm, cum negari non possit, illam proprietatem substantię, ut non suscipiat contrarium, quantitatis, ut æqualis & inæqualis uocetur, qualitatis, ut de ea simile & dissimile dicatur, singulas singulis conuenire, ut quædã res sunt: consequens est, ut ipsa substantia, quãtitas, & qualitas considerentur, ut quædam res sunt. aliter enim proprietates non conuenirent illis, quatenus res sunt: siquidem eo modo considerari oportet, quo modo conueniunt eis ueræ proprietates. At huiusmodi conueniunt eis, ut res sunt, quemadmodum patet, atque ostensum est tertio huius Apologiæ libro: ergo sequitur id quod diximus.

SECTIO VIII.

Tertia dubitatiuncula est super distinctione Auerrois VII. Metaphys. de Logica docente, ea utente, quæ omnino recta mihi uidetur, si passiuè huiusmodi nomina reperiãtur, scilicet quam docemur, & qua utimur: quam tamen distinctionem ipse non admittit. eodem enim habitu, quem demonstratione acquisiuimus in lib. Top. circa generationẽ syllogismi dialectici, qui debet esse ex communibus probabilibus, utimur in naturali philosophia, ac diuina, ex terminis illarum proprijs dialecticę syllogizando secundùm communes locos ibidem expressos, aut secundùm communes propositiones, ut hoc modo idem habitus sit in se ipso determinati generis: indeterminati uerò, quatenus eo utimur. neq; tantum hæc diuisio cõmunis est in parte Logices, quæ dialectica dicitur, sed & reliquis, sicut demonstratiuæ, diuisiuæ, definitiuæ. BVCCA.

Neq; huiusmodi usus in alia scientia, potest dici transitus de genere in genus, cum semper circa syllogismum dialecticum, exempli gratia, aut demonstrationem, aut diuisionem sit cõtemplatio. Sed hic illius constructio declaratur, alibi eodem iam constructo utimur.

Hæ sunt dubitationes, quæ mihi succurrerunt, Reuerendiss. Antistes, dum tumultuaria lectione Commentariolum Antonij tibi fa-

miliaris percurrerem. quas cum ille ipse dissoluerit, id enim facile asse quetur, uterque nostrum receptui canet, & pugna, in quam obtrectatores nos ipsos excitarunt, dirimetur.

ANTO. De hac ipsa distinctione Auerrois multa in Commentariolo nostro disputauimus: multas etiam rationes attulimus, quibus eam tolli putauimus, contra quas nihil adhuc (mea quidem sententia) scriptum est, quod eas ullo modo infirmet. Ostendimus autem præter cætera, aliud esse, si dicas syllogismū dialecticum esse ex cōmunibus probabilibus, quæ quidē est regula, quæ docet cōficere syllogismos dialecticos: & si ita proferas, si quod magis uidetur fieri posse, tamen nō fit, neque id fiet, quod quidē minus fieri posse uidetur. qui locus est cōmunis, ex quò loco conficitur syllogismus dialecticus. quodque ita sit, satis constare arbitror ex multis rationibus, quas prima sectione Cōmentarij nostri attulimus, ut ostenderemus, Dialecticā differre à Logica, quod etiam cōprobat illud Aristotelis 1. Rhetoricorum lib.

» *Voco igitur dialecticos syllogismos eos, quorum locos dicimus.*
» *hi sunt, qui communiter de iustis Physicis, ciuilibus, & de multis spe-*
» *cie differentibus sunt, ueluti maioris & minoris locus. nam ex hoc ma*
» *gis ratiocinari, uel enthymema inferre poterimus de iustis, ac Physi-*
» *cis, quàm de quocunque alio, quamuis specie differant. Propria uerò*
» *quæcunque ex his sunt, quæ circa unamquamque speciem ac genus propo-*
» *sitionum sunt, sunt enim propositiones de Physicis, ex quibus nec enthy*
» *mema, nec syllogismus de moralibus est: his aliæ, ex quibus non e-*
» *rit syllogismus de Physicis, eodemque modo de cæteris.*

His igitur uerbis ostendit Aristoteles, syllogismos illos esse dialecticos, quicunque sunt ex communibus: ac suos quanque facultatem terminos, suasque propositiones habere, quibus utatur. Hos item locos, qui constituunt syllogismos dialecticos, distinguit à regulis ijs quæ docent eos constituere, quòd huiusmodi regulis (ut, uerbi gratia, syllogismum dialecticum esse ex communibus) non utimur ad omnia, propterea quòd non possumus adhibere hanc regulam ad ostendendum, Deum esse immixtum, sed tantùm ad declarandum, aliquam orationē esse syllogismum dialecticū. Quæ cum ita sint (ut apparet) uerba illa præceptoris mei,

» Eodem enim habitu, quem demonstratione acquirimus in libro
» Top. circa generationem syllogismi dialectici, quod debet esse ex cō-
» munibus probabilibus, utimur in naturali philosophia, ac diuina,
» ex terminis illarum proprijs, dialecticè syllogizando secundùm com
» munes locos ibidem expressos, aut secundùm communes proposi-
» tiones, ut hoc modo idem habitus sit in se ipso determinati generis,
» in determinati, quatenus eo utimur.

Hęc inquā uerba significāt, transiri ex una re ad aliā, atque rei attribuunt, quod cōuenit rebus omnino diuersis. sic enim trāsitur ex regula illa, syllogismus dialecticus est ex probabilib. ad locos, ex quibus locis cōficiunt syllogismi dialectici, quos illa ipsa regula docet cōficere,

quæ

quæ quidem (ut oſtendimus) inter ſe planè differunt. Nam loci illi (ſi quod magis uidetur fieri poſſe, tamen non fit, et quæ ſequuntur) ſemper ſunt indeterminati generis. Regula uerò indeterminati, docet enim ſolùm conſtituere ſyllogiſmos dialecticos, neque unquam utimur ea ad concludendum in Philoſophia, mundum eſſe æternũ, aut aliam ullam concluſionem, ſicuti utimur locis cõmunibus. Non ergo rectè uidetur defendi opinio Auerrois. quod quidem ita eſſe, facilè conſtat ex eo, quod ſubdit præceptor meus,

Diuiſionem illam eſſe communem demonſtratiuæ. Nam ſi ita eſt de cæteris partibus, quemadmodum regula illa, quæ primo Poſteriorum lib. docet, demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum ex ueris primis, & immediatis, et quæ ſequuntur: differt ab hac ratiocinatione, omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis, & à reliquis id genus, ut non poſſint dici eadem: ita hæc regula, Syllogiſmus dialecticus eſt ex communibus probabilibus, differet ab hac ratiocinatione, ſi quod minus uidetur fieri poſſe, tamen fit, illud etiam fiet, quod quidem magis fieri poſſe uidetur. At minus uidetur fieri poſſe, ut miles capiat caſtrum, quàm exercitus: tamen cœpit, ergo & exercitus capiet. Ac quemadmodum is qui conficit demonſtrationem illam, quam diximus, eſt philoſophus naturalis, uti colligitur ex loco Ariſtotelis ſuperius citato, nón Logicus, quamuis conficiat ſecundùm Logicæ regulam: ſic item qui facit illum ſyllogiſmum ex probabilibus, eſt Dialecticus, nõ Logicus. quod quidem facit contra præceptorem meum, etſi ſequitur ex eius dictis.

Cur autem huiuſmodi loci communes, qui dialecticos ſyllogiſmos conſtituunt, coniuncti ſint cum ipſis regulis, in ultima lib. noſtri ſectione oſtendimus. Illud etiam quod ſequitur,

Neq; huiuſmodi uſus in alia ſcientia poteſt dici tranſitus: "

Non uidetur carere difficultate. Verum eſt enim, in ipſa Logica doceri conſtructionem, id eſt modum conſtruendi: ſed falſum eſſe apparet ex iis quæ diximus, atque ex ipſa re, nos alibi eodem iam conſtructo uti. Nam in Logica docetur quidem hoc, ſyllogiſmũ demonſtratiuum eſſe ex ueris primis, immediatis, & quæ ſequuntur: quæ docent conſtituere ipſum ſyllogiſmum demonſtratiuum, ut (in eodem enim ſiſtemus exemplo) omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis: quo ſyllogiſmo ita conſtituto utitur philoſophus naturalis, quippe qui illũ etiam conſtituit, non Logicus: atq; alius eſt hic ſyllogiſmus à regula, quam docuit Logicus, uti paries à perpendiculo. Quòd ſi uerum eſſet, quod dicit præceptor meus, ſequeretur omnino, ſi diligentius attendatur, ut tranſiretur de genere in genus. Diſputauimus enim cõtra Auerrois diſtinctionem, non rectè ab illo dictum eſſe, propterea quòd non utimur propoſitionibus declaratis in una ſcientia ad concludendum aliquid per ſe in alia ſcientia (non enim licet deſcendere de genere in genus) eo modo, quo utimur propoſitionibus dialecticis,

cticis, quæ accommodantur omnibus rebus. Ac illud denique uoluimus ostendere, ex propositionibus illis communibus concludi posse animorum immortalitatem, neque tamen transiri de genere in genus, quod Dialectica est communis omnibus: at ex propositionibus Mathematicis nequaquam idem concludi posse, propterea quòd transiretur de genere in genus, ut patet ex 1. Poster. libro. Sed de his in sequentibus lib. copiosius disseremus.

» Quòd uerò subdit, ut quæ dixit, ratione communiat: Semper
» circa syllogismum dialecticum, exempli gratia, aut demonstrationē,
» aut diuisionem, esse contemplationem:

Patet, hoc minus rectè dictum esse. nisi ita sentiat, & Logicam esse circa hæc, quòd docet illa conficere: & cæteras facultates, quòd conficiunt, ut ijs quæ confecerint, utantur. ac ita quidem nos illi planè assentimur. Sin aliter sentiat, ut sentire quidem uidetur, quàm sit ab eo ueritas, ex ijs quæ superius dicta sunt, neminē latêre arbitror.

Hæc habuimus, quibus acutissimas, doctissimasq; rationes egregij præceptoris nostri dissolueremus: quod an assecuti simus, necne, aliorum sit iudicium. Nos quidem certè unius ueritatis studio inducti, in hanc arenam descendimus.

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI *APOLOGIAE*

Liber Quintus.

SECTIO PRIMA.

SVperiore libro satis de eis, quæ à uiro clarissimo, præceptore nostro, contra nos allata fuerant, disputauimus. quare faciendum iam uidetur, ut ad Iacobi Iacomelli episcopi Bellocastrensis librum ueniamus. Cuius tamen, ut cæterorum, qui ad Cōmentarium illum nostrum scripserunt, uerba omnia non ponam: uel quia is quatuor libros typis excusos in publicam (ut ipse ait) studiosorum utilitatem diuulgauit: uel quia hi ipsi libri maiore ex parte reprehensiones habent, atque obiurgationes, quibus ille me acriter insectatur, quòd unum Aristotelem sequar, illoq; sui ipsius interprete utar. Habent præterea hi libri admonitiones, quibus homo pro sua ætate, qua mihi parentis numero esse oportere censet, me admonet, ac denique rogat, ut rationibus suis commotus, quas ipse certas, firmasq; putat, sic ut dissolui nullo modo possint, ad sanitatem reuertar, idq; se cùm mea causa cupere ostendit, tum nonnihil etiam ad salutem adolescentium pertinere arbitratur, quos ait opinione nominis, auctoritatisq; meæ captos, iam plures in fraudem illici. Quæ quidem omnia uidentur bona, sanctaq; uerba, sed à Peripateticorum consuetudine prorsus abhorrent,

horrent, qui non uerbis, præter rem, ſed rationibus homines aberrantes admonere, atque in uiam deducere conſueuerunt. Quod (nihil ut de antiquioribus dicam) planè oſtenderunt uiri omni diſciplinarũ genere ornatiſſimi, doctor meus Ludouicus Buccaferreus, M. Antonius Genua, Vincentius Madius: qui quidem poſthabitis eis quæ nihil ad rem facerent, rationibus ualidiſſimis mecum ſubtiliſſimè, doctiſſimeq́ egerunt. Quare ego, qui Ariſtotelis præcepta, doctrinamq́ ſemper quanto maximo potui ſtudio ſectatus ſum, cæteris omiſſis, ne liber etiam temere in immenſum excreſcat, ad ea modò aggrediar, quibus homo ſententiam meam labefactari, ac penitus euerti arbitratus eſt: iudicemq́ noſtræ controuerſiæ, quæ eſt de ſententia Ariſtotelis, Ariſtotelem ipſum conſtituam, ut qui in Interpretum uerba non iurauerint, ſed ipſius Ariſtotelis doctrinam amplexentur, facilè intelligant, pater'ne filium iure ac uerè caſtigarit, an filius patrẽ. Cui tamen nihil certè nos reſpondiſſemus, uel quia, quæ ab illo ſcripta ſunt, hæc omnia ex noſtro libello facillimè diſſolui poſſent, ac potius diſſoluta eſſent: uel quia (ut luce clarius oſtendemus) pleraque ipſe (quæ mira eſt hominis conſtantia) diſſoluit: niſi auctoritas patroni mei, ampliſſimi uiri, Alexandri Cardinalis Farneſij ad id me impuliſſet. Sed de his hactenus, ad rem ipſam iam ueniamus.

Primùm, quod iſte primo capite ſui libri ſcribit, ea quæ à nobis in procemio dicta ſunt, uideri ſibi à propoſito abhorrere, neque me ſatis infrà oſtendere, quo pacto eorum quæ ante expoſuerim, commemoratio id efficiat, quod à principio oſtendendum mihi propoſueram: ſi diligentius attendatur, facilè erit intelligere, quàm is rectè rem animaduerterit, quantoq́ iudicio perpenderit. Nam ſi (ut tertij noſtri Commentarij parte oſtenſum eſt) finis Logicæ facultatis eſt, docere conficere modum cognoſcendi: neceſſe eſt, ut hic ipſe cognoſcendi modus, rationibus, & ſyllogiſmis, quæ latius demonſtrationes appellantur, doceatur conſtitui.

Cum autem huiuſmodi demonſtrationes fiant (ut ibi diximus) ex terminis, qui non ſunt in Prædicamentis, ſi Logicæ finis eſt is quem demonſtrauimus, nihil attinet illud ponere, Prædicamenta eſſe partes Logicæ, cuius neque ſunt finis, neque ad ipſum finem quicquam pertinent. Hoc item ex definitione Logicæ facilè intelligitur. Si enim conſtet, Logicam differre à Dialectica, hinc multa nobis perſpicua eſſe poſſunt, ut ex noſtro libello patet. In quibus illud maximè conſtat, fieri nullo modo poſſe, ut utamur propoſitionibus ijs quæ ſunt in Logica, ad concludendum in aliqua alia ſcientia quicquam, quod ad illam ipſam ſcientiam pertineat, quemadmodum in omnibus facultatibus utimur propoſitionibus Dialecticis. Ita patet, Logicæ propriè non eſſe, cognoſcere ullas uoces ex ijs quæ ſunt in Prædicamentis, quamuis illas Dialectica cognoſceret. Logica enim non eſt Dialectica.

Cũ igitur hæc omnia in Procemio noſtro diſſerantur, uidetur Iacomellus

comellus nihil minus, quam nostrum sensum percepisse. Quod si dicat, hæc sibi uisa esse minus ad rem pertinere, quòd necessariò non inferunt id quod mihi propositum esset ostendere, hic enim uidetur esse eius uerborum sensus, non fuit hic redarguendi locus, sed ubi hæc à me fusius pertractantur.

Quod autem in extremo illo capite negat, instrumenta, quibus discuntur ea quæ sciri possunt, esse definitionem & syllogismum, comprehendendo (ut diximus) ea quæ ipso syllogismo continentur, demonstratiuum scilicet & dialecticum syllogismum, hoc item falsum uidetur esse ob eas, quas ibi attulimus, rationes. Nam cum ignota omnia, quæcunque licet discere, sint omnino quatuor, tria autem syllogismi speciebus percipiantur, atque ipsum quid est non possit nisi ex definitione disci: uniusque rei, quatenus una est, una sit omnino scientia: consequens est, ut neque plura sint discendi instrumenta: superuacanea enim forent, neque minus multa. nam essent aut syllogismi species duntaxat, aut definitio. At fieri non potest, ut sint syllogismi tantùm species, ipsum enim quid est percipi nullo modo posset, siquidem (ut ex secundo Posteriorum libro patet) quid est neque demonstratione cognosci potest, ut quid est, in ipso enim non dicitur aliquid de aliquo, neque ulla alia uia, rationeque ex his, quas secundo Posteriorum libro connumerauit Aristoteles. Quòd si ignoretur definitio, ignota erunt omnino omnia, quia ipsum quid est principium est demonstrationis: quòd quidem quàm absurdum sit, nemini obscurum esse arbitror. Neque rursus definitio sola potest esse cognoscendi instrumentum: siquidem reliqua tria, quæ demonstratio docet, essent ignota. Quòd si quatuor illa quæ dicta sunt, neque pluribus instrumentis disci licet, quàm quòd demonstrauimus, omnia enim illis ipsis instrumentis discuntur, propterea quòd unius rei, quatenus una est, est una omnino scientia: neque rursus minus multis, quòd aliquid ex his quæ dubia sunt, ignotum relinqueretur: rectè à nobis posita uidentur esse duo illa instrumenta. perperam autem Iacomellus dixit, esse duntaxat syllogismum. Falsò illud etiam, scripsisse me, duo esse Logicæ facultatis æquè summa instrumenta. Scripsi enim, quæ posueram, hæc esse instrumenta discendi ea, quæcunque perdisci possent. Ex quibus intuli, coactos fuisse homines inuenire unam aliquam facultatem, quæ regulas inueniendi, conficiendique, & iudicandi syllogismos, definitionesque certas, ac planè firmas traderet. quòd facilè fieri potuit, ut in his laberemur, sed de his plura inferius. Quod uerò ait, syllogismum duntaxat esse instrumentum Logicæ, in hoc item longè falli uidetur. Nam aut de syllogismo simpliciter loquitur, aut de syllogismo demonstratiuo, aut de syllogismo dialectico, aut de syllogismo demonstratiuo & dialectico simul. Si de syllogismo simpliciter, errat: uel quia non dissoluit rationes eas, quibus ego ostendi, definitionem quoque esse primum Logicæ instrumentum, & syllogismum simpliciter demonstrationis causa pertractari: uel quia falsum est, quæ de definitione

in libro Posteriorum & Topicorum differuntur, hæc ad syllogismum simpliciter, tanquam ad postremum instrumentum, redigi: id quod ipse dicit. syllogismus enim simpliciter abstrahit à materia, quippe qui nihil, quod obscurum sit, declarat. Vel quia rationes eæ, quibus secundo capite hoc probare conatur, ad demonstrationem pertinent, non ad syllogismum simpliciter. Sin autem syllogismo demonstrationem intelligat, non minus etiam peccat: tum quia non dissoluit rationes meas, quibus ostendi, definitionem quoque ipsam per se esse cognoscendi instrumentum: tum quia si demonstratio dũtaxat instrumentum esset cognoscendi, iam syllogismus dialecticus non esset primarium instrumentum. contraq; ipse tertio capite ostendit his uerbis:

" At de syllogismo Dialectico diuersa ratio existit. licet enim ipse
" demonstratione, perfectionis accessu, inferior sit, non tamen ob id di
" cere possumus, non esse primarium instrumentum, & seorsum ab
" Aristotele intentum.

Ita igitur à se ipso dissentiret, tum quia non uidetur posse intelligere, nisi syllogismum simpliciter, ut qui nihil interesse putat, utrum syllogismum dicat, an argumentationem, sicuti quosdam doctissimos uiros sensisse scribit. Qui autem posuerunt argumentationem esse Logicæ instrumentum, locuti sunt de argumentatione, quæ abstrahit & à demonstratione, & à syllogismo dialectico, ut satis ex eorum uerbis constat. Huiusmodi ergo syllogismum debet hic intelligere: ac tum quidem eas habet difficultates, quas diximus. Sin autem de syllogismo dialectico loqueretur, definitio & demonstratio excluderentur, cuius rei tamen contrarium dixit. Sin autem de utroque simul, præterquàm quòd excluderetur definitio, præterea duo essent instrumenta, non unum duntaxat: tum illud uerum non esset, quæ secundo Posteriorum libro de definitione traduntur, hæc syllogismi dialectici causa pertractari: quod necessariò tamen ex eius dictis sequitur. Quoquo modo igitur sentiat, uidetur, cùm ab Aristotele, ueritateq; recedere, tum etiam à se ipso dissentire: rationes enim ostendunt, illum de eodem, & loqui, & non loqui. *Prima suæ ipsius opinionis euersio.*

SECTIO II.

QVas uerò secundo cap. rationes affert, ut doceat, definitionem pertractari syllogismi causa, hæ nullam uidentur omnino uim habere. Nam (mea quidem sentẽtia) falsum est, quod primò sumit, omnia simplicia & incomplexa, ex quibus constitui possint composita cõplexa, redigi ad illam cõpositionem primò, & per se. Non enim uerè hoc dici potest de simplicibus omnibus, quæ per se sunt. unumquodq; enim huiusmodi prius est in se, antequã ordinetur, & referatur ad aliud. Quòd si ita sentiat, secundariò, & per accidens ordinari, ac redigi, nihil id contra opinio

nem

nem meam facit. Quæ uerò subiungit, quasi probaturus id quod sumpserat,

» Quatuor enim simplicia corpora, tametsi per se bona sint, et ipsius
» uniuersi ornatum faciant, tamen immixta corpora in homeomera
» primùm, & hæc in anohomeomera referri, & ueluti horum gratia
» in rerum natura existere, quis est qui dubitet? ac propterea ab anti-
» quioribus elementa appellata?

Hæc tantùm abest, ut quod illi propositum est, ostendant, ut contrarium etiam maximè confirment. Pugnant enim cum Aristotele, et ijs, quibus ipse tantùm tribuit, expositoribus. Pugnant autem cum ipso Aristotele, qui lib. I. de Cœlo & Mundo,

» *Scientia, inquit, de natura ferè plurima uidetur circa corpora,*
» *& magnitudines, & horum existentes passiones & motus, adhuc au-*
» *tem & circa principia, quæcunque talis substantiæ sunt. Natura e-*
» *nim constantium hæc quidem sunt corpora & magnitudines, hæc*
» *autem habent corpus & magnitudinem, hæc autem principia ha-*
» *bentium sunt.*

Sic igitur argumentor, Eorum quæ natura aliqua constant, sunt simplicia corpora, quæ dicuntur elementa. Scientia autem naturalis est primò de his quæ natura constant: ergo est de simplicibus corporibus, quæ sunt elementa. Hæc autem simplicia connumerari inter corpora ea quæ natura constant, cùm satis ostendit Aristoteles loco citato, ubi uoce Corpora nō potest aliud intelligere nisi simplicia, cū uerbis illis Habentia corpora intelligat sine dubio mixta: tū etiam II. de Physico auditu lib. docet his uerbis:

» *Eorum quæ sunt, alia quidem sunt natura, alia uerò propter alias*
» *causas. Natura quidem sunt animalia quæq;, & partes ipsorum, &*
» *plantæ, & simplicia corpora, ut terra & ignis, & aqua. hæc enim,*
» *& huiusmodi: à natura esse dicimus.*

Quòd si probat Aristoteles, scientiam naturalem esse de corporibus, propterea quòd natura constant: quatuor autem elementa natura constant, ut quæcunque alia: quî dubitari potest, quin per se de illis sit, quæ per se natura constant: habent enim in se ipsis principium motus & quietis.

Hoc item docere, confirmareq; uidentur ea quæ scripsit initio eiusdem tertij lib. de Cœlo: ubi luce clarius ostendit, oportere etiam de quatuor illis simplicibus agere, quòd natura constant. eius autem uerba hæc sunt:

» *De primo igitur cœlo, & partibus, adhuc autem de in ipso latis*
» *astris, ex quibus constant, & qualia quidem natura sint, adhuc autem*
» *quoniam ingenita & incorruptibilia, pertransiuimus. Quoniam au-*
» *tem eorum quæ natura dicuntur, hæc quidem sunt substantiæ, hæc au-*
» *tem operationes, et passiones horum: Dico autem substantias quidem*

simplicia

plicia corpora, puta ignem, & terram, & coëlementa, & quæcunque "
ex his: puta etiam totum cœlum, & partes eius, & iterum animalia, "
& plantas, et partes horum: paßiones autem, & opera, motus horum "
uniuscuiusque, & aliorum quorumcunque sunt causa ista elementa, "
secundùm uirtutem ipsorum: adhuc autem alterationes, & inuicem "
transmutationes: manifestum, quia de natura scientiam plurimam ac- "
cidit de corporibus esse. omnes enim naturales substantiæ, aut cor- "
pora sunt, aut cum corporibus generantur, & magnitudinibus. "
hoc autem palàm est ex distinctione, qua emersere, quæ sunt natu- "
ra, & ex singulorum etiam contemplatione. De primo igitur ele- "
mentorum dictum est, & quale quid secundùm naturam, & quo- "
niam incorruptibile, & ingenitum. Reliquum autem de duobus di- "
cere. simul autem accidet de his dicentibus, de generatione & cor- "
ruptione inquirere. "

Ex quibus sanè liquet, Aristotelem docere, in philosophia naturali agendum esse de elementis per se, propterea quòd cum natura constent, per se natura ipsa constant. Quod si hæc ratio nulla esse dicatur, non ostendet Aristoteles, in philosophia naturali agendum esse de aliquo corpore. Sed cum docuit Aristoteles, naturalem scientiam esse de corpore, propterea quòd ipsum corpus natura constat, dixit, cum de primo elementorum, hoc est de cœlo egisset, reliquum esse, ut de duobus grauibus & leuibus ageret, intelligens quatuor elementa. patet autem, ipsum nuncupasse cœlum elementum. Præterea quo medio probauit agendum esse de cœlo, eodem probat agendũ esse de elementis. At ratio illa probat, cœlũ per se considerari: ergo idem etiam de elemẽtis probat. Item in philosophia naturali pertractat affectus IIII. elementorũ, ut sunt corpora, quæ natura cõstant. ergo pertractat ipsa elementa, ut natura cõstant: sic enim tractari debent, quo modo de ipsis probantur affectus: per se igitur tractantur. quę enim in philosophia naturali considerantur, ut natura constant, per se considerantur, ut ex locis citatis patet. Antecedens autem confirmatur, tum ex his quæ in fine textus citati scripta sunt, tum etiam ex eis quæ libro primo de Generatione tradit Aristoteles his uerbis:

De generatione autem, & corruptione natura generatorum, & "
corruptorum, & uniuersaliter de omnibus, & causas simpliciter di- "
uidendum, & rationes eorum determinandum. "

Et eodem libro, textu quadragesimo tertio:

Quoniam autem primùm de materia, & de uocatis elementis dice- "
re, siue sint, siue non, et utrũ sempiternum unumquodque, aut generatur, "
et si generatur, utrum ex se inuicem, omnia eodem modo, aut si aliquod "
primò horum. ista enim conueniunt eis, ut constant natura, & remoto "
omni extrinsecus existente. "

Tractantur ergo ut natura constant, atque ita per se à philosophia naturali.

naturali. Item lib. primo Meteororum, epilogo colligens hæc quatuor, uidetur ostendere, illa per se tractata esse, his uerbis:

» *De primis quidem igitur caussis naturæ, & de omni motu naturaliter. Adhuc autem de secundùm superiorem lationem præordinatis astris, & de elementis corporalibus, quot, & quæ, & de ea quæ inuicem permutatione, & de generatione & corruptione communi, dictum est prius.*

Huiusmodi enim pertractatio fit ex natura eorum, non quatenus ad aliud referuntur, ut patet. Dissentit igitur Iacomellus ab Aristotele. Sed quoniam grauius peccari putat, si quis ab expositoribus dissentiat, quàm ab ipso Aristotele, citabimus expositores ipsos, in quibus Simplicius hæc scribit:

» Ad alios autem expositores dicendum, quòd non uidetur sermo de quatuor elementis in his, præter necessarium, neque simpliciter, præter theoriam de cœlestibus, assumptus esse, sed principaliter de ipsis docet. Etenim (ut alia omittam) dimidium ferè totius negocij scimus esse sermonem de illis. Sed etiam post doctrinam de cœlestibus, quam in duobus primis negocijs tradidit, incohans tertiũ procemio utitur, continuationem lib. seruans: & ostendens, quòd naturale negocium circa corpora est, tanquam eandem intentionem habentibus etiam duobus ultimis libris.

Deinde intulit:

» De primo igitur elementorum dictũ est, & quale quid secundùm naturam, & quod incorruptibile, & ingenerabile. reliquum autem de duobus dicere: duo dicens, coëlemantionem leuis, & grauis.

In prooemium autem Meteororum:

» Simpliciter, inquit, scripsit hæc. de primis quidem igitur causis naturæ, & de omni naturali motu, adhuc autem & de astris dispositis secundùm superiorem lationem, & de elementis corporalibus, quot & qualia, & de transmutatione inuicem, & de generatione & corruptione corporum dictum est prius.

In his igitur post pertractationem naturalium principiorum, ut in hoc uidelicet negocio, neque de Mundo ait egisse Aristotelem, ut Alexander putat: neque de diuino & perpetuo corpore tantùm, ut posteriores expositores. Sed de elementis corporalibus principaliter, quot sint, & quæ. Et paulo infrà:

» Hic de simplicibus corporibus loquitur, quæ quidem à principijs naturalibus constant immediatè, & partes uniuersi sunt: quorum quidem primum est cœleste corpus, à quo tanquam à digniori negocium intulit. Post illud autem, quæ sub luna sunt, quatuor elementa compositorum corporũ: de omnibus his, tanquam de primis, facit sermonem, propter quod & elementa omnia uocauit, non quæ sub luna solùm, sed etiam cœlum. quãdo de primo quidem igitũ elementorũ, in quantũ & ipsum est corpus simplex: quoniã nõ utiq; dicitur propriè elementũ cœlũ, neq; enim cõponitur aliquid ex ipso.

Nec

Nec ita multo pòst:

Quòd autem de ſimplicibus, & primis corporibus ſit negotium " conſequens naturali de naturalibus principijs, manifeſtat proœmiũ " duorum primorum librorum inchoans, in quibus de cœleſti loqui- " tur corpore, & duos ultimos inchoans hoc fuiſſe ſe dicit, quòd de na " tura ſcientia circa corpora eſt, ut horum paſsiones, & motus, tanꝗ " primò de primis corporibus ſermonem faciens. "

Ex quibus quidem Simplicij uerbis luce clarius apparet, ita ſenti- re Ariſtotelem, elementa primò à naturali philoſophia pertractari oportere. Patet etiam, textus eos quos ipſi in hanc ſententiam citaui- mus, recte ex eius quoꝗ opinione citatos eſſe. Quod cum ita ſit, diſ- ſidet homo iſte cum Simplicio, quo cum tamẽ diſsidere abſurdiſsi- mum exiſtimauit ſic, ut in me grauiſsimè ſit inuectus, qui auſus ſim ab eius, cæterorumꝗ expoſitorum ſententia recedere.

SECTIO III.

Sed quid de Simplicio? cum hac in re homo iſte facilè id aſſerat, quod Auerroi ſuo apertiſsimè aduerſetur? quem ta- men ipſe animam Ariſtotelis & exiſtimat, & ſæpe uocat: illudꝗ uulgò gloriari ſolitus eſt, multos annos ſe publicè eius Commentarios, perinde atꝗ alterum Ariſtotelem interpretatũ eſſe. Quare meritò quidem ac iure optimo ſtomachetur Auerroës, maximeꝗ excandeſcat, quòd homo is, qui tantòpere ſuam profite- tur doctrinam, in re tamen tam perſpicua, tam temerè ab eo diſceſſe- rit, atꝗ in alia omnia iuerit, cum ipſe tamẽ in libro tertio de Cœlo & mundo, textu primo, quid ſentiret, teſtatum reliquerit his uerbis:

Volumus modò dicere de duobus corporibus, ſcilicet graui, q̃d " eſt terra & aqua: & leui, quod eſt aër & ignis. et quia uult incipere lo " qui de eis, in quo uult incipere de eis, & eſt quod primò uult conſide " rare, utrum generatio ſit, aut non ſit, & ſi eſt, utrum in rebus compo " ſitis, & in ſimplicibus, etſi eſt rebus in ſimplicibus, & compoſitis, u- " trum ſit in eis propter corpora ſimplicia, aut propter alia. conſidera- " tio enim de omnibus iſtis eſt proprium corporibus ſimplicibus qua " tuor. & ideo hæc conſideratio de eis, differt à cõſideratione de eis in " libro de Generatione & corruptione. Illic enim non conſiderat de " eis, niſi propter conſiderationem de compoſitis generalibus, & con " tingentibus. Hic autem conſiderat de eis, in quantum ſunt partes " mundi, & conſiderat de generatione & corruptione, quoniam ſunt " accidentia eſſentialia eis. Hic igitur conſiderat in eis, in quantũ ſub- " iectum ſunt: illic autem, in quantum ſunt cauſæ. & in hac ſcientia de- " bet compleri conſideratio ſecundùm ipſos duos modos, ſecundùm " cauſam ſcilicet, & ſubiectum. "

In calce item eiuſdem libri, cum multa alia dixiſſet, intulit,

Et fecit hoc hic, & non in libro de Generatione, quia maior pars " opinionum falſarum dictarum de eis, hic nõ fuit dicta de eis, in quan " tum ſunt elementa, ſed in quantum ſunt primæ partes mundi, ut di- "

„ centes ea esse composita ex superficiebus, aut ex partibus mundi ui-
„ sibilibus: aut dicentes, ea esse non generabilia, neque corruptibilia: aut
„ dicentes ea esse non elementa, aut dicentes ea esse generabilia & cor
„ ruptibilia. & omnes hæ quæstiones non nisi in quantum sunt par-
„ tes mundi, non in quantum elementa sunt.

Hoc idem etiã paulo pòst sentire se, apertissimè ostendit. Cum igi tur ex Auer. sententia (utcunque sit quod ad nõnulla attinet, quæ præ terea dicit) in lib. de Cœlo quatuor illa corpora tractent̃, quatenus sunt corpora naturalia simplicia, & partes mundi, non ut elementa: prius aũt partes mundi sint, & corpora simplicia, quàm elementa: consequens est, ut prius pertractentur in se, quàm in ordine admixta. unumquodque enim prius est in se, quàm ad aliud referat̃. Iure igit̃ profectò succenseat huic homini Auer. nisi potius eius uicẽ doleat, qui non ab ijs modo temerè dissentit, quos sequit̃, sed secum etiã quàm sæpissimè pugnat. Hanc item fuisse D. Thomæ sententiam, optimi (mea quidem sententia) inter Latinos interpretis, declarare uidentur ea quæ ipse in primo de Cœlo & mundo libro, ita scribit:

„ Et ideo rationabilius dicendũ uidetur, secundùm sententiam Ale
„ xandri, quod subiectũ huius libri sit ipsum uniuersum, quod dicitur
„ Cœlũ, uel mundus, & quod de simplicibus corporibus determinat̃
„ in hoc lib. secundùm quod sunt partes uniuersi. Cõstituitur aũt uni
„ uersum corporeũ ex suis partib. secũdùm ordinẽ situs. Et ideo solùm
„ de illis partib. uniuersi determinat̃ in hoc libro, quæ primò & per se
„ habẽt situm in uniuerso, scilicet de corporib. simplicibus. Verùm de
„ quatuor elementis nõ determinatur in hoc lib. secundùm quod sunt
„ calida & frigida, uel aliquid huiusmodi, sed solùm secundùm graui-
„ tatem & leuitatẽ, ex quibus determinat̃ eius situs in uniuerso. Alijs
„ autem partibus uniuersi, puta lapidibus, plantis, & animalibus, non
„ determinatur situs secundùm se, sed secundùm simplicia corpora, &
„ ideo de his nõ in hoc libro agendum est. Quod si D. Thomas nõ uult, ibi agi de quatuor illis corporibus, quatenus sunt calida, aut fri gida, sed quatenus partes sunt uniuersi: quatenus autem calida sunt, aut frigida, sunt elementa, quoquo modo sese res habeat, illud sentit, non agi de his quatenus elementa sunt, agitur ergo quatenus sunt talia corpora. Quare primò non ordinata sunt ad alia, cum ante sint ipsa per se, agaturque de illis quatenus talia sunt. si enim admixta ordinarent̃, nõ potuisset de eis primò & principaliter agi. Sed cũ id Aristoteles atque eius interpretes afferant, dubitandum non est, quin primùm per se tractent̃, deinde ad alia referant̃, hunc enim ordinem rationemque obtinent. Ac tametsi propter hunc ordinẽ elementa dicuntur, tamen nihil obstat, quo minus corpora illa quæ uocant̃ elementa, cũ alterius rei causa considerent̃, possunt tamen ipsa etiã per se cõsiderari. Aristoteles etiã appellauit cœlum elementũ, cum tamen de eo principaliter ageret. Quare ex eis quæ tradit Aristoteles, ita uidemur aduersus hunc hominẽ argumentari posse. Si elementa ad mixta referunt̃, neque tamẽ id, ut censent expositores, obstat, quo minus

ipsa

ipſa per ſe tractentur: nulla erit ratio illa, Definitio ad demonſtrationem refertur, ergo ipſa per ſe in Logica non conſideratur.

Item uidetur ſecū pugnare, cum dicat, ſimplicia corpora eſſe ipſa per ſe bona, atq; uniuerſum exornare, ſed tamen primò ad mixta corpora referri, atq; eorum gratia in natura eſſe. Nam ſi ipſa per ſe bona ſunt, atque uniuerſum exornant, non ſunt alterius rei cauſa bona. Quòd ſi propter aliud, nempe propter mixta bona ſunt, nō ſunt per ſe bona. A' ſeipſo igitur bellus hic homo belliſsimè diſſentit. Conſequens autem oſtenditur, cum I. Ethic. lib. cap. VII. ubi docet Ariſtoteles bona dici, alia propter ſeipſa, alia propter alia: tum etiam I. Poſter. lib. uerbis illis: Omne enim aut per ſe, aut per accidēs. Quòd ſi per accidens bona ſunt, nō ſunt per ſe. Pugnantia igitͅ (niſi fallor) homo iſte ſcribit, qui ait, corpora illa eſſe per ſe bona, atq; alterius rei cauſa in primis bona. Quòd ſi dicat (quod tamen ex uerbis eius, ſi diligentius cōſiderentur, nō ſatis cōmodè elici poſſe uidetur) intelligere ſe, elementa eſſe mixtorū gratia nō principaliter, ſed ſecundo loco, tunc noſtrā maximè tuetur opinionē, tantùm abeſt ut ſuam ullo modo cōfirmet. Diximus enim in procemio libelli noſtri, definitionem ſui ipſius gratia primò cōſiderari, atq; ut eſt definitio, & ipſum quid eſt explicat. Per accidens autē, ut eſt medium: accidit enim illi, ut ſit medium. id quod ſatis colligi poteſt ex eis quæ hoc loco de elemētis diſputat. Quare id laboris temerè, fruſtraq; omnino ſuſcepit. II. ſuæ ipſius opinionis euerſio.

Quod uerò ad ea attinet quæ ſubdit, concedimus, neceſſariò diſcenda eſſe ſimplicia illa, ex quibus conſtet id quod cōpoſitum ſit, ſi perfectam abſolutamq; uolumus eius compoſiti cognitionem conſequi: hoc enim ſibi uolunt ea quæ citauit ipſe, Ariſtotelis loca. Sed cum infert, nulla ſimplicia, quòd ad compoſiti cognitionem neceſſaria ſunt, eſſe primò per ſe in natura, itaq; conſiderari: hoc uerò negamus conſequi. Quod quidem ille, cum neque ratione, neque Ariſtotelis auctoritate tueri poſsit, ob ea quæ ſuprà diximus: reliquum eſt, ut probet per Strodum, per Occam, per Paulum Venetum, quos ab ineunte ætate ſecutus eſt. His autem cum nihil commune ſit (ut apud omnes conſtat, qui paulùm modò in Ariſtotele uerſati ſunt) cum Peripateticorum doctrina, quam unam ipſi nobis ſectandam propoſuimus: illos ego ſemper abijciendos putaui. itaque improbo eam, quam ab illis Iacomellus petit, rationem. Ex quibus quidem ſatis perſpicuum eſſe arbitror, non rectè illud dictum eſſe, quod ſimplicia ad compoſita ordinentur, inſtrumentum id quo ipſa ſimplicia diſcuntur, referri ad ea, ad quæ referuntur ipſa ſimplicia, quæ quidem ſunt compoſita. Oſtenſum eſt enim, non omnia ſimplicia ad compoſita primò referri: conſtatq;, ipſum quid eſt non referri ad ſi eſt, neque ad quale eſt, neque ad propter quid eſt. eſſentia enim non ordinatur ad accidentia. Quod cum ita ſit, illud planè ſequitur contra eius ſententiam, ut definitio, quatenus eſt definitio, hoc eſt docet quid eſt, nō ordinetur ad demonſtrationem, propterea quia ipſum quid eſt nō ordinatur ad ea quæ demonſtratione di- Reflexio argumēti.

 ſcuntur,

ſcuntur, id quod ex eius argumento elicitur. Quî enim adduci quiſquam poteſt, ut exiſtimet, definitionem primò referri ad ſyllogiſmum? cum definitionis ſubſtantia, ut eſt definitio, ſit oratio quæ explicat quid eſt: quatenus autem explicat ipſum quid eſt, nullo modo referri poſsit ad demonſtrationem. Ita enim quid eſt diſceretur demonſtratione: cuius tamen contrarium tot rationibus oſtendit Ariſtoteles II. Poſter. libro.

SECTIO IIII.

QVod autem ad alteram eius rationem attinet, negamus, Ariſtotelem tertio de Anima libro docere, primam intellectus poſsibilis operationem, naturæ ordine ad ſecundam ipſius intellectus operationem referri, atque hanc ad poſtremam. Nam ſi eo libro uſquam id tradidit Ariſtoteles, docuit his quæ ſequuntur uerbis:

„ *Indiuiſibilium quidem igitur intelligentia in his eſt, circa quæ nõ eſt falſum: in quibus autem et falſum, iam & uerum, compoſitio quædã iam intellectuum eſt, ſicut eorum quæ unum fiunt, quemadmodum Empedocles dixit, uerè multorum quidem capita ſine ceruice germinauerunt, poſtea compoſita ſunt, ut aſſimetros, & diametros.*

Sed his uerbis nihil uidetur aliud oſtendere, niſi intellectum, cum intelligit indiuiſibilia, intelligere ea, in quibus non eſt neque uerum, neque falſum. cum autem intelligit ea in quibus eſt aut uerum, aut falſum, tunc eſſe compoſitionem eorum quæ ab intellectu intelliguntur: quæ quidem compoſitio fit ex his quæ prius ſeiuncta erant. At ex eo non infert Ariſtoteles, ſimplicia illa non eſſe prius propter ſe, ſed propter compoſita, id quod probandum fuerat. Nos enim illud dicimus, fieri poſſe, ut multa ſint propter ſe, quibus tamen accidat, ut ad alia referantur.

Deinde oſtendimus libello noſtro, definitiones omnes, & ſimplicia, quæ ſunt in Logica, tractari, quatenus rediguntur ad opus, non ſimpliciter & abſolutè: ita enim in Prima philoſophia pertractari. Quare minimè mirum uideri debet, dixiſſe nos, definitionem nominis & uerbi, cæteraſq; definitiones, quæ ſunt in libro Perihermenias, ad enunciationem referri, ut ex ipſis illud concluderetur, enunciationes conſtitui ex nominibus & uerbis. Quinetiam ex eo intulimus, cum ibi reſpectiuè tractarentur, alibi neceſſariò abſolutè conſiderari, ut in Prima philoſophia. Ita facilè cõſtat, hoc maximè noſtræ fauere opinioni, ſi definitiones dicantur ſecundo loco ordinari ad demonſtrationes, per ſe uerò ad ſciendum quod quid eſt. ita enim ordinantur per accidens, per ſe autem abſolutæ ſunt. Sic nullam apparet eſſe hominis huius rationem: ex qua ſequitur id quod nobis propoſitum fuit, nõ quod ipſe arbitratur. Quod uerò ſubiungit,

Si definitio ſui etiam ipſius gratia tractaretur, uel (ut ipſe loquitur) ſi eſſet æquè primum inſtrumentum, ac ſyllogiſmus, futurum fuiſſe, ut de ea in aliqua parte Logicæ ageret Ariſtoteles, non alterius,

rius, sed eius ipsius causa, id planè concedimus, arbitramurq́, de ea illum egisse II. Poster. libro. Sed de his plura inferius, ad quem locum nos reÿcimus.

Quod uerò subdit, Si diligenter attendatur, cōtra illum maximè facit. ait enim, Demonstrationem ex locis ÿs quæ I. Prior. lib. citat, « Logicæ finem esse, ac propterea de illa proximo uolumine, hoc est li « bro Posteriorum, ut de primario subiecto, ac tanq̃ scopo, esse per- « tractatum: De definitione autem ipsius demonstrationis gratia. re- « ferri enim in facultatibus cętera omnia ad id quod in primis tractat. « Nam si demonstratio finis est, ut ipse scribit, aut finis est Logicæ uni « uersalis, aut particularis. Si finis est Logicæ uniuersalis, demonstratio erit totius Logicæ uniuersale, primumq́ subiectum: ex eo enim quod finis est, probat ipse illam esse subiectum. quare ut finis est, ita necessariò est subiectum, si ualet eius ratio. At ponit, subiectū huiusmodi esse syllogismum simpliciter, ut suprà demonstratum est, atq; inferius etiam demonstrabitur: secum igitur pugnat. Quod si intelligat, esse ultimum finem, atque omnium præstantissimum, nihil planè contra nos concludet: ex eo enim non sequitur, ut definitio sui ipsius causa pertractari nō posisit. Nam ex eius sententia, quamuis demonstratio sit ultimus finis, maximeq́ principalis, tamen agitur de syllogismo Dialectico per se, ut scribit ipse capite tertio. Illud ergo quod demonstratio sit tale subiectum, nihil obstat, quo minus definitio II. Poster. lib. per se consideretur, quod tamen ipse negauerat. eadem enim de causa syllogismus Dialecticus non tractaretur per se. Sic ea quæ citauit Aristotelis loca, ex primo Priorum libro,

Primùm ostendendum circa quid de quo, quoniam circa demon- « strationem demonstratiuæ disciplinæ: «

Nihil ab eo faciunt. cogitur enim ratione sic illa exponere, quemadmodum nos infrà exponemus. Ita negatur eius argumentū, cum ait, In lib. Poster. agitur de demonstratione (ut agatur etiā, quomo- « do ipse dixit) ergo de definitione demonstrationis gratia, nō per se.

Quod uerò ad illam rationem attinet, quam infert: Quia habent « in facultatibus relatum, & cætera, ad id quod primæ atq; potissimæ « considerationis ponitur: hęc uerba contrarium magis, quàm quod ipse putat, nobis uidentur ostendere, quippe quæ illud significant, demonstrationem esse subiectum primum, & adæquatum, ut eius uerbis utar, quæ tamen Burlei sunt. Nam id ad quod omnia referuntur, cuiusq́ gratia tractantur omnia quæ in aliqua facultate sunt, est huiusmodi subiectū. Non omnia autem quæ in aliqua facultate tractantur, referuntur ad primam illius facultatis speciem sic, ut per se non tractentur. Neque enim in philosophia naturali omnia considerantur, aut propter cœlum, quæ est principalissima pars corporis naturalis: aut propter illius, specierum úe accidentia: quæ tamen omnia ad perfectam ipsius generis cognitionem pertinēt. Scribit enim Aristoteles I. Poster. lib. cap. XVIII.

» *Vnam esse scientiam, quæ unius generis partes, & passiones*
» *quæ per se sunt, consideret.*

Ex illis igitur uerbis uidetur sentire Iacomellus, demõstrationem esse primum subiectum, & uniuersale totius Logicæ. non enim ad aliud subiectum, nisi ad uniuersale, referuntur cætera quæ in quaque facultate sunt sic, ut non per se tractentur. Ex eo autem sequitur, ut demonstratio non sit principalissimum subiectum, sed uniuersale, & adæquatum. A' seipso igitur dissentit, quippe qui contrarium ante scripsit.

III. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

SECTIO V.

QVod uerò subiungit (quod quidē ab Eustratio, Ioanne Grammatico, nonnullisq; istorum recentiorum petijt) nō modo opinionem suam non tuetur, sed nostram maximè confirmat. Quo facilius autem rei ueritas perspici possit, simul & multa dissoluantur, quæ uidentur lib. Posteriorum euertere, non grauabimur altius repetere, atque è proposito (quod tamen necessariò faciendum existimamus) paulisper egredi, præsertim cum non illud nobis tantummodo propositum sit, ut Iacomello respondeamus (huius enim argumentorum omnium dissolutionem satis ex his quæ nostro libello scripsimus, elici posse arbitramur) sed ut multa præterea, quibus lapsi uidentur interpretes, exponamus, ea'que tueamur quæ in nostris Institutionibus posuimus, atque alibi etiam ponemus. Cum finis igitur Logicæ facultatis (ut ostensum est in procemio nostri Commentarij) esset docere, quemadmodum conficerentur ea instrumenta, quibus instrumentis discuntur omnia quæcunque disci possunt, idq; ob eam quam eo loco ostendimus, causam: cumq; demonstratio sine ulla controuersia instrumentum esset quod scientiam efficeret, necessariò docendum fuit in Logica, quemadmodum conficeretur ipsa demonstratio, expositis prius his quæ ad demonstrationem pertinerent: id quod præstitit Aristoteles primo Posteriorum libro. Consequens autem deinceps erat, ut doceret, quó nam pacto constitueretur definitio, cum ipsa quoque instrumentum sit perdiscendi unum ex quatuor illis quæsitis, quid est scilicet. Quoniam uerò non uidebatur necessariò agendum esse de definitione, quatenus esset instrumentum (demonstratio enim perspicuè faciebat scire, eaq; ipsa uidebantur disci omnia quæ dubia essent: quod quidem si ita fuisset, nihil opus erat ullo alio instrumento. unius enim rei, quatenus una est, est una omnino scientia) ne uideretur Aristoteles temere, frustraq; id negotij suscepisse, prius ipsi quærendum fuit, num esset alius sciendi modus præter demonstrationem, ut primo Posteriorum libro innuit his uerbis:

» *Siquidem est alius modus sciendi, dicendum posterius.*

Nisi enim dubium hoc fuisset, ante de ipsa definitione egisset, ut quæ natura prior est, & à demonstratione supponitur: sed quod nō

satis

satis commodè intelligi potuit, an daretur hic ipse modus, nisi antè didicissemus, utrum omnia quæ quæruntur, cum quærantur, ut sciantur, possint demonstratione percipi, nec ne: idq; inuestigari nō potuit, nisi cognitum haberemus numerum eorum quæ quæruntur, quid item quærerent omnia quæsita: his de causis cum pertractaturus esset Aristoteles definitionem, quatenus est instrumentum, ut occurreret ijs quas diximus, dubitationibus, atque ostenderet se illam necessariò tractaturum esse, ut est instrumentum, quo discitur ipsum quid est, initio secundi Posteriorum libri, cum antè docuisset omnes demonstrationis proprietates, illud posuit, quæsita esse numero tot, quot ea quæ sciuntur, atque hæc ipsa esse omnino quatuor: conclusitq; ea quæ quærimus, & quæ inuenta scimus, hæc & tot esse, idemq; esse re quod quæritur & scitur, differre tantummodo ratione. Quo facto ob eam causam quam diximus, docuit, omne quod quæritur, medium aliquod desiderare, non quodcunque tamen medium, sed medium illud quod quæstioni satisfaciat: quod quidem aliud esse non potest, nisi id per quod statim intelligitur id, de quo dubitabatur. idq; satis ipsum per se constat: non enim quæruntur quæsita, nisi ut sciantur. Deinde quæsiuit Aristoteles, quod erat consequens, omnia'ne quęsita illa quæ medium quærunt, quærant medium, quod sit demonstratio: an quærant aliud medium, pręter demonstrationem. Quòd autem dubium non erat, quin quæsita illa si est, & quia est, & propter quid est, medium quærerent, quod mediū esset demonstratio (in his enim manifestò quæritur aliquid de aliquo, quippe quæ sunt complexa: dubitabatur autem de ipso quid est: Aristoteles omissis ijs, de quibus nulla erat dubitatio, cœpit quærere, an ipsum quid est, de quo dubitaretur, medium quæreret, quod medium esset demonstratio: quærere enim, an demonstratione sciatur, idem est, atq; id quod ipsi diximus. Deinceps ostendit, rationibus primùm demonstratiuis & proprijs, ipsum quid est non disci ex demonstratione. quod (mea quidem sententia, initio secundi capitis, apertè innuit his uerbis: Principium aūt „ sit futurorum, quod est maximè proprium habendarum rationum. „ Quarum sanè rationū illa firmissima uidetur, quod omnis demonstratio ostendit aliquid de aliquo, in definitione autē non dicitur aliquid de aliquo. Ex quo quidē sequit̃, ut definitio cōcludi nō possit demonstratione: neq; item quid est, quod definitione explicatur.

Deinde, rationibus ex aduersariorum opinione ductis, ostendit ipsum quid est disci non posse demōstratione, cum quæsiuit, utrum ipsius quid est syllogismus esset, an demonstratio, an neutrum, ut ratione docuerat. Quòd si, inquit, ita disci posset (ut aliquis fortè obstinatius putet) necesse esset in utraque propositione demonstrationis esse ipsum quid est. Sic in dubio uerteretur, quod initio positum esset, tanquam manifestum.

Quoniam autem re uera fieri non potest, ut unius rei plures sint definitiones, necessarium fuisse uidetur, ut diceret illam rationem

esse ad homines. Deinde, quòd aliquis facilè existimare potuit, ipsum quid est perdisci diuisione, & quibusdam alijs instrumentis, ostendit, illud percipi nullo modo posse, neque ex diuisione, neque ex Methodo definitiua, neque ex syllogismo à contrarijs, neque ulla alia uia, qua illud perdisci posse existimaret aliquis, eandem scilicet ob causam, quod in dubio uerteretur id quod initio positum esset, tanquam manifestum. His absolutis, ut res melius perciperetur, disputare cœpit, ipsum quid est non posse etiam definitione intelligi, quod ex eo sequeretur, ut posset esse sine si est: quod quidem maximè absurdum uideretur, idq; eo textu explicatur, cuius initium est,
» Amplius quomodo monstrandum quod quid est homo, &
» quæ sequuntur. Postremò, cum tacitæ cuidam dubitationi satisfecisset, probare cœpit, ratione deducente ad id quod fieri nequit, contrarium, quod'que uerum esset, uidelicet ipsum quid est definitione explicari, id'que ex his quæ concessa essent, definitione disci ipsum quid est, aut certè quid nomen significat. Quod si, inquit Aristoteles, aduersarius neget, definitione sciri ipsum quid est, definitio explicabit quid nominis. id autẽ cum penitus falsum sit, quod ex eo multa sequuntur quæ maximè sunt absurda, definitio explicat quid est. Quòd autem Aristoteles rationes attulerat, quæ cõtrarium concluderent, simul ut ueritas melius perciperetur, intulit:

» *Speculandum esse iterum, quid ex his rectè diceretur, quid con-*
» *trà: item quid definitio esset, utrumque ipsius quid est aliquo modo*
» *esset demonstratio, & definitio, quomodo autem non.*

Itaq; ostendit, iterum se quæsiturum, quod iam alia uia rationeq; quæsierat: ac demum lætatur, sese rationem inuenisse explicandi ipsum quid est, per aliud quid est eiusdem rei. Quòd autem (ut diximus) re uera id fieri non poterat, subiunxit.

» *Hic quidem igitur modus quod non sit demonstratio, dictum est*
» *prius: dictum est enim, quod petit id quod est in principio.*

Sed est probabilis & famosus, atque idcirco eam rationem Logicam appellauit. Deinde ait, uelle se iterum quærere, utrum quid est sciatur demonstratione. & infert, quotiescunque ipsum quid est per essentialia discatur, demonstratione perdisci: idq; eclipsis exemplo docet, cum intelligimus eam fieri per interpositionem. Deinde
» subdit, notum esse, sicut accipitur quod quid est, & notum sit, di-
» ctum est prius. Quare ex eis quæ dicta sunt, manifestum est ipsius
» quod quid est non esse syllogismum, neque demonstrationem, tanquam quod ex his concludatur: manifestum tamen est per syllogismum, & per demonstrationem, quia simul est notũ cum si est, quod per ipsum demonstratur. tunc enim est medium illius demonstrationis: quod cũ est extractũ ex illa prædicatione, est quod quid est.

Mox infert, nunq; fieri, ut ipsum quid est sine demonstratione discatur, cuius aliqua sit causa, ut superius dictum est. Nam si causa

est,

est;quæ ostendi poſsit, habebit cauſam, per quam oſtendi poterit. conſtat enim, ea quorum eſt demonſtratione,non tamen eſt demonſtratio,ut in oppoſitionibus dictum eſt,ſed Logicus ſyllogiſmus.

Quoniã uerò ex eis quæ de huiuſmodi cauſis diſſeruerat, ut oſtenderet, illas demonſtrari, dubitare potuit aliquis, nũquid omnes demonſtrari poſſent, oſtendit, non omnes percipi demonſtratione. eas enim quæ nullum habent medium,concludi non poſſe:quæ autem medium aliquod habent, oſtendi, non tamen demonſtrari.

Quia uerò ſuprà dixerat,ſpeculandum eſſe iterum, quid ex his recte diceretur, quid contrà, item quid eſſet definitio, utrumq; ipſius quid eſt,aliquo modo eſſet demonſtratio,an definitio,an neutrum, cum oſtendiſſet, quemadmodum ipſius quid eſt eſſet demonſtratio,quemadmodum rurſus non eſſet: docere cœpit, quid ſit definitio,atque eius ſpecies.& definiens definitionem docuit,ipſum quid eſt percipi definitione. Rationes autem, quibus uiſus eſt probare, ipſum quid eſt non percipi definitione, idcirco expreſſe non diſſoluit,quod earum diſſolutio ex eis quæ dicta erant,facilè elici poſſet.

Poſtremò epilogo collegit ea quæ nouiſsimè dixerat. Quibus abſolutis docendum fuit, quó nam pacto cõficeretur definitio. ſatis enim iam conſtabat,demonſtratione non ſciri ipſum quid eſt, ſed eſſe alium ſciendi modum, quæ eſſet definitio. Sed quoniam ex his quæ de cauſis dixerat, oſtendens alias quidem demonſtrari, alias uerò non demonſtrari, potuit aliquis facilè exiſtimare, eas cauſas quæ demonſtrantur,non demonſtrare,quæ quidem fuiſſet maximi erroris cauſa: Ariſtoteles, ut hunc ipſum errorem auerteret, plenioris cognitionis cauſa, antequam ad id quod ſibi in primis propoſitum eſſet, aggrederetur, oſtendit cauſas omnes demonſtrare. Quod autem à propoſito ita egreſſus ſit Ariſtoteles,cum alia multa ſatis argumento ſunt (neque enim attinebat eo loco, quæ iam tractare cœperat,intermittere) tum illud maximè uidetur declarare, quòd in fine cœptæ illius pertractationis cauſarum, atque eorum quæ cum illa ipſa pertractatione apta,coniunctaq; erant, epilogo collegit ea quæ ante pertractationem illam dixerat, atque cum his connexuit quæ inſequebantur.

« *Quomodo igitur quod quid eſt, inquit, in terminos aſsignatum eſt, & æqualiter demonſtratio, & definitio ſit ipſius, aut non, dictum eſt prius. Quomodo autem oporteat uenari prædicantia in eò quod quid eſt, nunc dicamus.*

Cum Ariſtoteles igit̃ epilogo collegerit ea quæ ante pertractationem illarum cauſarũ tractauerat, eaq; ipſa cum his cõnectat, quæ de definitione dicenda relinquebantur, cumq; liquidò appareat, hæc ipſa non ſequi ex illa cauſarum pertractatione: dubitari non poteſt, quin de cauſis per accidens egerit: quod quidem (ut ex primo Poſteriorum libro,multiſq; alijs locis conſtat)non eſt præter conſuetudinem Ariſtotelis: quam fortaſſe ignorans Linco.cũ uellet cauſam

illius

illius pertractationis reddere, nonnulla dixit, quæ (mea quidem sen tentia) aliena sunt à Peripateticorum doctrina.

Alij item expositores, cum putarent aliud sibi uelle Aristotelem, atq; ipsi docuimus, totum illum Posteriorum librum maximè perturbarunt, ut ex his quæ eo ipso libro scribit Aristoteles, quæq; nos suprà diximus, facilè intelligi potest. His quæ diximus declaratis, ingressus est Aristoteles ad docendum, quod in primis quidem sibi propositum erat, quó nam pacto conficerentur definitiones, atque inuenirentur, quatenus sunt instrumenta sciendi ipsum quid est. Ex quibus quidem illud patêre uidetur, quæ ab initio secundi libri ad illas usque proprietates definitionis dixerit Aristoteles, hæc illum dixisse, ut ostenderet se non ab re, falso úe tradere proprietates ipsius definitionis, ut est instrumentum sciendi ipsum quid est, sed uerè ac necessariò, cum ille sit huius facultatis finis, quem sæpe iam nos demonstrauimus. Quare maximè quidem ad rem faciunt, referendaq; sunt in procemia communia, quæ à seipso, & ab aduersario ducuntur, cum ea quæ ad calumniam pertinerent, dissoluta sunt. Ex quibus illud etiam colligi potest, rectè nos ex quatuor illis quæsitis, & scitis ostendisse in procemio nostræ Institutionis in librũ Perihermenias, & Commentarij, necessitatem Logicæ facultatis. Nam quemadmodum secundo Posteriorum libro docuit Aristoteles, ex eo quod quid est definitione scitur, agendum esse de ipsa definitione: ita pari ratione, quoniam quæsita illa si est, quia est, propter quid est, demonstratione discuntur uerè, secundùm autem opinionem syllogismo Dialectico, consequens est, ut de his agatur in Logica, quæ omnia tanquam manifesta, omisit.

Expositis autem proprietatibus definitionis, quo plura doceret, alia problemata posuit, quibus ostendit, unde liceat inuenire media, & causas problematum, quæ proponantur: id'que propterea quod dixerat, diuisiones esse utiles ad inuestigandas definitiones. Voluit enim docere, illas etiam utiles esse ad demonstrandas conclusiones, ita'que demonstrationes: de hac enim re facilè potuit aliquis dubitare, præsertim cum in libro Posteriorum tractetur definitio & demonstratio, utraque enim unius est generis. Docuit igitur Aristoteles, quæ problemata essent eadem, quæ diuersa. dixitq; ea esse eadem, quæ idem habent mediũ: diuersa, quæ diuersum. Postremò plenioris cognitionis causa attulit Aristoteles dubitationes quasdam utiles ad ea quæ dicta erant de problematibus, ut unius'ne effectus cõtingat, plures esse causas, quæ quidẽ sunt utilia ad ea quæ dicta sunt hoc loco, & primo libro. Hæc enim (ut dixi) est doctrina unius omnino subiecti, qui est sciendi modus. quocirca in extremo illo capite collegit epilogo, id quod proposuerat in libro Priorum, simul innuens, quemadmodum egerat de syllogismo demonstratiuo, ita etiam agendum esse de syllogismo Dialectico: nullam tamen fecit mentionẽ definitionis, quòd illã nõ proposuerat in procemio, idq; propterea quia illud procemium cõmune erat, accipiendo com

mune

mune eo sensu, quo docuit Aristoteles tertio Rhetoricorum libro, non ut sit uniuersale totius Logicæ. Locutus est autem de demonstratione, conferens eam cum syllogismo, ut infrà declarabimus: quia proprium non erat illud procemium, sed solum, ut tacitis hominum dubitationibus occurreret: id quod idcirco factum est, quod nondum constabat, an agendum esset de definitione, quatenus esset instrumentum sciendi. De hac autem ipsa dubitatione suo loco differendum fuit. quod innuit Aristoteles primo Posteriorum libro, loco superius citato:

"*Siquidem est alius modus sciendi, dicendum posterius.*

Quod quidem intelligi non posse de alio modo, nisi de definitione, declarant ea quæ (uti diximus) II. Poster. lib. disputauit Aristoteles. Dubium enim erat, an ipsum quid est disci posset demonstratione: quod quidem si ita disci potuisset, nullus fuisset alius sciendi modus. Hunc autē esse illorum uerborū Aristotelis sensum, quem diximus, infrà conabimur ostendere.

SECTIO VI.

His autem, quæ demonstrauimus, explanatis, cum meminisset Aristoteles, se dixisse, demonstrationem constare ex principijs immediatis, quæ nota non fiunt demonstratione, animaduertit aliquem facilè dubitare posse, quemadmodum nota essent, & quo habitu ex quinque illis habitibus intellectus perciperentur: quamobrem, ut plura doceret, explanauit ea quæ ex his quæ dicta erant, quæri posse uiderat. Reseruauit hæc autem ad hunc locum, quo loco iam absoluisset ea quæ in primis tractanda susceperat, ut intelligeremus, hæc ipsa esse alterius facultatis, uidelicet Primæ philosophiæ, non Logicæ. Ex quibus omnibus luce clarius patere uidetur, Aristotelem secundo Posteriorū libro egisse de definitione, quatenus est definitio, id est instrumentum discendi ipsum quid est. Neq; enim tam multa disputanda fuissent, & præter rem maximè essent quatuor illa quæsita, & scita, itēq; quærere, utrum ipsum quid est sciatur demonstratione, an diuisione, & cōcludere sciri definitione, si definitio pertractata esset, ut medium demonstrationis: nam ut medium tale, nullam affert ipsius quid est cognitionem. sed traditis proprietatibus demōstrationis, continuò subiunxisset id quod in libro Priorum dixit:

"*Quomodo enim abundantes erimus demonstratione ad propositū,*
"*& per quam uiam sumemus, quæ sunt circa unumquodq;, principia,*
"*necessariò dicendum est. non enim solùm oportet considerare generationem demonstrationis, sed & potentiam habere faciendi.*

Hæc enim ipsa, nō alia ostendere poterant, agendū esse de medio, quare his usus est Aristot. I. Priorū lib. Illud etiam mitto, definitionem, si pertractata esset demonstrationis causa, debuisse præcedere demonstrationem, cum sit pars eius integralis, ac secundùm

naturam

naturam demonstrationem præcedat. Sed cur Aristoteles naturæ ordinem secutus nõ sit, illa fuit causa, quam suprà demonstrauimus. Neque tamen quisquam existimarit, de his posteriore loco agendum fuisse, quemadmodum de medio in libro Priorum: nam pertractatio illa nõ adhibita est ob syllogismum simpliciter, quatenus scilicet penitus à materia abstrahit, sed ut uel Demonstratiuus est, uel Dialecticus. quare primo Priorum libro,

" *Eorum, inquit, quæ sequuntur, quæcunque in eo quod quid est, quæcunque propria, & quæcunque ut accidentia, prædicantur, & horum quæ secundùm opinionem, & quæ secundùm ueritatem: quanto enim plurium abundans erit quis, citius inueniet conclusiones: quanto autẽ ueriorum, magis demonstrabit.*

At syllogismus simpliciter abstrahit à materia uera, seu probabili. non ergo loquitur Aristoteles de syllogismo, ut abstrahit à materia, pertinet tamen pertractatio illa ad lib. Priorum. nam docere inuenire in qualibet materia formam syllogisticam, ad eundem librum spectat. Sed cum de natura syllogismi simpliciter, hoc est de enunciationibus, & propositionibus simpliciter, quæ ab omni materia abstrahunt, egerit prius, quàm de syllogismis mixtis loqueretur, ita etiam agendum fuit de definitione, cum refertur ad demonstrationem. sic enim est pars eius integralis, ut dictum est.

Illud etiam satis declarare arbitror, concludendum esse, Aristotelem II. Poster. lib. agere de definitione, ut est instrumentum sciendi, quòd cùm id proprium sit Logicæ, duobus autem omnino locis in ipsa Logica pertractetur definitio, & II. Poster. lib. & in Top. referendo lib. Topicorum in partes Logicæ: quod tamen falsum est, nisi quod ad exiguam eius partem attinet, quæ Topica non est: in Topicis non pertractata est, quatenus est definitio: quare sequitur, ut II. Poster. lib. sic tractetur. De hac autem re necessariò agendum esse in Logica, ex his facilè constat, quòd definitio & demonstratio sunt eiusdem generis subiecti, sunt enim modi sciendi. Cuius autem facultatis est una species, eiusdem est alia: cuius item genus, eiusdem & species. id quod Aristoteles quarto Primæ philosophiæ libro, his uerbis docuit:

" *Quapropter, inquit, & eius quod est, ut ens est, quæcunque sunt species unius scientiæ genere, & specierum species contemplari.*

Eadem autem ratione, quæcunque fuerint species modi cognoscendi, eiusdem erunt scientiæ & facultatis. Huc accedit, quòd quemadmodum facultas ea quæ docet conficere demonstrationem, diuersa est ab omnibus facultatibus, quæ utuntur ipsa demonstratione: sic facultas illa quæ docet cõstituere definitionem, diuersa est ab his quæ utuntur ipsa definitione, eadem enim prorsus est ratio. Præterea si in ulla alia facultate tradi possent regulæ definitionis, traderentur potissimùm in Prima philosophia. sed fieri non potest, ut per se tradantur in Prima philosophia: ergo traduntur in Logica. Confirmatur

firmatur id quod antecedit, uel quia Prima philosophia non est ars, sed scientia, ars enim est eorum quæ fiunt à nobis: uel quia definitionem tractat propter substantiam & quiditatem, non ut arte docetur constitui.

SECTIO VII.

SIc aũt primũ philosophũ tractare (ut dixi) definitionẽ, ostẽdit Aristot. VII. Primæ philosophiæ lib. his uerbis: *Quoniam autem in principio, quot modis substãtiam* " *definimus, distinximus, atque horum unus esse ipsa quidi-* " *tas uidebatur, de ipsa nunc contemplandum esse uidetur.* "

Cum igitur de quiditate agat, agit etiam de definitione, qua exprimitur ipsa quiditas. Illum uerò loqui de quiditate propter substantiam, cum ex multis alijs septimi libri locis colligi potest, tum uerò maximè ex decimotertio textu:

Quiditas, inquit, & unumquodq; sint idem, an non eadem, sed di- " *uersa, deinceps considerandum esse uidetur. ad substantiæ namq; con-* " *siderationem hoc uehementer conducit.* "

Deinde, quòd egerat de quiditate, quæ per definitionem cognoscitur, cœpit proponere duas illas quæstiones, utrum omnis definitio sit ratio, omnis autem ratio partes habeat. atque ut ad rem sese ha- " bet ratio, sic & partes rationis sese habeant ad rei partem: utrum in- " quam, partium rationem in totius ratione inesse, ac non inesse opor- " tet. Quæ omnia declarant, definitionem hic non tractari, quatenus docetur arte constitui, sed eo modo, quo pertinet ad primum philosophum: quam quidem rem non ita multo pòst docet Aristoteles textu trigesimo quinto:

Nunc autem, inquit, primùm dicamus oportet, quod in resoluti- " *uis de definitione non diximus. ea namq; dubitatio quæ ibi non pertra* " *ctata est, ad ea sanè quæ nunc de substantia dicimus, accommodatur,* " *uehementerq; cõducit. Dico autem hanc dubitationem, propter quid* " *res definienda est, unum, cuius rationem definitionem dicimus esse, ut* " *hominis hoc, animal inquam bipes, sit enim ipsius hæc ratio, propter* " *quid igitur unum, sed non plura animal & bipes.* "

Quibus uerbis ostendit, sese definitionem pertractare ob substantiam, ac de hís agere, de quibus nihil egit in libro Posteriorum.

Neq; uerò quod subiungit, ut tollat eam quam diximus dubitationem, quicq; contra nos facit. ait enim, Atqui de definitionibus " per diuisiones conficiendis considerare oportet. Et paulo pòst:

Sed de definitionibus per diuisionem conficiendis, quales quæ- " dam sunt, tot primò sint dicta. Quæ sine dubio cum inferat, ut dissoluat dubitationes prædictas, manifestum est quod inducuntur propter aliud, non propter se, quia ut dissolueret: eam dubitationem, quam I. Periherm. lib. dixerat, alterius esse negotij. Ita autem esse (ut diximus) magis etiam declarant, quæ post illam pertractationem

ſubdit Ariſtoteles his uerbis:

» *Cũ hæc cõſideratio de ipſa ſubſtãtia ſit, redeamus rurſus oportet.*

Quod ſi reuerti uult ad id quod in primis tractabat, à propoſito egreſſus erat. At egreſsiones à propoſito fiunt per accidens eo loco, ubi nihil pertinent ad id quod in primis propoſitũ eſt. Illa igitur definitionis pertractatio ibi nõ eſt per ſe, itaq; nuſquã in Prima philoſophia eſt per ſe. Loqui aũt in Prima philoſophia Ariſtotelem de definitione ob ſubſtantiam, nõ quatenus docetùr arte cõſtitui, cõfirmant etiam quæ VIII. Primæ philoſophiæ lib. ita ſcribit:

» *At cum quiditas ſubſtantia ſit, huius uerò ratio ſit definitio, de*
» *definitione propterea, & de eo quod eſt per ſe, definiuimus, cum de-*
» *finitio inſuper ſit ratio, ratio uerò partes habeat, de parte etiam ne-*
» *ceſſarium erat uidere, quæ ſunt ſubſtantiæ, & quæ non ſunt ſubſtan-*
» *tiæ partes, & ſi eædem & definitionis ſint partes.*

Cum igitur ſatis appareat, Ariſtotelem loqui de definitione ob ſubſtantiam, idq; non ſit per ſe docere ipſam definitionem conſtituere (hoc enim ex arte fit, illud quatenus eſt una pars entis in uniuerſo) in Prima philoſophia non agit de definitione per ſe, ut docetur arte conſtitui: quod quidẽ nobis propoſitũ fuit oſtendere. Quod item Auerroës ipſa rei ueritate compulſus, ſeptimo Primæ philoſophiæ libro teſtatum reliquit, his uerbis:

» Conſiderare enim de definitionibus eſt cõmune Logico & philo
» ſopho, ſed duobus modis diuerſis. Logicus enim cõſiderat de defi-
» nitionib. ſecũdùm quod eſt inſtrumentũ ad intelligendũ quiditates
» rerũ, Philoſophus autem ſecundùm quod ſignificant naturas rerũ.

Cum ergo regulæ conſtituendi definitiones per ſe tradi non poſſint in Prima philoſophia, ut oſtenſum eſt, neceſſariò ex his quæ ſuperius dicta ſunt, traduntur in Logica: quòd ſi in Logica, ſecundo Poſteriorum libro, nuſquam enim alibi traditæ ſunt in ipſa Logica, niſi eo loco. Quod ſi dicat aliquis, in Topicis, hoc facilè refelli poteſt, tum quia (ut dictum eſt) liber Topicorum non eſt pars Logicæ: tum quia in Topicis ponũtur loci probabiles, quibus argumentari poſsimus de unoquoq; propoſito problemate ex probabilibus, ut ipſe Ariſtoteles initio illius libri teſtatur his uerbis:

» *Propoſitum autem negotij eſt methodum inuenire, à qua poteri-*
» *mus ſyllogizare de omni propoſito problemate ex probabilibus.*

Sed cum in ea problemata quæ proponuntur, referenda ſit definitio, cõſequens eſt, ut eo libro doceatur Methodus argumentandi de ea ex probabilib. ut exempli cauſa, animal rationale eſſe definitionem hominis. At docere argumentari de definitione ex probabilib. nõ eſt docere, quo pacto certæ, ſtabilesq; conficiantur definitiones. ergo ut ſit Topicorum liber pars Logicæ, tamen non docetur in eo per ſe, quemadmodum uerè firmiterq; ſic, ut nullus contingat error, definitiones conſtituantur: ergo docetur id II. Poſteriorum libro, ut ex his quæ dicta ſunt, cõſtat. Proprium eſt enim Logicæ artis mu

nus &

nus & officium docet conficere omnia cognoscendi instrumenta.

SECTIO VIII.

HOc autem ita esse, non modo ex Aristotelis sententia, quod sanè ostendisse nobis uidemur, sed etiam ex quorundam præstantissimorum interpretum uerbis docere uolumus. Illud enim minimè nobis propositum est, ut reprehendamus interpretes, eos'que in hominum contemptionem adducamus: quin eos ipsi libentissimè laudamus, atque admiramur, ubi quidem laudandi nobis, atque admirandi uidentur: sed ut Aristotelis sententiam, ac ueritatem ipsam, quantùm facere possumus, explicemus. Quare fit, ut nihil ex eorum sententia affirmemus, quod idem non aut Aristotelis uerba, aut ipsa ratio in primis comprobet. Quod si illos nonnunquam testes citamus, hoc nõ idcirco facimus, ut quicquam probemus, sed ut ostendamus, eos sibi non constare: utq; intelligant ij qui aduersus nos argumẽtati sunt, sese ab his quos sequuntur, discrepare. itaq; argumentamur ex ipsa hominum opinione. Eustratius igitur initio II. Poster. lib. uidetur hanc de definitione opinionem ascribere Alexandro,

Intentionem, inquit, secundo libro Poster. de definitione esse, dixit Alexander. Cum enim, inquit, duo sint modi speculationis cum ratione & discursu, alter quidem per definitionem, alter uerò per demonstrationem, cum ab initio dicere de scientia proposuisset, & prius demonstrationem tradidisset, & quid sit, & quomodo fiat: nunc docet etiam de definitionibus.

Ex his igitur constat, Eustratium hanc opinionem ascribere Alexandro optimo (mea quidem sententia) Græcorum omnium interpreti. Quod uerò paulo pòst idem Eustratius hæc subiunxit,

Hinc autem perspicuum est, quod dicitur ab Alexandro, tantùm docere de definitione, quantùm attinet ad demonstrationem.

Quibus quidem uerbis uidetur aliud dicere, atque initio fecerat: uiderit ipse. satis est, illum initio opinionem Alexandri posuisse, quæ negari non potest.

Quin ipsum Alexandrum, quod pluris etiam faciendum uidetur, ita sensisse, ex Theophrasti opinione ostendit Suessanus his uerbis, quæ tamen unde petierit, nescio:

De intentione, inquit, secundo libro Posteriorum, apud Græcos est differentia. Alexander Aphrod. huius secundi libri intentionem esse de definitione asserit. utitur autem auctoritate Theophrasti, qui huius libri intentionem & materiam dicit esse definitionem, ratione etiam, quòd liber Posteriorum sit de instrumentis, siue modis sciendi, alter demonstratio, definitio alter. Cum igitur de demonstratione egit in libro primo, nisi sit diminutus: restat nunc, ut de definitione dicatur. cui Aristoteles primo Posteriorũ assentire uidetur, cum inquit, Siquidem alius modus sciendi dicendum posterius.

Præter Alexandrum autem, & Theophrastum ipsius Aristotelis

auditorem, idem etiã sensisse Auerroëm, satis declarant quæ in prooemium primi Posteriorum libri, ita scribit:

» Principes uerò partes ipsius sunt duæ, prout diximus: quarum
» prima tractatus est de demonstratione, & est quod continetur in pri
» mo huius libri. Secunda uerò pars est, tractatus de definitionibus,
» quam continet secundus liber.

Quod ipsum clarius etiam ostendit in secundo Posteriorum lib. capite primo. Linco. item Aristotelis interpres non omnino contemnendus, etsi concessit eo libro agi de definitione, ut est medium: prius tamẽ dixerat, agi de definitione, ut facit scire quid est. Cogitur ergo fateri, aut duas ibi res æquè pertractari, quod tamen fieri nõ potest, nam duo æquè subiecta essent illius libro, quod planè absurdũ est, atque ab omni ratione abhorret: aut principalius agi de definitione, ut facit scire quid est. per se enim facit scire ipsum quid est, per accidens autem est medium. Cum igitur de utroq; non æquè agatur, necessariò intelligendum est, agi de eo quod principalius est. nisi uelit Linco. errare: quanquam satis etiam nobis est, eum concedere, illo libro agi de definitione, quatenus est definitio. Themistius etiã
» in II. Poster. lib. cap. III. cum ait, Quemadmodum quæstiones com
» positæ monstrentur, dictum suprà est, nunc uerò, utrum id quod rei
» esse demonstrari uidendum est: uidetur id quodammodo innuere. Nam (ut diximus) quærere, an quid est explicari posit demonstratione, nihil ad rem facit, si definitio pertractetur, ut est medium.

Neq; uerò ullam uim habere uidentur ea quæ ad hanc opinionem labefactandam afferri solent: quæ etsi satis ex eis quæ dicta sunt, dissolui posse arbitramur, tamen ad illud nominatim respondendũ uidetur quod opponunt: Neq; in procemio lib. Prior. neq; in epilogo lib. Poster. ullam factã esse ipsius definitionis mentionẽ. Suprà igitẽ ostẽdimus, procemium lib. Prior. nõ esse procemiũ uniuersale, neq; proprium, sed cõmune: ad tollendam dubitationem illam, quæ ex dictis oriri potuit, ut dictum est suprà. Nam cum uellet Aristoteles primùm agere de syllogismo simpliciter, deinde de demonstratione, potuit aliquis existimare, syllogismum simpliciter sua ipsius causa pertractari, non ad demonstrationem, & ad eius species referri: qui quidem longè deceptus esset. syllogismus enim simpliciter per se nihil facit. Quare dixit, exponendum primùm esse quid potissimum pertractaturus esset, & cuius rei causa, nempe demõstrationem, atq; ipsius demonstrationis causa: deinde & cætera quæ sequuntur. Non meminit autem syllogismi Dialectici, quod cum demonstratio perfectior esset, atque utilior species, satis esse existimauit, speciei perfectioris, utiliorisq; mentionem facere. Quod quidem ita esse apparet, tum quia non erat hic uniuersalis procemij locus, tum quia ipse
» paulo pòst: His, inquit, determinatis dicendum est, per quæ, &
» quando, & quomodo fit omnis syllogismus: postea uerò dicemus
» de demonstratione. prius enim dicendum de syllogismo, quàm de
» demonstratione, eo quod uniuersalior syllogismus est.

Quibus

Quibus sanè uerbis ostendere uidet̃ id quod diximus. aliter enim nihil necesse fuisset occurrere illi dubitationi, cui uerbis citatis occurrit: propterea quòd mirũ facilè uideri potuit, cur cum dixisset, sibi in primis propositum esse de demonstratione agere, deinde de syllogismo: prius tamen ageret de ipso syllogismo. Cum igitur non proprium esset procemium illud, sed cõmune (quomodo quidem ipse III. Rhetor. lib. docet) ac tacitæ cuidam dubitationi occurreret, minimè mirandum est, cur eo loco nullam definitionis mentionem fecerit. Aliam etiam huiusce rei causam afferri licet, hoc ideo factum esse, quòd nondum constaret, an de ipsa definitione, quatenus definitio esset, agere oporteret. Quocirca secũdo Posteriorum libro cum ostendisset de illa agendũ esse, quatenus esset definitio, instituit prooemium eius, idq; cum huiusmodi epilogo intulit:

Quomodo quod quid est in terminis assignatũ est, & qualiter demonstratio, aut definitio sit ipsius, aut nõ, dictũ est prius. Quomodo aũt oporteat uenari in eo quod quid est prædicantia, nunc dicamus.

Itaq; patet, proprium etiã illius procemium adhibitũ esse: deinde ob eam quam suprà diximus causam, ultimum epilogum intulit, in quo tamen nihil de ipsa definitione meminit, propterea quod illud procemium epilogo collegit, in quo nullam ipsius definitionis mentionẽ fecerant. Illud præterea mitto, quo etiam maximè niti possem, procemium & epilogos (ut I. Rhetor. lib. testatur Aristoteles) non esse orationis partes per se, sed præter rem: itaq; non omnia poni in procemijs, cũ præsertim nõ sint propria: nec item in epilogis. Neq; uerò, quod de inscriptione additur, ut ita esset, tamẽ opinionem nostram infirmaret, siquidẽ (ut nemini obscurũ est) sæpenumero inscribuntur libri ab accidentibus, quemadmodum de Physico auditu.

Huc accedit, quòd necesse nõ est, inscriptionem comprehendere omneis partes, ut de libro Meteororum constat, qui inscribitur de sublimibus, cum tamen eo ipso libro agatur de metallis, quæ sub terra nascunt̃, & de mixtis perfectis: ita etiam nihil uidetur obstare, quo minus lib. Poster. cum inscriptus sit de demonstratione, ut de notiore instrumẽto, tamẽ posterius agat de definitione principaliter, quatenus est definitio. Quanq; illud fortasse rectius dici potest, hunc librũ inscriptũ esse resolutiuũ, propterea quod cognitio definitionis, quæ ibi etiã tradit̃, ducitur ex cognitione finis: q̃d doctrinæ genus appellauit non modo Galenus resolutiuũ, sed etiã Aristot. cũ multis alijs locis, tũ uerò maximè III. Ethic. lib. cap. VI. Atq; in hanc quidẽ sententiã arbitramur, lib. Prior. & Post. inscriptos esse resolutiuos. Nã ex definitione syllogismi & demonstrationis, sumpta ex fine, docet Aristot. syllogismũ esse orationẽ ex tribus terminis, ex duabus ꝓpositionib. & in una aliqua triũ figurarũ: demonstrationem aũt esse ex ueris primis immediatis. modi enim illi resolutionis, quos interpretes enumerarũt, si diligenter cõsiderentur, nihil uidentur habere cõmune cum his libris: quos quidẽ modos idcirco omittẽdos duxi,

quòd nõ eſt hic de illis diſſerendi locus. Sat habeo, doctrinam eam quæ traditur ex cognitione finis, non à Galeno ſolùm dici reſolutiuam, uerum etiam multis locis ab Ariſtotele. His paulò altius repetitis, nõ modo ut Iacomelli argumentum, quod ex Euſtratio ſumpſit, diſſolueremus, ſed ut multa præterea quæ ad euertendam hanc opinionem afferuntur (quæ quidem ſi recte perpendantur, facile eſt intelligere, nihil eam infirmare) redargueremus: ſimul, quantũ hoc loco liceret, oſtenderemus, quemadmodum ſecundum Poſteriorũ librum exponendum eſſe putaremus, reliquum eſt, ut ad ipſum argumentum iam ueniamus. Cum autem reſpõdeamus, Ariſtotelem ſic intelligendum eſſe, ut diximus, illorũ fuerit, labefactare eas quas attulimus expoſitiones: quanq̃ exiſtimamus, ſatis nos demõſtraſſe ea quæ neceſſaria eſſent ad illud argumentum, nempe quæſita medium aliquod quærere, quod eſt aut demonſtratio, aut definitio. Tantum igitur abeſſe putamus, ut illud ipſum argumentum eorum opinionem communiat, ut noſtram etiam maximè confirmet. oſtendit enim agendum eſſe de definitione, propterea quod omnis quæſtio quærit mediũ, per quod ſciatur quod neceſſariò eſt uel demonſtratio, uel definitio, ut probatum eſt.

SECTIO IX.

QVod uerò ſubdit Iacomellus, Ariſtotelem ſecundo Poſteriorum libro agere de definitione, non ut eſt definitio, ſed medium: itaq; infert, eam illum non tractare ut primarium inſtrumentum: præterquam quòd hoc ſuis ipſius uerbis diſſoluit, præterea à ſeipſo diſſentit. Nam ſi ſecundo Poſter. libro non tractatur definitio, ut ſimplicia explicat, itaq; per ſe (explicat enim ſimplicia per ſe, ſiquidẽ eſt oratio quæ explicat ipſum quid eſt) nuſquam in Logica tractatur, duobus enim omnino locis (ut ipſe etiam putat) in Logica de definitione agitur, in Topic. & ſecundo Poſteriorum libro, ut ſuperius dictum eſt. At in Topicis agi non poteſt, ut ſimplicia explicat: agitur ergo II. Poſter. lib. Sed cum ipſe neget, de illa agi II. Poſter. lib. nuſquam de ea agitur in Logica. Secum igitur planè pugnat, qui & ait & negat eam in Logica tractari, ut ſimplicia explicat. Diſſoluit autem hoc ipſe argumẽtum id quod de ſuperioribus argumentis dictum eſt. Præterea ex illa eius poſitione apparet, non modo non ſequi duo illa quæ contra me ſeſe colligere dixit, ſed hoc, ut planè ſuam ipſe opinionem euertat. Quod quidem oſtendimus eadem ratione probando, modum cognoſcendi eſſe ſubiectum. in ſingulis enim partibus quas ipſe cõnumerauit, egit Ariſtoteles de modis cognoſcendi, ſpecialibus & contractis. Nam lib. Prior. egit de ſyllogiſmo ſimpliciter, I. Poſter. lib. de ſyllogiſmo demonſtratiuo, II. autẽ de definitione, uti ſuprà oſtendimus
„ initio quarti capitis, his uerbis: Quomodo autẽ oportet uenari in eo
„ quod quid eſt prædicantia, ut etiam homo iſte fatetur. In Topic. de ſyllogiſmo Dialectico, eo modo intelligendo, quo ipſe intelligit: in

Elenchis

Elenchis, de syllogismo Sophistico. Quòd si in singulis his partibus agit Aristoteles de modis cognoscendi cõtractis, ut de subiectis primarijs & adæquatis, illud necessariò sequitur, ut in ipsa Logica absolutissimè sumpta, tanꝙ subiectum primum, quodꝗ attributionis uocant, statuatur cognoscendi modus, non partiarius, quomodo ipse loquitur, sed simplex, communisꝗ, & absolutus: id quod ex illa eius positione, quam ipse indubitatã uocat, ita planè sequitur, ut nullus iam dubitandi locus relinquatur. eius autem suppositio hæc fuit, In- " ter totum uniuersale, & partes eius subiectiuas, illud interesse, quod " ipsum totum à partibus differentia aliqua, uel essentiali, uel acciden- " tali cõtrahitur. Quòd si indubitata est eius positio, ut ipse ait: certum item est, atque indubitatum, quod nos diximus: itaque ipse patitur telis uulnera facta suis. Idcirco enim libello nostro diximus, fieri non posse, ut syllogismus simpliciter subiectum esset Logicæ, quod non comprehenderet definitionem quæ per se tractaretur: neꝗ modus sciendi, qui non comprehenderet syllogismum Dialecticum, sed cognoscendi modus, qui omnia comprehenderet quæ per se tractarentur in Logica. Ex quibus (ut hoc loco eodem utar, quo ipse, ordine) duo contra eius sententiam colligo. Quorum alterum est, Philosophum in aliqua parte Logicæ de definitione, tanquam de præcipuo subiecto disseruisse, ut ipsemet fatetur, atque à nobis ostensum est. Alterum, uniuersæ Logicæ subiectum statui non posse, eum quem ipse comminiscitur syllogismum, aut si mauult argumẽtationem, sed modum cognoscendi, quod tamen ille negauit. Itaꝗ patet, ad dissoluenda ea quæ homo iste scripserit, nõ alia admodum opus esse, præter ea quæ ab eo scripta sint, ut qui suo ipse gladio bellissimè iuguletur.

Definitionem uerò per se tractari à Logico, satis ex his quæ IIII. tractatu scripta reliquit, intelligi potest. argumentatur enim sic:

Logici munus esse, considerare syllogismum absolutè sumptum: " Itaꝗ ad eundem pertinere syllogismum Demonstratiuum, Dialecticum, Sophisticum. has enim esse ipsius syllogismi species. "

Nos contrà: Logici munus est considerare orationem, cuius species sunt, definitio, demõstratio, syllogismus Dialecticus: ergo eiusdem est considerare definitionem, & reliquas species. Valet autem consequentia ex illo quarti libri Primæ philosophiæ loco, quem ipse citauit, eandem uidelicet esse & totius & partium theoriam. *Reflexio argumẽt.*

Quod si dicat, orationem nõ considerari per se, sed quatenus ad syllogismum refertur: ego contrà, syllogismum nõ considerari per se, sed quatenus ad demonstrationem refertur. ex illo enim ignoti nihil discimus. Cum igitur ex eius dictis eliciatur, definitionem per se tractari in Logica, eandem rursus non tractari per se: aut à seipso dissentiat necesse est, aut certè nulla sit eius ratio. *V. sui ipsius opinionis euersio.*

Item etiam secũ pugnat, enumerans syllogismos speciales. refert enim inter eos syllogismum illum, de quo libro Priorum agit Aristoteles. Quod declarant hæc ipsius uerba.

His subiectis sic argumentor: In partibus his omnibus sermo exi "

» ſtit de ſyllogiſmis ſpecialibus, & iam contractis, hoc ex Ariſtotelis » lib. ſine cõtrouerſia habere poſſumus. Primo enim Prior. lib. de ſyl- » logiſmo ſcilicet agitur, ſecundum eius formam, ut ex progreſſu ſuo » conſtat, ſe tracturum fatetur, & poſtea de demonſtratione. Et I. cap. » I. Topicorum, numerat quatuor ſyllogiſmi ſpecies, & ſyllogiſmum » Dialecticum in eo negotio ſibi quærendum ſtatuit. & in principio » primi Elenchorum fatetur, ſe de ſophiſticis ſyllogiſmis diſſerturum. » Igitur ſi in his partibus de ſyllogiſmis ſit contractis, ut de ſubiectis » primarijs & adequatis ſermonem habet Ariſtoteles, ſequi id opor- » tet, ut in Logica ipſa abſolutiſſimè ſumpta, ſyllogiſmus non partiari » us, ſed qui ſimplex, communis atq; abſolutus appellatur, ueluti ſub- » iectum primum, & quod attributionis appellant, ſtatuatur.

Refert igitur ſyllogiſmũ illũ, de quo agit Ariſtoteles in lib. Prior. in ſyllogiſmos ſpeciales: ſed paulò antè cum de lib. Prior. loqueret̃, dixit, eius lib. ſubiectũ eſſe ſyllogiſmum ſimpliciter, ſeu ſecũdùm formam ſumptũ. In IIII. autem tractatu appellauit ſyllogiſmũ abſolutè ſumptũ eum, cuius ſpecies ſunt, demõſtratio, ſyllogiſmus Dialecticus, & ſyllogiſmus Sophiſticus, qui quidem nõ poteſt eſſe, niſi is de quo lib. Prior. agitur. Ex eius ergo dictis ſequitur, ut ſyllogiſmus is, de quo eo ipſo libro agitur, ſit ſpecialis ſyllogiſmus, idemq; nõ ſit ſpecialis: rurſus item ſit abſolutus, ac non ſit abſolutus. Quod quidem nihil aliud eſt, niſi planè pugnantia loqui, maximeq; contraria.

VI. ſuæ ipſius opinionis euerſio.

Præterea in uerbis citatis dixit, ſyllogiſmum ſimplicem, communemq;, & abſolutũ eſſe Logicæ primũ, quodq; attributionis uocant ſubiectũ. At ſyllogiſmus is, de quo lib. Prior. agit̃, eſt ſimplex & abſolutus, quia (ut ex eius uerbis cõſtat) nõ habet materiã: item cõmunis, propterea quod comprehendit ſyllogiſmum demonſtratiuum, Dialecticum, & Sophiſticum. ergo eſt ſubiectum in Logica, cuius quidem cum contrarium dixerit, nihil hac in re quoq; ſibi conſtat.

VII.

Item oratio ea, in qua poſitis quibuſdã, ſequitur aliquid aliud neceſſariò, eſt ſyllogiſmus qui eſt ſubiectum in uniuerſa Logica: habet enim huiuſmodi ſyllogiſmus definitionem, quæ alia eſſe non poteſt niſi hæc, non enim eſſet ſyllogiſmus abſolutè ſumptus. At ſyllogiſmus, de quo libro Prior. agitur, eſt oratio, &c. ergo eſt ſubiectum in Logica. Sed hoc ipſe negauerat, perperam igitur locutus eſt.

SECTIO X.

QVod autem dicit in primo argumento, III. cap. atque in eius diſſolutione, id maximè fauet opinioni noſtræ. Nam cum dicat definitionem eſſe bonum, & habere rationem appetibilis, ſui que gratia in Logica quæri, non ut ſyllogiſmo aut demonſtrationi deſeruit, concedit antecedens, definitionem ſcilicet bonum eſſe, & appetibilis rationem habere, ſuiq; gratia in Logica quæri. Neceſſe eſt enim ut ſit antecedens hoc, ſi rectè conſideretur diſſolutio: nihil enim ad rem faceret illa dicere,

Logicus,

Logicus, & quæ sequuntur. Sed hoc est quod negauerat, ergo secum dissidet. VIII. sua ipsius opinionis euersio.

Deinde negat, quod ex eo ultimo sequitur, definitionem non considerari, ut syllogismo aut demonstrationi usui est.

Primæ enim, inquit, rationis tuæ assumptionem admittimus: sed " quod ex ea deducis, prorsus negamus. licet enim definitio bonum " quoddam sit, & appetibilis rationem habeat, nihilo secius Logicus " eam cõsiderat, non ea duntaxat ratione, ut simplicia explicat, uerùm " ut utriq; syllogismo necessariam uim præstat. "

Quod si Logicus considerat definitionem, non ea duntaxat ratione, ut simplicia explicat, considerat illam ut simplicia explicat, etsi alio modo. Sed considerare definitionem ut explicat simplicia, est considerare eam ut explicat quid est. Quid est enim, ex quæsitis omnibus unum est simplex: cõsiderare autem eam ut explicat quid est, est considerare eam quatenus est definitio (definitio enim est oratio, quæ explicat quid est) ergo ex ijs quæ homo iste cõcessit, sequitur, ut Logicus cõsideret definitionem, ut est definitio. at hoc ille negabat: ergo redactus est ad metam redargutionis, cum ex antecedente, tum ex dissolutione argumenti. IX.

Præterea, si definitio aliter consideratur, ut explicat simplicia, atq; ut accommodatur utrique syllogismo, duobus modis consideratur. Itaq; Iacomellus ipse dissoluit argumenta omnia quæ superius contra nos attulit, quibus conatus est ostendere, definitionem non considerari per se, quòd consideratur demõstrationis causa. Nos enim concedimus antecedens, eam scilicet considerari demonstrationis causa. at cum infert, non considerari per se: negamus argumentum, propterea quod ex eis quæ dixit, utroq; modo consideratur, ac suas ipse rationes penitus euertit. Neq; illud modo ex his quæ iste dixit, consequitur, ut definitio consideretur per se, uerum etiam ut consideretur per accidens, quatenus est medium. Nam si consideratur, ut explicat simplicia, ex eis quæ dicta sunt, consideratur per se: ut autem syllogismo deseruit, per accidens. utroque enim modo non potest per se considerari. nam duo essent subiecta æqualia unius libri, quod fieri nullo modo potest. Cum igitur definitio per se explicet simplicia, per accidens autem sit medium, consideratur per accidens ut medium, hoc enim illi planè accidit: siquidem fit propositio tum, cũ definitionis naturam amisit. At posuit Iacomellus, eam non considerari, ut medium per accidens: à seipso igitur dissentit. X. Dissoluit ipse argumenta omnia quæ superius contra nos attulit.

Secum etiam pugnat, cum in dissolutione secũdi argumenti concedit, definitionem explicare quid est: paulo pòst aũt negat, illam ex sua ipsius natura utilẽ esse. Nam si instrumenta cognoscendi ob hãc unam causam utilia sunt, quod cognitionem tradunt eorũ quæ quæruntur: Definitio aũt (ut ipse fatetur) explicat quid est, quod quidẽ (ut constat ex his quæ suprà diximus) aliter sciri non potest, definitio ex sua natura utilis est. At cum ipse negauerit utilem esse, cõtrà q; tamen ex eius dictis sequitur, secum planè dissidet. XI.

Præterea

Præterea à seipso discrepat in his quæ dixit. Nam si definitio bonum est, rationemq; appetibilis habet, neq; honestũ bonum est, aut
XII. *sua ip sius opinio nis euersio.* iustum, consequens est, ut bonum sit utile per se. At ipse negauit, utilem esse: affirmat igitur, et negat idem de eodem. itaq; secum pugnat. Eò accedit, ut si bonum est, utile sit simpliciter. tradit enim Aristoteles 1. Rhetor. lib. idem esse bonum, & utile simpliciter.

Videtur item pugnantia loqui. nam cum concesserit, definitionem quæri in Logica sui gratia (concesśit enim illud primum antecedens) aut frustra quæritur, aut non frustra. si frustra, inanis est Logica: sin minus, propter aliquam utilitatem, quam ex natura sua habet, quæritur. Itaq; à seipso dissentit Iacomellus.

XIII. Præterea si definitio natura sua non sit utilis, proptereaq; non debeat per se considerari, neque ipsa Logica per se tractabitur, neq; demonstratio, neq; syllogismus Dialecticus: non enim sua natura sunt utilia. Siquidem Logica (ut ipse ait) non referenda est in illa problemata, quæ utilia sunt ad eligendum, aut fugiendum tantùm, neq; in illa quæ utilia sunt ad sciendum tantùm: sed in ea quæ sunt adminiculantia, quæq; non propter se quidem quæruntur, sed aliorum gratia, ut per hæc aliquid aliud cognoscamus. At quæ huiusmodi sunt, natura sua nõ sunt utilia. ea enim quæ natura sua utilia sunt, sunt per se utilia, non quòd adminiculentur modo: ergo non debent per se considerari, contrà quàm ipse asseruit. Igitur secum pugnat.

XIIII. Præterea aduersatur Alexandro, cui tamen aduersari nefas esse arbitratur. is enim in primo Primæ philosophiæ libro, textu octoagesimo secundo: Bonum est, inquit, suapte natura utile. Quod si definitio bona est, ut ipse fatetur, suapte natura est utilis. quod tamen cum neget, ab Alexandro dissentit.

Ipsum autem secum pugnare, ex eo maximè confirmatur, quòd ait, in Logica duobus modis considerari definitionem, & quatenus explicat simplicia, & quatenus utrique syllogismo usui est. nam si natura sua non est utilis, considerari non potest, ut explicat simplicia: esset enim natura sua utilis. quemadmodum demonstratio natura sua dicitur utilis, quod explicat complexa. At dixit, in Logica considerari, ut explicat simplicia: ergo natura sua est utilis. quod tamen
XV. cum negauerit, secum planè dissidet.

Illud item dubitari non potest, quin maximè falsum sit, intellectũ apprehendere simplicia, ut formet complexa, eundemq; intelligere quid est, ut formet complexa, nõ per se. intellectus enim percipit res ut sunt: essentia autem per se est, ut patet ex septimo Primæ philosophiæ libro, textu septimo, ubi ait Aristoteles:

Quiditas est id quod dicitur unumquodq; per se, non propter alia.

Quin accidentia magis sunt propter essentiã, sequuntur enim ob perfectionẽ essentiæ. Intellectus ergo nõ percipit essentiam propter alia, sed ut est in se, itaq; non percipit simplicia, ut ex ipsis fiant complexa. Si tamen hoc interdum intellectus faciat, per accidens facit, non per se. nam simplicia sunt prius in se, quàm ad aliud referantur.

quicquid

quicquid enim ad aliud refertur, præſupponit abſolutum: ſiquidem relatio eſt accidens, quod conſiſtit in abſoluto.

SECTIO XI.

QVod etiam tertio argumento diſſoluendo affert, nõ minores dubitationes habet, quàm reliquæ habuerint diſſolutiones. ait enim, Ariſtotelem 1. Poſter. lib. uerbis illis, *Siquidem eſt alius modus ſciendi, dicendum poſterius:* « nõ intellexiſſe notionem, quã definitio præſtat, ſed cognitionẽ principiorum, quam dicit Ariſtotelem cõceſsiſſe exactiſsimã eſſe ſcientiã. Fatemur autem nos, Ariſtotelem uerbis illis, alius modus, non intellexiſſe notionem, quam definitio præſtat, quæ notio nihil aliud eſt niſi ſcientia: ſcientia autem non eſt ſciendi modus, ſicuti uia non eſt terminus uiæ, ſed eum tamen arbitramur uerbis illis ſignificare definitionẽ. Quare uidetur homo iſte, res ipſas planè perturbare & confundere, qui modo argumentatur de inſtrumẽto, quem ſciendi modum appellat: modo de ſcientia, quæ inſtrumento cõparatur, quam etiam modũ ſciendi uocat: ac deniq; ipſum argumentũ diſſoluens, de ſcientia loquitur, quæ inſtrumento cõparatur. Ita, quod ignoraret, quid'nam eſſet ſcientiã, & ſciendi modus, in has ambiguitates, ac (mea quidem ſententia) errores illapſus eſt. Vt igitur meliore ſenſu nos Ariſtotelis uerba exponamus, cenſemus illũ Ariſtotelis locum interpretandum eſſe de definitione. definitio enim explicat quid eſt, ac diuerſa eſt à demõſtratione, ex quo fit ut alius ſit ſciendi modus. De ipſa aũt definitione loqui Ariſtotelem, ex eis quæ ſuprà diximus, luce clarius patet: ubi oſtendimus, quæ'nam 11. Poſterio. lib. pertractentur. Satis etiam intelligi poteſt ex his quæ eo ipſo loco ſcribit Ariſtoteles. Veriſsimum eſt enim, quod homo iſte ait, nõ ſatis ſenſum illum, quem ipſe affert, neq; ſuperioribus, neq; inſequentibus uerbis accommodari, quippe qui nec illis ipſis uerbis, ex quibus elicitur, admodum quadret, ſed magis ea, ut diximus, euertat. Senſui quidem illi, quem nos ſequimur, maximè reſpondent, & quæ præcedunt, & quæ inſequuntur. Cum enim definijt Ariſtoteles ſcire ſimpliciter, nõ Sophiſtico modo, quod eſt per accidẽs, eſſe per cauſam cognoſcere, excluſit & ſcire per cauſam remotã: quod quidẽ non eſt ſimpliciter ſcire, & cognitionem principiorum, quæ non comparatur per cauſam, ut ex his patet, quæ in calce primi Poſteriorum libri, & ſecundo diſſeruit. Non excluſit autem ſcire per definitionem, quod quidem eſt ſcire ſimpliciter, non Sophiſtico modo, & « per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe ha- « bere. Cum igitur illa definitione ſcientiæ non excluderetur ſcientia ea quæ definitione comparatur, ibiq; loqueretur Ariſtoteles de ſcientia, quæ habetur demonſtratione, ne quis fortè dubitaret, de qua ipſe ſcientia eo loco ageret, utrum de ſcientia tantùm, quæ demonſtratione comparatur, an de alia quapiam ſcientia: reſpondet, Si reperiatur alius modus ſciendi per cauſam, præter demonſtrationem, « dicetur

dicetur posterius, ostenditq́; hunc esse uerborum illorum sensum,
» quod subiunxit: Dicimus autem per demonstrationem scire. quasi dicat, disputabimus pòst, an alia sit scientia, quæ non demonstratione comparetur, nunc enim loquimur de ea scientia, quæ per demonstrationem habetur. itaq́; patet, optimè inter se cohærere, quæ antecedunt, & quæ insequuntur.

Illud etiam à ratione alienū est, quod subdit Iacomellus, antiquos cecidisse in eam foueam (sic enim ipse loquitur) ut existimarent, omnium esse scientiam, & nullius esse scientiam, quòd putarunt omnia sciri per causam. ita enim scribit Aristoteles:

» *Quibusdam igitur propter id quod oportet prima scire, non ui-*
» *detur esse scientia, quibusdam esse quidem, atqui omnium demonstra-*
» *tionem esse.*

Ait igitur Aristoteles apertè, eos in illas opiniones adductos esse, quòd necesse esset, ut ipse ostenderat, principia sciri: quod quidem, ut patet, aliud est ab eo quod dicit Iacomellus. itaque discrepat ab Aristotele. Magis etiam cum illo dissidet, cum scribit, principiorum esse scientiam exactissimam. Aristoteles enim sexto Ethicorum libro, capite septimo:

» *Quia uerò, inquit, scientia de uniuersalibus existimatio est, &*
» *de his quæ sunt ex necessitate, sunt autem principia demonstrabiliū,*
» *& totius scientiæ: nam cum ratione est scientia principij eius quod*
» *sciri potest, neq; scientia utiq; erit, neq; ars, neque prudentia. Nam*
» *quod scibile, idem demonstrabile: illæ uerò sunt circa ea quæ aliter*
» *se habere possunt: sed sapientia horum est. nam sapientis est de qui-*
» *busdam demonstrationem habere. Si ergo in quibus rebus scimus,*
» *nec unquam fallimur circa illa quæ recipiunt, aut non recipiunt ali-*
» *ter se habere, scientia & prudentia est, & sapientia, & intellectus.*
» *Nullus uerò horum trium recipit esse. Dico autem tria, prudentiā,*
» *sapientiam, scientiam. restat, & intellectus principiorum sit.*

Hoc idem in calce II. Poster. lib. luce clarius hisce uerbis ostendit:

» *Quoniam autem, inquit, circa intelligentiam habituum, in quibus*
» *uerum dicimus, alij quidem semper ueri sunt, alij autem recipiunt fal-*
» *sitatem, ut opinio & ratio, uera autem semper scientia et intellectus,*
» *& nihil sit certius scientia, quàm intellectus, & principia demonstra*
» *tionum notiora sunt, scientia autem omnis cum ratione est, princi-*
» *piorum quidem scientia non utiq; erit. Quoniā autem nihil uerius cō-*
» *tingit esse scientia, quàm intellectus, intellectus utiq; erit principio-*
» *rum: ex his considerantibus, & quod demonstrationis principium nō*
» *est demonstratio, quare neq; scientiæ scientia. Si igitur nullum aliud*
» *genus, præter scientiam, habemus uerum: intellectus utique scientiæ*
» *principium erit, & principium principij utique erit.*

Et I. Poster. lib. in fine idē planè cōfirmat, & III. Primæ philos. lib.

Insuper

Insuper quónam pacto ipsorum principiorum scientia erit? quod enim unumquodque ipsorum est, & nunc planè cognoscimus. nam utuntur ipsis & aliæ artes, ut cognitis.

Ex his igitur, quos recitauimus, locis, facilè intelligi arbitror, principium non esse exactissimam illam scientiam, quod propriè eorum est intellectus. Neque illud obstat, quod loco ab ipso citato dixit Aristoteles,

Nos autem dicemus, neque omnem scientiam demonstratiuam esse, sed immediatorum indemonstrabilem.

Dubium enim nõ est, quin scientiam latius acceperit, pro quacunque notitia & cognitione, non propriè. Cuius rei illud est argumento, quod quidem nullo modo dissolui potest, quòd secum pugnaret Aristoteles. Cum enim citatis locis, ubi propriè de cognitione principiorum agit, apertissimè ostenderit, ipsorum principiorum non esse scientiam, quî potest hic dicere eorũ esse scientiam? nisi exponamus, quomodo quidem ipsi exposuimus, cui sanè expositioni, præter ea quæ modo dicta sunt, illa maximè fauent, quibus Aristoteles demõstrauit, principia magis credi. nam usus est uerbo credere.

Quoniam autem oportet, inquit, credere, & scire rem in huiusmodi habendo syllogismum, quem uocamus demonstrationem, est autem hic eo quod hæc sunt, ex quibus est syllogismus: necesse est, non solùm præcognoscere principia, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis. semper enim propter quod est unumquodque, & illud magis est: ut propter quod amamus, illud amatum magis est. Quare siquidem scimus per prima, & credimus, illa scimus magis, & credimus quoniam propter illa & posteriora.

Et paulò pòst, alia etiam ratione allata, sic conclusit:

Magis enim necesse est credere principijs, aut omnibus, aut quibusdam, quàm conclusioni.

Deinde subiunxit,

Debentem autẽ habere scientiam per demonstrationem, nõ solùm oportet principia magis cognoscere, & magis credere ipsis, quàm ei quod demonstratur, sed neque aliud ipsis credibilius esse, neque notius oppositis principijs, ex quibus fit syllogismus contrariæ deceptionis: siquidem oportet simpliciter scientem non immutabilem esse.

Quòd si Aristoteles, ostendens principia magis sciri, ex quo ortus est error ille antiquorũ, utitur uerbo Credere, & cognoscere, dicendum est, eũ non propriè locutũ esse, cum dixit, principia credi, & cognosci: cum item, principia sciri. si enim principia propriè scirentur, accepisset cognitionem pro sciẽtia, quæ quidem latius sumitur, & ab ipsa scientia distinguitur. Sed rationes eæ quas attulimus, ostendunt ipsorum principiorum non esse propriè scientiam: ergo cogimur dicere, Aristotelem non propriè locutum esse, cum dixit, ipsorum principiorum esse scientiam.

Quoniam uerò apud hunc hominem plus habent auctoritatis expositores, quàm Aristoteles, & ipsa ratio, ut intelligat suos illud idē quod nos, dixisse, recitabimus D. Thomæ uerba, qui ex illo Aristotelis loco eundem sensum, quem nos, elicit.

„ Sciendū tamen, inquit, quòd hic Aristoteles largè accipit scientiā
„ pro qualibet certitudinali cognitione, & non secundùm quòd scien-
„ tia diuiditur contra intellectum, prout dicitur, scientia est conclusio-
„ num, intellectus principiorum.

Quòd si Aristoteles uult, principiorū propriè non esse scientiā, ipse autē scribit, illorum esse exactissimā scientiam, dissidet cum Aristotele. Ac si illud uerū est (quod quidē ita esse apparet) principiorum nō esse scientiam propriè, ibi autem loquitur Aristoteles de scientia proprie, nō potuit intelligere uerbis illis, Siquidem & alius modus sciendi dicendum posterius, scientiam principiorum.

XVI. Sue ipsius opinionis euersio

Preterea à se ipso discrepat, qui cū dixisset, se secundùm Aristotelis opinionē, notitiam principiorū exactissimā scientiam cōcessisse, sub-
„ iunxit: Imò ipsa scientia insigniorē. Quòd si ex eius sentētia notitia principiorū est insignior sciētia, ipsorū est intellectus Probatur autē cōsequentia ex dictis ab Aristotele in I I. Poster. & V I. Ethic. lib. locis citatis. quod cū ita sit, principiorum nō est propriè et exactè scientia. Itaq; Iacomellus, cū sibi minimè constat, tum suā tollit expositionem.

Illud etiam (nisi mea me fallit opinio) declarat, Iacomellū hac in re decipi, quòd Aristoteles cū dicat, si reperiatur alius modus sciendi, dicendū posterius, nō potest intelligere scientiā, propterea quia modus sciendi aliquid nō est id quod scitur, ut modus sciendi quid est non est ipsum quid est, neq; modus sciēdi si est, quia est, & ppter quid est, est aut ipsum si est, aut quia est, aut propter quid: sed ab his distinguitur, quemadmodū uia à termino uiæ. Nam modus sciendi quid est, est definitio: ipsum quid est aūt est illa cognitio, quæ habeť definitione, ut cōstat ex definitione definitionis, quæ quidē definitur esse oratio, quæ explicat quid est. Modus autē sciendi illa tria, est demonstratio: siquidē demonstratio est syllogismus, quo tria illa discunť. Fieri ergo nō potest, ut Aristot. uerbis illis intelligat scientiā principiorū, q a (ut ex I I. Poster. lib. patet) principiū scientiæ non est scientiæ: cognitio autē principiorum est principiū scientiæ, est enim intellectus, q ut ex loco citato liquet, est principiū scientiæ: igiť talis cognitio nō est scientia. Itaq; improbanda est ea, quam Iacomellus attulit, expositio.

SECTIO XII.

Quod aūt quarto loco argumentatus est, id uideť perperā dissoluere. Nā si syllogismus simpliciter tractatur demōstrationis causa, ut se dixisse scribit, itēq; cætera quæ sunt in Logica, ipse per se tractari nō potest. Nam quod in aliqua facultate cōsideratur propter aliud, id per se considerari non posse, planè perspicuū est. ex quo sequitur, ut syllogismus simpliciter nō possit esse illius facultatis subiectū: præsertim cū neget ipse, definitionem per se cōsiderari, quòd (ut ipse scribit) respicit demonstrationē.

Perperam

Perperam ergò uidetur mihi illud argumentum dissoluere. nam cum dicat, sese concedere, demonstrationem in Logica subiectũ esse ultimum, ac omnium præstantissimum, sed non tale, quale ego quæro, quod quidem iuniores appellant adæquatum, & attributionis, quod non omnia, quæ in ipsa Logica tractantur, eo modo illã respiciant, quomodo species genera, aut partes subiectiuæ totum suũ uniuersale. Cum hæc inquam dicat, uidetur mihi bellus hic homo perinde facere, ac si cui quis depositum repetenti Angelicam salutationẽ recitet. Nihil enim aliud infert, nisi demõstrationem nõ esse adæquatum subiectum, sed syllogismum simpliciter: quod quidem nihil planè ad argumentum pertinet, quod ipse dissoluere conatur, quo argumẽto nos usi sumus in procemio nostri libelli, est autem huiusmodi. syllogismus simpliciter tractatur in Logica demonstrationis causa, non per se, nec tamen quicquam obstat, quò minus tractetur etiã per se: ergo perperam cõcluditur ratio illa, Definitio in Logica consideratur ob demonstrationem, ergo nõ per se. quod tamen ipse intulit.

Quoquo modo igitur dicat, semper uidetur pugnantia loqui, maximeq; contraria. Quòd si dicat, sese illud dixisse, demonstrationem esse ultimũ, atq; omnium præstantissimum subiectũ, non adæquatum, & attributionis, ut ostenderet, syllogismum per se considerari, & esse subiectum, tamẽ considerari etiam proter demonstrationem: hoc non minus contra illum facit. Idem enim licebit de definitione dicere, illam uidelicet, quanquã demonstrationis causa tractetur, tamẽ per se etiam pertractari. Quòd si uelit diuersitatis rationem afferre, dicatq;, aliter referri syllogismum simpliciter ad demonstrationem, atq; ipsam definitionem, hoc facere nullo modo potest. nam cũ magis referatur syllogismus ad demonstrationẽ, magisq; fit propter ipsam demonstrationẽ, quàm definitio, minus per se potest considerari. Consequentia autem patet. nam si hoc ipsum, quòd aliquid ad aliud referatur, tollit consideratione per se, quod magis refertur, id minus per se cõsiderari poterit. Probatur, quod antecedit: nam syllogismus, ut syllogismus, ad demonstrationẽ refertur, sicuti ex his quæ suprà dicta sunt, cõstat, quòd demonstratio est syllogismus. At definitio, ut definitio, non refertur ad demonstrationẽ, quin definit esse definitio tum, cũ ad ipsam demõstrationem refertur: suã enim amittit naturã, quippe quæ dicit aliquid de aliquo. Syllogismus igitur magis ordinatur ad aliud: siquidẽ quod ordinatur, ut tale est, magis ordinatur, quàm quod per accidens ordinatur. Itaq; patet, minimè afferri posse illam, quam diximus, diuersitatis rationem.

XVII. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Reflexio argumenti.

Huc accedit, quòd syllogismo, ut syllogismus est, & à materia abstrahit, nõ utimur ad finem Logicæ consequendũ, propter quem inuenta est ipsa Logica: quia cũ Logici finis sit extrinsecus, ut dubia cognoscamus, uel (ut ipse ait) ut discernamus uerum à falso, ad hunc ipsum finem consequendum utimur syllogismo, ut est aut demonstratiuus, aut dialecticus. Sequitur ergo, syllogismum illum per se considerari non posse, quippe qui nihil (ut patet) ad finem per se affert.

Præterea uidetur à se ipso dissentire, cum dicat, demonstrationem esse ultimum subiectum, & omnium præstantissimum, tamen non esse subiectum attributionis. Nam id, ad quod omnia referuntur, ut suprà demonstrauimus, est ultimum subiectum, & finis, siquidem est id cuius gratia reliqua omnia fiunt. Quare cum dicat, demonstrationem esse ultimum subiectum, neget autem esse id cui omnia attribuuntur, negat esse ultimum subiectum, contrà quàm asseruit. itaq; secum planè pugnat.

XVIII. *Suæ ipsius opinionis euersio.* Præterea syllogismus simpliciter (ut ipse ait) est subiectùm, demõstratio autem est eius pars: ergo syllogismus non potest considerari propter demonstrationem, sed demonstratio consideratur propter syllogismum. subiectum enim non consideratur propter partes, sed partes propter ipsum subiectum: aliter enim subiectum non esset.

SECTIO XIII.

IN hac sectione multa scribit Iacomellus, quę à ueritate abhorrere, facilè intelligi licet. In his negat (quod nulla tamẽ ratione cõprobat, sed grauiter me duntaxat reprehendit) Logicæ postremum finem esse, quem ego posuerim, modum cognoscendi, sed uerum à falso distinguere, intelligẽdo (ut ipse ait) finem ultimum, non eum finem qui ad aliũ refertur, qui esset cõstituere syllogismũ simpliciter sumptum. Quæ quidem (nisi mea me fallit opinio) præterquam quòd falsa sunt, pręterea uidentur cum his pugnare, quę ipse alibi scripsit. Negat enim, syllogismum simpliciter esse ultimũ Logicæ finem, quem tamen superius posuit esse illius subiectũ. Quod ex eo satis perspicuũ esse arbitror, quòd dicere aliquid esse subiectũ alicuius facultatis, nihil aliud est, nisi fateri esse id quod in primis propositum est in illa facultate, cuiusq; gratia tractantur omnia quæ in illa ipsa facultate sunt: aliter enim non esset id, quod primò propositum esset. Idem etiam ex eo patet, quòd omnis scientia nihil aliud facit, nisi probat proprietates de subiecto per definitionem ipsius subiecti, atque eius proprietatum, ut ex dignitatibus. Aristoteles enim 1. Poster. lib.

» *Omnis, inquit, demonstratiua scientia circa tria est. sunt enim ea*
» *quæ ponit esse. hæc autem sunt, genus, cuius per se affectuum est con-*
» *templatrix: et ea quæ cõmunes dignitates dicuntur, ex quibus primis*
» *demonstratur: & tertium affectus, quos quid quisq; significat, sumit.*

Cum igitur in scientijs hæc tria omnino sint, ex his autẽ duo propter subiectum, proprietates scilicet, quæ probãtur de ipso subiecto, & dignitates, ex quibus probantur ipsæ proprietates: constat, omnia esse in scientijs propter subiectum. Dicere ergo, aliquid esse subiectũ alicuius facultatis, perinde est ac si dicas, esse id quòd primùm in illa facultate propositum sit, & ad quod referantur omnia quæ in illa facultate sunt. At quod primùm in aliqua facultate propositum est, & ad quod omnia referuntur, finis est, cuius causa reliqua fiunt, ut cõstat ex primo Ethic. libro, capite primo. Ergo dicere, aliquid esse subiectum, idem est, ac si dicas, finem esse, cuius gratia cætera fiunt

in illa facultate, itaq; finem ultimum. Sed cum id Iacomellus negauerit, à se ipso apertissimè dissentit. *XIX. suæ ipsius opinionis euersio.*

Videtur item à ueritate recedere, & secum planè dissidere, qui cum posuerit, Logicam solùm referri in ea problemata, quæ non sunt utilia neque ad eligendum, aut fugiendum tantùm, neque ad sciendum tantùm, sed sunt adminiculantia: hic ait, ipsam Logicam utilem esse ad sciendum tantùm. Probatur enim contrarium, & ex his quæ ipse inferius cap. I. secundi tractatus concedit, ubi ait, hæc problemata esse distincta: & ex illis Aristotelis uerbis I. Top. lib.

"*Problema autem dialecticum est speculatio contendens uel ad electionem, uel ad fugam, uel ad ueritatem & cognitionem, aut ut adminiculans ad aliquid aliud huiusmodi, de quo uel neutro modo opinamur, aut contrariæ plurimi sapientibus, aut sapientes plurimis, aut utriq; idem eisdem. Quædam enim problematum utile est scire solùm ad eligendum, uel fugiendum: ut utrùm uoluptas sit eligenda, uel non. Quædam autem ad sciendum tantùm: ut utrum mundus sit æternus, an non. Quædam uerò ipsa quidem per se ad neutrum horum, adminiculantia autem sunt ad aliqua talia. Plurima autem ipsa per se quidem non uolumus cognoscere, sed aliorum gratia, ut propter hæc aliquid aliud cognoscamus.*"

Quòd si (ut ipse concedit) Logica connumeratur inter ea problemata, quæ sunt adminiculantia, non est, cùm ex eius sententia, ut ostendimus, tum etiam ex uerbis Aristotelis, utilis ad sciendum tantùm: itaq; non potest discernere uerum à falso. hoc enim fieri non potest (ut patet) sine cognitione ueri & falsi, ita autem utilis esset ad sciendum. Igitur eius finis non potest esse, discernere uerum à falso: superuacaneus enim esset, ut demonstrabitur. At ipse contrarium dixit: à se ipso igitur dissentit. *XX. suæ ipsius opinionis euersio.*

Præterea finis contemplatiuæ est, distinguere uerum à falso: ergo hic ipse finis non est Logicæ. Comprobatur id quod antecedit, his quæ scribit Aristoteles VI. Ethic. lib. cap. III.

"*Contemplatiuæ, inquit, mentis, quæ nec in agendo, nec in faciendo, & laus & uituperatio in uero & falso consistit.*"

Ostenditur autem ex eo consequentia, quod Logica non est contemplatiua, propterea quia docet operari, ut patet ex loco proximè citato, & ex VI. Primæ philosophiæ lib. ubi ita scribit Aristoteles,

"*Quapropter philosophiæ tres erunt contemplatrices, Mathematica, Naturalis, Theologia.*"

Quod si Logica nulla est ex his, non est cõtemplatiua. Confirmatur id autem illis Aristotelis uerbis II. Primæ philosophiæ lib.

"*Rectè autem se habet & illud, scientiam inquam philosophiæ appellari contemplationem. nam finis quidem cõtemplatiuæ ueritas est, actiuæ autem opus.*"

Si ergo ueritas finis est contemplatiuæ, non est Logicæ. Deinde, ut Logica sit contemplatiua, quod tamen est falsum, uti probatum est, & ratione, & Aristotelis uerbis, docet enim cõficere syllogismos & demonstrationes, ut patet ex I. Prior. lib. & ex II. Poster. tamen illud consequitur, ut ueritas non sit proprius eius finis, siquidem finis est omnis Philosophiæ contẽplatiuæ. Nos autem loquimur de proprio fine. Quoquo modo igitur dicat Iacomellus, planè tenetur.

Præterea, aut discernere uerum à falso est finis Logicæ, quem ipsa possit assequi, aut contrà. Si finis est, quem ipsa non possit assequi, superuacanea est, quippe quæ finem habet, quem nunquã assequitur. inanis est enim profectò potentia illa, quæ finem suum assequi nunquam potest. Quod etiam patet ex eo quod scribit Aristoteles initio I. Ethic. lib. his uerbis:

„ *Omnis ars, omnisq; doctrina, similiter autem actus & electio, bo-*
„ *num quoddam appetere uidentur.*

Hic enim appetitus non est uanus, ut eo loco ostendit ipse Aristoteles. Quòd si Logica finem illum assequitur, omnium rerum ueritatẽ tenet. eadem est enim planè ratio in Logica, atq; in alijs scientijs, ergo superuacaneæ sunt reliquæ omnes facultates, quæ quidem nihil aliud sibi propositũ habent, nisi ut ueritatem eorũ quæ tractant, assequantur. siquidẽ ut suprà dictũ est, illarũ finis est ueritatis cognitio.

SECTIO XIIII.

ADuersatur homo etiam Græcis expositoribus, à quibus tamen dissentire nefas esse putat. Illi enim posuerunt finem omnis Logicæ esse demõstrationem, ut Alexander in I. Priorum lib. Ioan. Grammaticus initio Interpretationis suæ I. Poster. lib. cuius hæc sunt uerba:

„ Hic, in quo de demonstratione sermo est, finis est Logicæ tracta-
„ tionis. cętera enim Logicalia uolumina ob demonstrationem nobis
„ tradit Aristoteles. Et paulo pòst:
„ Demonstrationẽ igitur omnis Logicę facultatis finẽ esse, palàm est.

Sentit igitur, demonstrationẽ esse Logicæ finẽ, non discernere uerũ à falso. Quod uerum accipitur (ut ipse etiam dicit) pro uerisimili.

Confirmatur autem ex eo, quod ipse Ioannes uult, philosophum demonstratiua regula distinguere uerum à falso in cõtemplatione, in actione autem bonum à malo. Non sentit igitur, Logici esse discernere uerũ à falso, sed solùm tradere regulas, quibus rectè discerni possit.

Præterea secũ dissidet: quippe qui superius dixit ex Aristotelis sententia, quem citauit, omnia quę in Logica pertractantur, demonstrationis causa pertractari. Ex quo planè sequitur, ut demonstratio sit ultimus finis. nam si non est ultimus finis, aliud sit necesse est, quod uel referatur ad ipsam demonstrationem, uel non referatur. si non referatur, in Logica sunt, quæ non pertractantur demonstrationis causa: necesse est enim, ut finis pertractetur in ea facultate, cuius est finis. At contrarium dixit, ergo secum pugnat. Sin autem referatur, nõ est ultimus finis is quem ipse posuit. Aristoteles enim I. Ethic. lib.

In

In cunctis, inquit, fines eorum quæ magis pri-cipes sunt, omni- "
bus inferioribus sunt anteponẽdi. nam illorũ gratia istos prosequit. "

Ergo (ut dictum est) demonstratio est ultimus finis. Cum ipse au- XXI. *sue ipsius opinionis euersio.*
tem dixerit, esse distinguere uerum à falso, planè eum à se ipso dissen-
tire constat.

Præterea, si omnia quæ in Logica pertractantur, demonstratio- XXII.
nis causa pertractantur, finis est eius ipsa demonstratio. ultimus enim
finis dicitur is, ad quem cętera referuntur, ut ex loco citato patet. Ita-
que à se ipso discrepat.

Præterea ex eo quod ait, Entia, quæ pertractantur in Logica, per-
tractari demonstrationis causa: sequitur, ut ei omnia attribuantur. ni
si enim attribuerentur, non tractarentur illius gratia, ut patet. attri-
bui enim aliquid alicui, nihil aliud est, nisi ad illud referri. ergo demõ
stratio est attributionis subiectum in Logica. Sed superius in fine II. XXIII.
cap. dixit, syllogismum simpliciter esse subiectum attributionis: ergo
sibi non constat. Illum autem id posuisse, patet ex his quæ suprà reci-
tauimus, illius loci uerbis:

Videtur item secum dissidere, qui cum dicat ex ijs quæ scripserit,
constare, Logicæ accommodatum subiectum non esse modum co-
gnoscendi, sed syllogismum absolutissimè sumptum: paulo pòst hæc
uerba subiungit,

De fine enim gratia cuius loquor, non de fine qui in alium ordi- "
natur, qui esset constituere modum, cognoscendi uidelicet syllogis- "
mum simpliciter sumptum. "

Itaq; modũ cognoscendi cũ accipiat pro syllogismo simpliciter sum
pto, ponit ipsum esse subiectũ, contrà q̃ dixit. Igitur secum pugnat.

His autem quæ dicta sunt, non modò nõ fieri arbitror, quod ipse XXIIII.
scribit, ut quam ego Logicæ definitionem tradiderim, hæc falsa sit,
sed luce clarius (ni fallor) constat, nullam aliam esse posse ipsius Lo-
gicæ definitionem. Illud quidem certè fit, ut nullo modo possit esse
ea quam ipse tradidit, uti scilicet Logica sit ars, qua uerum à falso di-
scernatur. Quin alteram illam, quam ipse ad meam propius accede-
re putat, longè plures habere difficultates, ex his quæ dicemus, per-
spicuum facilè erit. Ita autem definit,

Logicam esse artem, qua syllogismum construere docemur, quo "
uerum à falso secernimus. hęc enim, inquit, utrunq; finem complecti "
tur, quo scilicet, & gratia cuius. "

Primùm igitur pono id quod nemini obscurum esse arbitror, om
nes facultates definiendas esse per illud subiectum, quod principali-
ter tractãt. ab eo enim habent esse, & unitatem, ac per illud à reliquis
facultatibus distinguũtur. Sic philosophia sumit esse & nobilitatem
à subiecto, quòd tractat, ac per illud à cæteris scientijs distinguitur.
Quòd si cuiusq; facultatis essentia, distinctioq; pendet à subiecto, ne-
cesse est, ut omnis facultas definiatur per ipsum subiectũ. Vnaquæq;
res enim definiri debet per id, à quo habet esse. aliter enim definitio il
la non explicaret quid est, itaq; non esset uera definitio.

Deinde pono, Iacomellum suprà dixisse, syllogismum simpliciter, quem II. cap. appellauit simplicem, cōmunem, & absolutum, esse primum subiectum, & attributionis in Logica: sicuti infrà etiam capite
» quinto scribit, Logicam habere subiectum syllogismum amplissimè
» sumptum, & ut ab omnibus suis speciebus abstrahit. Quæ cum ita sint, ad hunc modum argumentor. Logica, quam iste definit, est facultas: ergo debet illam definire per subiectum eius primum, quod quidem, ut ex eo patet quod secūdo loco posuimus, est syllogismus simpliciter, qui abstrahit à suis speciebus. Quocirca, ut rectè definiatur, definiri oportet per syllogismū simpliciter. Cum igitur definit,
» Logicam esse artem, quæ docet constituere syllogismum:

Necesse est, intelligat syllogismum simpliciter. Sed quod infert,
Quo uerum à falso secernimus:

Declarat, eum non loqui de syllogismo simpliciter: ergo in eadem definitione secū pugnat. Probatur id autem, quòd syllogismus simpliciter (ut ipse ait) abstrahit ab omnibus suis speciebus, itaq; à materia. syllogismus autem, quo uerū à falso discernitur, non abstrahit ab omni materia: est enim aut demonstratiuus, eoq; uno uerū à falso distinguit, ut suprà, expositorū etiam testimonio, satis ostensum est: aut dialecticus, si uerū accipiatur pro uerisimili, ut ipse quidem accipit, quemadmodū patet ex his quę paulo antè recitauimus illius uerbis:
» Hoc in loco uerum latius sumimus, pro uero aut uerisimili, & pa-
» riter falsum pro falso aut falso simili, ut utrique syllogismo, dialectico
» scilicet, & demonstratiuo, satisfaciamus.

Ex quibus quidem sequitur, ut syllogismus, quo uerum à falso discernimus, non abstrahat ab omni materia, propterea quòd aut demonstratiuus est, aut dialecticus. A' se ipso igitur dissentit eo modo, quo diximus.

XXV. suae ipsius opinionis euersio.

Quòd si ita dicat, se syllogismo, quo uerum à falso secernimus, intelligere tantūmodo syllogismum demonstratiuum: id enim quod sumit, declarat, syllogismum simpliciter hoc loco sumi cum materia, itaq; se nihil à se ipso dissentire: errat tamē nihilo secius, ut ex eo quod primo loco posuimus, constat, quòd facultatem Logicam non definijt per primum, atq; adæquatum (ut ipse loquitur) eius subiectum. Quare inanis est, ac planè futilis illa definitio: quāquam ex ipsius uerbis apparet eum non ita sensisse, quemadmodum diximus.
» Nam, Hæc (inquit) definitio utrunq; finem complectitur, quo sci-
» licet, & gratia cuius.

Superius autem initio cap. huius dixit,
» Diuidere uerum à falso, esse finem gratia cuius: syllogismum uerò
» simpliciter sumptum, finem esse, quo ordinetur in alium.

Ergo uult hic, finem gratia cuius, esse, discernere uerum à falso: finem autem quo, esse syllogismum simpliciter sumptum. Per finem enim quo, necesse est intelligat finem, qui refertur ad aliud. siquidem duplex est finis, et cuius gratia, et quo ordinatur. sed finis quo, nō potest esse cuius gratia: ex opposito enim, ut ait ipse, distinguitūr: ergo est finis,

finis, qui refertur ad aliud. Cum autem uelit, definitione illa, quam attulit, utrunque finem comprehendi, ita sentit ut diximus. secum igitur pugnat in eadem definitione, qui & ait, & negat, Logicam agere de syllogismo simpliciter, itemque pertractare demonstrationem. cum enim dicat, eam pertractare syllogismum, quo uerum à falso discernimus, significat, eam pertractare demostrationem. cum uerò syllogismo intelligat syllogismum simpliciter, innuit, eam non pertractare demonstrationem: siquidem syllogismus simpliciter, ex eius sententia, non est demonstratio.

Quòd si dicat, se illud sentire, Logicam considerare, & syllogismũ simpliciter, & syllogismum demonstratiuum, ex illius uerbis sensus hic elici non potest. ea autem hæc sunt:

Logica est ars, qua syllogismum construere docemur, quo uerum à falso secernimus. ""

Illud enim relatiuũ Quo, cum ipsum syllogismũ referat, eum angustius accipi declarat. Huc accedit, ut nõ sit definitio una, et prima, sed per species tradita: quod quàm absurdũ sit, neminẽ latêre arbitror.

SECTIO XV.

AD hæc subdit, nihil magis falsum esse, quam eam, quam ipse reddidi, causam, cur Logica nõ sit scientia, quòd scilicet docet operari. Quod quidem satis mirari non possum, cum illud apud Peripateticos omnes maximè constet, nullam facultatem, quæ doceat operari, propriè dici scientiam: id quod satis nomẽ ipsum declarat. Scientia enim propterea dicitur, quòd per eam scimus, nõ operamur. aliter enim nihil interesset inter habitus speculatiuos, & operatiuos, ut in IIII. nostri libelli sectione ostensum est, quo loco citauimus hæc Aristot. uerba ex I. Ethic. lib.

Faber & Geometra differenter rectũ inquirunt: alter quantũ ad opus utile est, alter quid sit, & quale. contemplator enim ueritatis. ""

Quare sic argumentamur: Geometra ex Aristotelis sententia, est contemplator ueritatis: cum igitur consideret, quid sit rectũ, & quale, non potest illud considerare, ut est utile ad opus. Probatur id autẽ sic, quòd ex eo non posset Aristoteles inferre, ipsum Geometram cõsiderare quid sit rectũ, & quale, nõ quatenus est utile ad opus. Quæ cũ ita sint, sequitur, quòd scientia nõ sit operis causa, cũ sit ipsius ueritatis contemplatiua: uerum enim tantũmodo scimus. Rectè igitur ipsi negauimus, Logicã esse scientiã, propterea quia docet operari.

Huc accedit, quòd scientia non est usus causa, itaque nõ est propter aliquod opus. siquidem opera sine ulla controuersia sunt usus causa, ut quę uel ad necessitatem, uel ad uoluptatem faciunt. Antecedens ostendit Aristoteles I. Primæ philosophiæ lib. his uerbis:

Quare, si, ut ignorationem fugiant, philosophati sunt, patet ob cognitionem, & non usus cuiusquam gratia, scientiam illos esse secutos. Testis autem est id quod accidit. cum enim omnia ad facilè, cum uoluptateque uiuendum, adessent, quæri talis prudentia cœpit. ""

Patet

Patet igitur, hunc hominem, cum neget ueram esse causam illam, quam nos attulimus, quare Logica non sit scientia, quòd scilicet docet operari, longè ipsum à ueritate recedere, cum ex eis quę dicta sunt (meo quidē iudicio) perspicuè appareat, nihil dici posse uerius. Sed de hac re, & in IIII. nostri libelli sectione, & superiori lib. cap. I. multa disputauimus, in his Aristotelem interdum artem appellare scientiam, rursus scientiam artem.

Præterea, cum scientia distinguatur ab arte propriè sumpta, & à prudentia, distinguitur etiam ab habitu actiuo, & effectiuo cū ratione. siquidem, ut VI. Ethic. lib. cap. VI. docet,

» *Prudentia est habitus uerus cum ratione, quæ in his agendis uer-*
» *satur, quæ sunt homini bona, & mala. Ars autem est habitus facti-*
» *uus cum ratione, & è contrario.*

Itaque scientia distinguitur ab habitu operatiuo cum ratione: actiuus enim habitus, & effectiuus, operatiui sunt cum ratione. Quocirca rectè ratio illa concluditur, quæ facultas sit operandi causa, hanc nō posse esse scientiam. id quod satis patet cùm ex VI. Ethic. lib. cap. IIII. ubi ponit Aristoteles quinque habitus intellectus distinctos, reliquisque deinceps capitibus eorum distinctionem tradit: tum uerò etiam ex I. & II. Poster. lib.

Multa præterea homo iste subiungit, ex quibus apparet, eum planè, quid Aristoteles tradat, oblitum esse, uel potius nunquam legisse. Nam ut alia mittā, quæ de uoce πρᾶξις temerè scribit, quæ penitus ab Aristotelis sententia abhorrent, illud certè maximā nobis admirationem attulit, uoce πρᾶξις exteriorem quandam operationem, & factionem (sic enim ipse loquitur) seu exactionē significari, ἀπὸ τοῦ πράττειν, quod est facere. nam in hac re penitus ab Aristotele dissentit, qui VI. Ethic. lib. cap. V. docens, idem planè inter πράττειν & ποιεῖν interesse, quod inter agere & facere:

» *Eius uerò, inquit, quod recipit, aliter se habere, quiddā est quod*
» *fieri, quiddam est quod potest agi (est autem aliud facere, aliud age-*
» *re) credimus his externis quoque sermonibus. Itaque habitus cum ratio*
» *ne actiuus aliud est, quàm habitus cum ratione factiuus. nam neque actio*
» *est factio, neque factio est actio.*

Et capite sexto:

» *Prudentia non utique scientia erit, neque ars scientia. quia id quod*
» *agitur, potest aliter se habere: ars, quia aliud est finis agendi, quàm*
» *faciendi. Restat ergo, ut prudentia sit habitus uerus cum ratione, qui*
» *in his agendis uersatur, quæ sunt hominis bona & mala. nam faciendi*
» *quidem alius finis, agendi uerò non alius.*

Et primo Politicorum lib.

» *Præterea cum specie differant facere & agere, & indigeat u-*
» *trunque instrumentis, necessarium est & illa eandem habere differen-*
» *tiam, uita certè actio, non factio.*

Ex quibus omnibus locis planè constat, longè interesse inter facere & agere, quòd (ut ita loquar) post factionē manet aliquid, ut exempli causa, domus postquā facta sit: post actionē autē nihil, ut post cytharæ pulsationem. Cum igitur apud Latinos ipsi πράττειν respondeat agere, Iacomellus autem πράττειν, post cuius operationem nihil manet, latinè interpretetur facere, post cuius operationem relinquitur aliquid, secum omnino pugnat, atq; ab Aristotele dissentit. XXVI. *suæ ipsius opinionis euersio.*

Verba autem facere et agere sic inter se distingui, ostendunt etiam ij, quibus ipse tantùm tribuit, Aristotelis Interpretes. In quibus Alexander VI. Primæ philosophiæ lib. cap. II.

Est autem, inquit, effectiua scientia, ut in Moralibus Nicomachijs latius explicatur, cuius opus post actionem manet, ut ars ędificandi. nam post ædificationem, opus eius, hoc est domus persistit. Actiua uerò, ars saltandi, siquidem post saltationem nihil superest.

Hoc idem etiam testatū reliquit in XI. Primę philosophiæ lib. cap. XXV. Talem aūt reperiri habitū, post cuius operationem aliquid interdū maneat, interdum nihil, ostendens etiā Aristoteles I. Ethic. lib.

Videtur autem, inquit, inter fines differentia quædam. alij nanq; sunt operationes, alij præter eas opera aliqua. Quorum uerò fines alii qui sunt propter actiōes, in his potiora sunt opera, quàm operationes.

Et IX. Primæ philosophiæ lib. tex. XVI.

Quanquam autem in quibusdam ultimum est ipse usus, ut uidendi potentiæ uisio, ubi nihil aliud à uisu fit opus. In quibusdam fit aliquid præter usum, ut ab extruendarum ædium facultate, præter ædificationem fit domus.

Errat igitur homo iste, cùm in eo quod diximus, tum quòd uidetur hoc inferre, operatiua, ergo practica: cū operatio sit duplex, ut ex eo etiam, quem supra citauimus, Aristotelis loco patet. Quòd si quis fortè Græcarum literarum ignorationem excuset, dicatq;, Quid ipsi nouimus, quod Græcè πράττειν dicitur, Latinè id reddi uerbo agere, non facere? His ita respondemus, & hanc esse loquendi consuetudinem, & qui Aristotelem in Latinum conuerterint, uerbum illud sic ubiq; reddidisse. Sed quo melius intelligant, quàm nulla sit hæc eorū excusatio, nobis faciendum putamus, ut Quintilianum non paruæ inter Latinos scriptores auctoritatis, testem laudemus. Is II. Oratoriarum Institutionum lib. ita scriptum reliquit:

Cum sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est cognitione et æstimatione rerum, qualis est Astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητική uocatur: aliæ in agendo, quorum in hoc finis est, & ipso actu perficiuntur, nihilq; post actum operis relinquunt, quę practice dicitur, qualis saltatio est: aliæ in effectu, quæ operis, quod oculis subijcitur, confirmationem, non finem, accipiunt, quam poëticen appellamus, qualis est pictura: ferè iudicandū est, Rhetoricā in actu cōsistere. hoc enim quod est officij sui, pficit, atq; ita ab omnibus dictū est.

Meritò

Merito igitur, ac iure optimo refellitur à nobis illud Iacomelli, Vocabulum πρᾶξις exteriorem quandam operationem, factionem, seu exactionem significare, ἀπὸ τοῦ πράττειν, quod est facere: cum dicendum fuerit, ἀπὸ τοῦ πράττειν, quod est agere. Ex quo planè constat, quanti putanda sint ea, quorum hæc ipse tanquam fundamēta iecit: quæ quidem à Peripateticorum omnium sententia, uti nos ostendimus, plurimùm abhorrent. Quare illa planè omittenda duximus, cum præsertim & libello nostro, & I. cap. quinti huius Apologiæ libri satis ostenderimus, quo pacto accipiatur ars, ad quæ loca nos reijcimus. Neq; enim ullam aliam πράξεως definitionem probamus, nisi eam quam tradidit Aristoteles. nouimus enim & ipsi, quid D. Thomas sentiat. sed de unius Aristotelis sententiá disputamus, parum scilicet laborantes, quid reliquis uideatur.

SECTIO XVI.

IN quinto autē capite, ubi ait, Velle se dispicere, quid inter Logicam & dialecticam intersit, multa scribit, quę mihi quidem summam attulerunt admirationem. Nam posteaquam recitauit, quam mihi ascribit, Dialecticæ definitionem, Dialecticā scilicet esse artem perspiciēdi probabile in unaquaq; re: ait, se mecum quidem non dissidere, mirari autem; cur non eam his Aristotelis uerbis definierim, quibus ille initio primi Top. libri usus est:

Propositum est, inquit, methodum inuenire, qua poßimus de quolibet problemate ex probabilibus syllogizare.

Addit etiam, potuisse me ipsam Dialecticam definire, ex his quæ II. cap. eiusdem lib. ita scribit Aristoteles:

Dialectica est facultas ipsius probabilis inquisitiua, ad omnium methodorum principia uiam habens.

Itaq; meam illam & probat, & improbat, definitionem, ut eius imbecillis atq; inconstantis iudicij quasi trutina quædam, paulo momento, modò huc, modò illuc impellatur, quò tandem inclinet atq; propendeat incerta. Ego autem non dixi dialecticam esse artem, sed facultatem, quomodo quidem appellauit Aristoteles I. Rhetor. lib. quem locum & in Commentario recitauimus, & alibi etiam recitabimus. Neque uerò parum interest, utrum dicatur ars, an facultas. nam propriè non est ars, sed facultas. Illud autem satis mirari non potui, quòd homo iste putat, Aristotelem initio primi Topicorum lib. actu definisse dialecticam. Quibus enim uerbis eo loco utitur Aristoteles, non ipsam dialecticam definit, sed quid ipse pertractaturus sit, ostendit. Quòd si ex illis uerbis dicatur, Dialecticæ definitionem colligi posse, id uerò minimè negamus: collegimus enim & inde ipsi definitionem illam, dialecticam esse facultatem perspiciendi probabilia in unaquaq; re. Nam si habuerimus facultatem perspiciēdi probabilia in unaquaq; re, habebimus etiā methodū syllogizandi ex probabilibus de omni proposito problemate, siquidē

ita

ita habebimus probabilia cuiuscunque problematis, ex quibus de proposito problemate argumentari poterimus. maluimus tamen sequi eam, quam tradidit Aristoteles, Rhetoricæ definitionem, quam rhetoricam dixit esse conuertibilem cum dialectica. eam autem sic definit, esse facultatem perspiciendi persuasibile circa unamquanque rem. multis enim locis docet, idem planè esse persuasibile, & probabile. Quod autem scribit Iacomellus, potuisse me ex 11. Top. cap. Dialecticæ definitionē elicere, ut ita definirem, Dialecticam esse facultatē ipsius probabilis inquisitiuam, ad omnium methodorum principia uim habentē, non uidetur, neque ea quæ ibi tradit Aristoteles, nec ea quæ à me in libello meo scripta sunt, satis animaduertisse. Præter cætera enim, quæ ibi ego de dialectica disserui, hæc ipsa uerba protuli:

Atque idcircò dicitur syllogizare contraria, & habere aditum ad propria omnium facultatū principia, quòd per ea probabilia, quæ sunt circa singula, de singulis potest agere.

Quæ uerba haud ego sanè intelligo, quid sensu ab illis differant:

Amplius autem ad prima principiorum, quæ sunt circa unamquanque disciplinā, subaudi utilis est. Nam ex proprijs secundùm propositam disciplinam principijs, impossibile est aliquid dicere de ipsis, eo quòd prima principia omnium sunt. Per ea uerò quæ sunt circa singula probabilia, necesse est de eis pertransire: hoc autem proprium, uel maximè conueniens dialecticæ. cum enim sit inquisitiua, ad omniū methodorum principia uiam habet.

Multa præterea congerit homo, ut quam ego definitionem confutauerim, eam ipse tueatur. Sed in his negandum non esse arbitror. Dissoluendæ enim fuerant rationes eæ, quibus mihi quidem satis ostendisse uideor, malè dialecticam pro Logica definiri, plurimumque ab Aristotelis doctrina abhorrere distinctionem illam dialecticæ in docentem, & utentem.

Neque uero nos diximus, definitionem illam dialecticæ esse falsam, si de ipsa dialectica accipiatur: quanquam etiam, ut ex his quæ de dialectica disputauimus, patet, hoc ipsum uerè dici potuit. Sed negauimus, Logicæ illam omnino conuenire ob eas, quas ibi attulimus, rationes. Quocirca nihil ad rem faciunt ea, quibus conatur homo ostendere definitionem illam esse dialecticæ, quam dialecticam probaui ego distinctā esse à Logica. ostendendū enim fuerat, cōuenire Logicæ, measque rationes dissoluere oportuit. Quod utrū factum sit, nec ne, iudicent uiri periti: simul & quàm idoneā iste doctissimi illius hominis, à quo me tam liberè dissentire ait, defensionem excogitauerit.

Quod autem scribit, dialecticā esse scientiam, & artem, propriūque habere subiectum, cuius subiecti ueras proprietates cōsiderat: quàm id uerum sit, facile declarat Aristoteles 1. Poster. lib. his uerbis:

Communicant autem omnes scientiæ ad inuicem secundùm communia. communia autem dico, quibus utuntur, tanquam ex his demonstrā

,, *tes, sed non de quibus demonstrant, & Dialect. omnibus, & si ali-*
,, *qua uniuersaliter, tentat monstrare communia, ut quod omnia affir-*
,, *mare, aut negare, aut quod est æqualia ab æqualibus, aut quælibet ta*
,, *lium. Sed dialectica non est sic definitorum quorundam, nec generis*
,, *alicuius unius est, non enim interrogaret. demonstrantem enim non est*
,, *interrogare propter id, quòd oppositorum esse non demonstrat idem.*
,, *ostensum autem hoc est in his, quæ de syllogismo sunt.*

Et 1. lib. Elenchorum:

,, *Nunc autem non est Dialecticus circa aliquod genus determina*
,, *tum, nec ostensiuus ullius, nec talis, qualis uniuersalis.*

Et 1. Rhetor. lib.

,, *Rhetorica est conuertibilis cum dialectica. nam de his utraque est,*
,, *quæ omnium quodammodo communia, & nullius determinatæ scien-*
,, *tiæ est cognoscere.*

Et eodem libro, quem locum citauimus etiam in Commentario:

,, *Si quis autem, aut hanc, aut dialecticam, non ut facultates, sed ut*
,, *scientias instruere, aut docere conatur, is naturam earum hoc transi-*
,, *tu interimere uidetur, cum non solùm in sermonis, sed in quarundam*
,, *subiectarum rerum scientias redigat.*

Non uult ergo Aristoteles Dialecticam esse scientiam propriè, certumque genus, ac definitum habere. Quòd si dicat Iacomellus, Aristotelem loqui de dialectica utente, cum ait, non esse scientiam, neque certum definitumque genus habere, ut omittamus rationes eas, quibus distinctionem illam satis infirmasse uidemur, ostendat iste obse-
,, cro, quænam sit illa dialectica, quam ipse definijt syllogizare ex pro-
,, babilibus de omni proposito problemate, atque aditum habere ad omnium methodorum principia: utrum sit quæ docens appellatur, an quæ utens. Non potest dicere, utentem esse: de hac enim eum non loqui, satis ipsius uerba declarant: ergo est docens. At ex eius sen

XXVII. *Suæ ipsius opinionis euersio.* tentia, huiusmodi dialectica argumentatur ex probabilibus de omni problemate. ergo proprium non habet subiectum, cuius per se passiones consideret. Sed cum hanc ipse dixerit proprium habere subiectum, à se ipso planè discrepat.

Fieri autem non posse, ut, cum de omni re agat, proprium ullum subiectum habeat: quia si de omni re agit, nullum proprium habet subiectum: etsi hoc satis ipsum per se patet, tamen luce clarius ostendit Aristoteles 1. Rhetor. lib. his uerbis:

,, *Sit ergo Rhetorica uis, qua quid in unaquaque re persuasibile est,*
,, *perspicitur, nullius enim alterius artis id officium est. Nam singulæ*
,, *aliarum circa id quod eis subiectum est, doctrinales, persuadentesque*
,, *sunt: ueluti Medicina circa id, quod sanari, ægrotareque possit:*
,, *Geometria circa passiones, quæ magnitudinibus accidunt. Ari-*
,, *thmetica circa numerum, & similiter cæteræ artes, & scientiæ.*

Rhetori-

Rhetorica uerò, quæ de re data (ut ita dicam) credibilia sunt, perspicere posse uidetur. Quocirca etiam dicimus, non in genere quodã determinato hanc artem uersari.

Si ergo Rhetorica, quòd potest in quacunq; re credibilia perspicere, nõ dicitur esse generis cuiusquã definiti, dialectica item nõ erit ullius definiti generis, quia potest in unaquaq; re probabilia pspicere.

SECTIO XVII.

PRæterea distinctio illa dialecticæ docentis, & utentis, uana est, ac planè falsa. ea enim, quam in Topicis pertractat Aristoteles, aut est docens, aut utens. si est utens, nusquã (uti patet) agit Aristoteles de docente. ergo uel imperfectam dialecticæ cognitionem tradit, uel nulla est ipsa dialectica docens. Sin autem est docens, nullum habet proprium subiectum. uersatur enim (uti patet) in omnibus rebus: ergo non distinguitur ab utente. Quare inanis est, ac planè futilis huiusmodi distinctio. siquidem uolunt, qui illius auctores sunt, hoc inter dialecticam utentem & docentem interesse, quòd altera certi est generis, altera nullum habet certum, definitum'ue genus.

Præterea uidetur secum pugnare, cum ait, Logicam communiorem esse dialectica ea, quam definijt, siquidem ex illa ipsa definitione, quam tradidit, sequitur omnino contrarium. Nam facultas ea quæ de pluribus loquitur, communior est, quàm quæ de paucioribus, ac de una omnino re. Dialectica autem, ut ab illo definitur, de pluribus loquitur, quàm Logica: hæc enim (ut ipse ait) de syllogismo simpliciter, tanquam de proprio subiecto agit, illa de omnibus argumentatur. Ex his ergo quæ ipse dixit, sequitur, ut latius omnino pateat dialecticæ usus, quàm Logicæ. Itaque dialectica non est pars Logicæ, nisi uelit ipse partem esse toto maiorem. Sed cum dixerit, Logicam, si cum dialectica comparetur, ita se habere, quemadmodum totum, quod cum parte conferatur, itaq; communem esse & demonstratiuæ & dialecticæ, in hac item re à se ipso dissentit. XXVIII. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Sed, quòd maiorem solet homo fidem habere uiris ijs, quos insignes appellat, hoc est expositoribus, quàm uel ipsi Aristoteli, alienũ non erit Auerrois testimonio uti, qui quidem initio Epitomes Primæ philosophiæ, ueritate coactus,

"Et dicamus, inquit, quod iam alibi fuit dictum, quòd artes, & scientiarum genera sunt tria: scilicet uel artes speculatiuæ, & sunt illæ, quarum finis est scire tantùm: uel artes practicæ, eæ sunt quarum scientia habetur propter opus: aut sunt artes auxiliantes his ad istas, & dirigentes, & sunt scilicet artes Logicales. In lib. etiam Posteriorum fuit dictum, quòd artes speculatiuæ sunt duæ, uniuersalis scilicet, & particularis. Vniuersalis quidem contemplatur de ente absolutè, & de concomitantibus ipsum essentialibus: cuius species sunt tres, scilicet ars Topicorum, ars Elenchorum, & hæc ars."

Et quæ ſequuntur:

Quod ſi diſtinguit Auerroës Logicam ab artibus ſpeculatiuis, dialecticam autem refert in artes ſpeculatiuas, minimè dubitandum uidetur, quin dialecticam ab ipſa Logica diſtinguat. Quam etiam opinionem in epitome Logicæ teſtatam reliquit. Nemo tamen ita uelim exiſtimet, nos, quæ Auerrois uerba recitauimus, ea omnino probare: ſed illa idcirco recitauimus, ut intelligeret homo, Interpretes nõ nunquam ueritate compulſos, & ſuam, & illorum etiam qui ſequuntur ipſos, ſententiam penitus euertere.

Quod uerò ſubiungit, planè declarat, non ſatis eum perſpectum habere, quod inter perpendiculum, ad quod paries dirigitur, & ipſum parietem interſit, hoc idem inter regulas, quæ traduntur in Logica, & ea quæ in quaque facultate ex ipſis regulis ad præſcriptum conficiuntur, intereſſe: haud illa enim (ut opinor) protuliſſet,

„ Logica primarias partes habet duas, demonſtratiuam, & dialecticam: quarum altera cum neceſſarijs ueris, proprijs, & reliquis ſuo loco poſitis, inſignem notitiam parit, quæ ſcientia dicitur reliqua, ut dialectica cum ex contingentibus ueriſimilibus, atque communibus concluſiones colligat, opinionem aggenerat.

Nam hæc ipſa non de regulis, de quibus eſt Logica, dicenda ſunt, ſed de omnibus, quæ ſunt in alijs facultatibus: ut de hac ſcientia demonſtratiua, Omne animal rationale eſt riſibile, Omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis. Hæc enim ipſa demonſtratio (ut uerbis eius utamur) generat inſignem noticiam: quæ quidem eſt ſcientia huius concluſionis, omnis homo eſt riſibilis. Quod idem dicendum eſt de reliquis eiuſdem generis, quæ & in cæteris ſunt ſcientijs, & in ipſa dialectica, ut de ratione illa: De quo minus uidetur ineſſe, tamen ineſt, ergo de quo magis: At minus uidetur ineſſe, ut miles capiat caſtra, tamen capit, ergo & exercitus. Videtur autem iſte loqui de his, quòd hæc ſunt, quæ ſcientiam generant, & opinionem. non enim loqui poteſt de regulis, quæ docentur in Logica: uel quia illa notitia non eſt ſcientia, ut oſtenſum eſt ſuperius: uel quia nihil intereſt inter regulas, quæ docent conſtituere ſyllogiſmum demonſtratiuum, & quæ ſyllogiſmum dialecticum. ſunt enim æquè omnes ueræ, firmæq́, ac neceſſariæ regulæ. Nam cum illa ſit ſyllogiſmi dialectici regula, ut conſtet ex his quæ uidentur, aut omnibus, aut pluribus, aut ſapientioribus, & quæ ſequuntur, uel ex probabilibus quod pro eodem nunc habeatur: Demonſtrationis autem, ut ſit ex ueris primis neceſſarijs, quemadmodum fieri non poteſt, ut ſit ullus demonſtratiuus ſyllogiſmus, quin ex ijs quæ dicta ſunt, conſtet: ſic item nullus eſſe poteſt ſyllogiſmus Dialecticus, quin ſit ex his quæ uidentur omnibus, & quæ ſequuntur. Ex quo quidem facilè patet, eum de alia planè re locutum eſſe, atque putauit. Cum enim de Logica, de

qua

qua una diſputabatur, ſeſe loqui exiſtimaret, ea dixit, quæ propriè alijs conuenirent ſcientijs, potiſſimùm uero dialecticæ. Quòd ſi diligentius libellum noſtrum perlegiſſet, non ita fortaſſè deceptus eſſet. Sed de his in ſuperioribus libris multa diximus, ad quos Lectorem reijcimus.

SECTIO XVIII.

MVlta habet hæc ſecundi tractatus ſectio: quæ quoniam maiori ex parte in noſtro libello diſſoluta ſunt, minus accuratè perſequenda duximus. Nam cum noſtro illo lib. ut ſuperioribus etiam libris, oſtendiſſemus ſatis, ſuperq́;, enunciationem perdiſci ex cognitione nominis & uerbi, quæ quidem ſunt omnibus ijs quæ in Logica traduntur, uniuerſaliora, ſatis notum eſſe potuit, fieri non poſſe, ut ulterius progrederemur. Item cum docuiſſemus, ſubiectum, prædicatum, æquiuoca, uniuocà (ut ipſe etiam infrà concedit) pertinere ad Primam philoſophiam; ſunt enim hæc omnia affectiones entis, quî potuit homo eas afferre, quas attulit, dubitationes? Præterea, cum ex his quæ eo lib. diximus, ſatis conſtet, ea omnia poſitiones eſſe, quæ ipſis Prædicamentis intelligendis uſui ſunt, eaq́; ipſa ad Primam philoſophiam pertinere: cum item demonſtrauerimus, in Logica ſubiectum, omnesq́; eius ſpecies ſatis, ſuperq́; doceri ſine prædicationibus ijs quas ipſe ponit, cur tantùm laborat, non diſſoluens rationes noſtras, & aſſerens ſine probatione, id quod maximè probandum fuerat?

Dicimus enim, illa oſtendere, Prædicamenta non eſſe Logicæ facultatis partes, ſed Primæ philoſophiæ, uti probauimus. Nam diſtinxit Ariſtoteles res complexas ab incomplexis, ob eam quam noſtro lib. attulimus, cauſam. Duo enim in primis illi propoſita erant in Prædicamentis: alterum principaliter, alterum ſecundo loco. Principaliter quidem, cognitio ſubſtantiæ, cæterorum item generum, ut talia ſunt. Secundo loco, ut de rebus incomplexis oſtenderet, quæ'nam eſſent ſubſtantiæ, quæ quantitates, quæ qualitates, atque ut hoc (quemadmodum lib. noſtro docuimus) ne uideretur de complexis etiam inueſtigari.

Eorum, inquit, quæ dicuntur, quædam dicuntur cumcomplexione, quædam ſine complexione. ‹‹ ‹‹

Deinde declarat, eorum quæ ſine complexione proferuntur, unumquodque ſignificare aut ſubſtantiam, aut quantitatem, aut unum aliquod reliquorum generum, ut intelligeremus id quod diximus. De qua quidem re in undecima libri noſtri ſectione plura diſputauimus, ad quem locum nos reijcimus. Res enim ſunt, quæ ſignificantur per uoces. itaque dicuntur etiam per uoces, & dici per uoces idem planè eſſe apparet. Quòd ſi Ariſtoteles, Singulum horum, inquit, aut ſignificat ſubſtantiam, aut quantitatem, aut reliqua: non illa fuit cauſa, quòd hic liber ſit de uocibus, non de rebus:

res enim significantur. Sed cum id illi propositum esset, quod loco citato diximus, intelligeret autem, non posse nos uti rebus, sed nominibus pro rebus, illa uerba protulit:

» *Singulum eorum quæ dicuntur sine complexione, aut significat sub*
» *stantiam, aut quantitatem.*

Idq́ ob eam quam reddidimus rationem. Si enim discere uolumus, simplicem aliquam rem esse substantiam, necesse est, illius rei nomen cognitum habere. Quare cum necessaria sit illius rei nominis cognitio, dixit Aristoteles, eorum quæ sine complexione proferantur, unumquodque significare uel substantiam, uel qualitatem. Quod idem est, ac si dixisset, singulas res quæ per uoces incomplexas significentur, esse uel substantiam, uel qualitatem, & quę sequuntur. Locutus est autem de nominibus, propterea quòd res nobiscum afferre non possumus. Atq; hunc quidem uerborum eius sen-
» sum esse, facilè declarant quæ infert:

» *Est autem substantia, ut figuraliter dicatur, ut homo, equus. Quãtitas, ut bicubitum, tricubitum, & sic de cæteris.*

Constat enim, uocem homo, & equus, non esse substantiam. Cum igitur unaquæque propositio sic intelligenda sit, ut declaratur, Aristoteles autem declaret (ut ostendimus) propositionem illam, Singulum horum aut significat, & reliqua, intelligendam esse de re: uerba illa, Singulum horum, aut significat substantiam, aut quantitatem, & quæ sequuntur, nihil aliud sibi uolunt, nisi hoc: rerum, quæ sine complexione significentur, alias esse substantias, alias quantitates, & cætera. Quòd si usus est Aristoteles illo loquendi modo, hoc idcirco fecit, ut intelligeremus, nihil à nobis dici posse de rebus, nisi per uoces: idémq́ omnino esse, loqui de uocibus, & de rebus, propterea quòd rerũ causa inuentę sunt uoces. Neq; uerò quod subiunxit, ut tacitam dubitationem tolleret,

» *Singulum igitur eorum quæ dicta sunt, ipsum quidem secundùm se*
» *in nulla affirmatione & negatione, horum autem ad se inuicem com-*
» *plexione, affirmatio fit, uel negatio:*

Id contra nos quicquam facit, cum sensus sit is, quem nos XI. nostri libelli sectione ostendimus. Affirmationes enim, & negationes, fiunt de rebus, atq; in omnibus æquè facultatibus.

Subiungit deinde nõnulla Iacomellus, quæ nostram opinionem maximè uidentur comprobare, si ad rem faciant: quæ tamen à proposito plurimum abhorrent. eius autem uerba hæc sunt:

» Istam uocem Animal, & istam Homo, seductis significatis, quòd
» altera neque superior est, neque inferior, neque una potius præ-
» dicari quàm subijci possit, quinimmo talis prędicatio esset falsa, cum
» ista uox homo non sit ista uox animal, prædicantur enim uoces suo-
» rum gratia significatorum: quibus ignoratis, & uocum cõditiones,
» atq; affectus ignorare necesse est.

Hæc

Hæc ipsa inquam, opinionem nostram maximè uidentur confirmare. Nam si omnia hæc uera sunt propter res, non propter uoces, sunt propter ipsas res, non propter uoces. eorum enim causa unumquodque est, de quibus uerè enunciatur. At in his ueritas reperitur ratione rerum, ergo sunt propter ipsas res: id quod nos asseruimus. Quæ uerò in tertio supposito sunt, quæ maximè contra nos facere uidentur, negamus ea cum Aristotelis opinione consentire. Sed omnia (ut ex his, quæ Commentario nostro, superioribusq; libris disputauimus, & ex lib. de Anima facilè intelligi potest) planè commēta esse existimamus. Sunt enim alia, quæ nostræ fauent sententiæ, de quibus infrà disseremus.

SECTIO XIX.

IN quarto item supposito hominem multa dicere, nihil autem, aut certè perpauca ostendere, facilè intelligent ij qui eius libellum legerint. Nam cum λόγος præter cætera orationem significet, & à nobis ostensum sit, Logicam docere conficere modum cognoscendi, qui est oratio, qua ignota cognoscimus, minimè dubitari potest, quin sit de oratione, qua ignota cognoscimus. Quocirca illlud rectè dici potest, Logicam appellatam esse ab oratione, quæ est eius subiectum. Perperam igitur contra nos ipse disputat, nec quicquam omnino concludit, præsertim cum nobis liceat dicere, intellexisse nos etiam, illam esse de oratione discursiua: cum diximus esse de oratione, qua cognoscimus ignota, latius scilicet accipiendo orationem discursiuam, ut ipsam quoque definitionem comprehenderet. itaq; nihil inter nos dissentiremus. Quanquam illud ego minimè sentio, quòd ille, ut maximam ubique bonarum literarum ignorationem præ se fert, sic ineptè admodum hoc loco garrit, Logicam uideri ἀπὸ τοῦ λογίζεσθαι magis declinari, quàm ἀπὸ τοῦ λόγου. perspicuè enim, ut etiam in doctissima institutione sua Theodorus docet, Logica, quæ λογικὴ Græcè dicitur, ἀπὸ τοῦ λόγου declinatur, non ἀπὸ τοῦ λογίζεσθαι. Quod autem scribit, Aristotelem primo Topicorum libro illam adminiculatoriam appellare cum, tribus problematum generibus positis: deniq; concludit, eam non sui gratia inuentã esse, sed ut alia cognoscamus: uidetur ea penitus euertere, quæ superius dixit. Nam si duntaxat ad alia cognoscenda facit, eius finis non est uerum à falso discernere. Sed de hac re satis suprà disputauimus.

Quæ uerò contra me de ordine lib. Prædicamentorum subiungit, quòd ex eis quæ Commentario meo, & primo, ac tertio huius Apologiæ lib. disserui, facilè intelligi potest, falsa esse, ac nihil planè concludere, ne sine causa longior sim, omittenda duxi.

Quòd autem ad sententiam nostram labefactandam citat Eudemum, & Theophrastum, ipsius Aristotelis auditores, etsi illud respondere possumus, Simplicium, & nonnullos item alios Græcos expositores sæpe ab illis dissensisse, nec esse quicquam eorũ auctoritatem ueritos: quocirca nobis etiam licere, si ita ratio ferat, idem facere;

cere: tamen negamus, Theophrastum, & Eudemum statuisse, librum Prædicamentorum collocandum esse in prima Logicæ parte. ac ita quidem id negamus, ut si contrarium Iacomellus ostenderit, manus illico daturi simus, neque recusaturi, quo minus uel tota causa cedamus. Quòd si homo causam suam Hammonij testimonio tueri uelit, tantùm (meo quidem iudicio) abest, ut ab eius sententia stet Hammonius, ut contra illum uel maximè faciat. Atque ut ipsa res facilius perspici possit, recitabimus ipsius Hammonij uerba: qui cum de Prædicamentis loqueretur,

" Quærimus, inquit, etiam, an suus legitimus, quàm sit philosophi " liber tres enim causæ Aristotelis lib. dignoscendis errorem fecere, " una æquiuocatio auctorum. fuere nanque & Aristoteles alij, quo- " rum scripta ob æquiuocationem nonnulli huiusce Aristotelis esse " existimauerunt. Altera, librorum æquiuocatio. Eudemus enim, & " Phanias, ac Theophrastus, eius discipuli, præceptoris exemplo Prædicamenta, & de interpretatione, & resolutoriam scripsere. Tertia " huiuscemodi est: Ptolomæum Philadelphum Aristotelis conqui- " rendorum operum, perinde ac reliquorum perstudiosum fuisse tra- " dunt, pecuniasque ijs persoluisse, qui philosophi ad ipsum libros affer- " rent. Quo factum est, ut quidam, lucri spe, libros philosophi nomi- " ne inscribentes comportarent, sanè libros in magna bibliotheca Re- " solutiuorum quadraginta, Prædicamentorum duos inuentos affir- " mant: suntque hic Prædicamentorum, Resolutiuorum autem qua- " tuor ueri, legitimique Aristotelis iudicati ab Interpretibus, tum ex " sententijs, uerbisque, tum quòd huiusce libri philosophus alibi identi- " dem meminerit.

Hæc autem eius opinioni nõ fauent, quod Hammonius de Theophrasto, Phania, Eudemo meminerit, ut ostenderet, tres esse causas, cur facilè errari potuerit in Aristotelis libris agnoscendis. Itaque patet, nihil ad rem facere, quæ Iacomellus citauit. Quòd si cum libros illos numeraret Hammonius, hoc ordine usus est, ut primùm mentionem faceret lib. Prædicamentorum, deinde lib. Perihermenias, postremò lib. Resolutiuorum, id propterea fecit, quòd huius ipse fuit opinionis, & per accidens. Liber enim Prædicamentorum erat, de quo ambigebatur. Quanquam concedimus, illos Aristotelis discipulos, ipsius Aristotelis exemplo, scripsisse eos, quos diximus, libros. Sed rem tamen ipsam arbitramur, non quod illi fecerint, ordinem illius lib. declarare. Pugnat autem Hammonius cum istius sententia, propterea quòd si ambigebatur (ut ipse scribit Hammonius) an esset Aristotelis liber, quî constare potuit, ab Aristotele eum ipsum librum initio Logicæ collocatum fuisse? Qui enim liber, an Aristotelis sit, dubitatur, eum certo definitóque loco ab ipso Aristotele constitutum esse, sciri nullo modo potest.

Quod uerò subdit, ut uerum esset, quod scribit Macrobius de Aristotelis libris, nihil tamen id à me facere: non satis quidem mi-

rari

rari possum hominis ingenij tarditatem, stuporemq́;, qui non intelligat, quod nemini sanè obscurum esse arbitror, si confusi, nulloq́; ordine reperti sint libri illi, qui multos ante annos latuissent, scire non potuisse, qui eos postea in certum ordinem redegerint, sic fuisse ab Aristotele ordinatos: id quod ipsi quidem ostendere uolumus. Nobis enim satis est, non posse Aristotelis Interpretes probare, ipsum Aristotelem librum illum Prædicamentorum initio Logicæ statuisse: præsertim cum nusquam appareat, id Aristotelis discipulos asseruisse, quod recentiores isti dicunt, qui quidem non uidentur eorum libros legisse: quod planè declarant uariæ ipsorum sententiæ, de principali huius libri fine. Nam si legissent eorum libros, secuti essent, quam illi præseferrent, opinionem, nec tantopere inter se dissentirent. Sed cum tanta sit (ut ex Hammonio constat) illorum inter se dissensio, minimè quidem dubitandum uidetur, quin libros auditorum Aristotelis non legerint, præsertim cum nullam eorum opinionis mentionem faciant: cum tamen multò magis proferenda esset illorum sententia, quàm Posteriorum. Quare uidentur ipsi quidem Interpretes tantùm ex historijs cognouisse, Theophrastũ, Phaniam, Eudemum, cõscripsisse huiusmodi libros: quos tamen si legerint, eorum autem opinionem secuti non sint, sed illam omnino neglexerint, cur alijs item non liceat, eorum auctoritatem, cum præsertim cogat ratio, tanti quidem facere, quanti præstantissimorum uirorum ipsi fecerint?

Quod uerò ad ea attinet, quæ subdit Iacomellus, quemadmodum repertus est aliquis fortè primus, qui præposterum ordinem libri de generatione animalium animaduerterit, deinde factum est, ut multi in eius sententiam discesserint: Ita quidem nihil obstare uidetur, quo minus ego primus huiusce rei, de qua disputatur, ueritatem inuenerim. Quòd si aliter multi senserint, id nequaquam eius ordinis errorem tollit. nobis enim illud satis est, rationẽ, & ipsa Aristotelis uerba ostendere, in illo ordine erratum fuisse: quòd autem perpauci animaduerterint, aut nulli, id uerò uiderint ipsi.

SECTIO XX.

QVod autem secundo capite eiusdem tractatus ait, opinionem meam non esse probabilem, illa quidem tantùm abest, ut non sit probabilis, ut sit etiam (meo quidem iudicio) maximè scibilis. est enim (ut existimamus) certis planè, firmisq́; rationibus communita, quas ipse minimè dissoluit, ut ostendisse nos, atq; etiam ostensuros esse speramus. Sed fingamus, illam non esse probabilem: ex eo tamen non sequitur, ut non sit uera, uti primo Rhetoricorum libro, capite uigesimotertio his uerbis docet Aristoteles:

Item, quod si multa, etsi hominibus credibilia sint, falsa tamen sunt, contrarium quoque credendum est, multa, quamuis mortalibus incredibilia sint, uera tamen esse.

Quod

Quod si ita est, facilè quidẽ fieri potest, ut hæc opinio minus probabilis, uera tamẽ sit. Itaq; nihil planè cõtra nos hominis ratio cõcludit.

Quæ uerò subdit, ut ostendat, quibus in rebus uersetur Dialectica, partim nihil (meo quidem iudicio) opinionem meam labefaciãt, partim illam etiam confirmant. annumeratio enim problematum, quæ sunt dialecticæ, nihil contra nos facit: quippe qui posuimus, dialecticam esse à Logica distinctam. Quare, ut etiam ad dialecticam Prædicamenta spectent, ex eo tamen non sequitur, ut sint pars Logicæ facultatis.

Illud etiam nostræ maximè fauet opinioni, quòd ex IIII. Primæ philosophiæ lib. sic argumentatur. Metaphysicæ est pertractare partes entis, ergo dialecticæ. hoc enim planè assentimur, siquidẽ ex ipsis Aristotelis uerbis manifestum est. Sed quòd infert, igitur ad Logicã: id uerò negamus. Nam ex illo Aristotelis loco non modo non sequitur, ut ad Logicam pertineat, sed omnino cõtrarium. Sequitur enim ex illo ipso loco (quemadmodũ in procemio Commentarij nostri ostendimus) ut dialectica nõ sit Logica. siquidem nullo modo Logica potest agere de ente simpliciter, de substantijs abstractis, & huiusmodi: cum, ex istius quoq; sententia, proprium subiectum habeat. Non enim Logicus, qui docet instrumenta cognoscendi constituere, potest quicquam de substantijs abstractis probare, quod tamen dialecticus facit. Fauet igitur, quod hoc loco argumentatur Iacomellus, opinioni nostræ.

„ Quod uerò subdit, Aristotelem I. Elenchorum lib. in fallacia figu-
„ ræ dictionis, cum dixisset, uel rursus quale quantum, uel quantũ quale, uel faciens patiens: uel depositum facere, intulisse,
„ Et alia re determinata est prius:

Negamus, eum intellexisse lib. Prædicamentorum, ut ipse opinatur, sed libros Topicorũ. Vbi quidem enumerauit omnia decem Prędicamenta. Librum autem Elenchorum insequi libros Topicorum, minimè dubitari potest.

Quæri tamen ex hoc homine licet, ubi'nam docuerit Aristoteles in Logica, lineam constare ex punctis, quo tamen exemplo usus est primo Posteriorũ libro. Quid? nonne primo etiam Periherm. libro mentionem fecit Aristoteles de passionibus animæ, quas tamen ad lib. de Anima pertinere dixit? Multa item alia in hãc sententiam afferri possint, sed breuitatis causa omittenda putauimus. Negamus autem, quod iste ait, si à Logica subtrahatur lib. Elenchorum, ut subtrahendum quidem arbitramur, quippe qui est pars dialecticæ, multò magis subtrahendum esse lib. Posteriorum. Nam lib. Poster. tradit solùm regulas conficiendi demonstrationes per se, quod (ut à nobis multis locis ostensum esse putamus) neque Dialectica facit, neque Sophistica. Sed hæc hactenus, quod ad Quintum Apologiæ librum attinet.

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE

Liber Sextus.

SECTIO PRIMA.

HActenus (opinor) responsum est ad ea, quæ habet & primus, & secundus tractatus Iacomelli: quare consequens est, ut ad reliqua pergamus.

Primùm igitur, cum ego ita sim argumentatus: in lib. Prædicamentorum tractatur substantia, ut substantia: et qualitas, ut qualitas: eodemq; modo reliqua genera, ergo liber ille non est pars Logicæ. Nam substantia, ut substantia, & quantitas, ut quantitas, cum sit Primi philosophi (ut ex ijs quæ dicta sunt, quæq; dicentur, facilè constat) non est Logici. Consequentia manifesta est: id uerò quod antecedit, ex eo ostendimus, quod ibi explicatur substantia, ut substantia: uidelicet substantiam id esse, quod non est in subiecto, probanturq; eius proprietates, ut substantia est, ut cum una atque eadem numero maneat, esse susceptibilem contrariorum. Itaque considerari diximus, ut substantia est. unumquodque enim eo considerari modo, quo describitur, quóque eius probantur affectus. non enim fieri posse, ut intelligatur, quicquam considerari, ut tale, nisi quemadmodum dictum est.

Ad hæc ille respondens, etsi non satis uidetur argumenti uim percepisse, tamen fingamus ita esse, ut ipse ait. Inquit ergo:

" Si ego assumptionem ita intelligo, ut uidetur, ut uidelicet substantiæ natura, & cæterorum generum, ac suarum specierum in hoc libro considerentur ut talis est, & pariter eorum affectus considerantur, ut tales sunt, tunc ea concessa, sequelam negamus.

Sed quî potest homo, cum antecedens concesserit, negare consequentiam? Nam si consideratur ibi substantia, ut substantia, nullo modo ad Logicam spectat, ut ostensum est. Item si consideratur ut substantia, considerari non potest ut prædicatum: considerare enim substantiam ut prædicatum, non est considerare illam ut est substantia. Nam considerare substantiam, ut est substantia, est propriam eius naturam contemplari: at illam considerare, ut est prædicatum, non est contemplari propriam eius naturam: ergo considerare substantiam, ut prædicatum, non est considerare illam, ut est substantia.

Secum igitur pugnat Iacomellus, concedens: substantiam in libro Prædicamentorum considerari, ut est substantia: & inferens, considerari, ut prædicatum. non enim, si consideretur ut substantia, primò considerari potest: ut prædicatur, et subijcitur. Quòd autē secundo loco ita consideretur, ut ex eius dictis sequitur, & hoc, & illa eius

altera

altera ſubiectio, quam citat, noſtræ admodum fauet opinioni, ut patet, utq; antè dictum eſt. Valet ergo hic argumentandi modus: Subſtantia in lib. Prædicamentorum conſideratur, ut ſubſtantia, eodēq; modo reliqua genera: ergo hic liber non eſt pars Logicæ. Subſtantiam enim, ut eſt ſubſtantia, & reliqua genera, ut talia ſunt, ad Primã omnino philoſophiam ſpectare, cum ſint ſpecies entis, nemo ſanè in dubium uocare poteſt, præter iſtum hominem, qui idem modò ait, modò negat.

Præterea quis dubitet, niſi ſit Peripateticæ doctrinæ planè ignarus, futura contingentia tractari in libro Perihermenias, non ut talia ſunt, ſed quatenus ex ipſis docētur fieri affirmationes & negationes, cum ita ſcribat Ariſtoteles:

» *In his ergo quæ ſunt, & facta ſunt, neceſſe eſt, affirmationem uel*
» *negationem ueram eſſe, uel falſam, in uniuerſalibus quidem uniuerſali*
» *ter, ſemper hanc ueram, illam uerò falſam eſſe, & in his quæ ſunt ſin-*
» *gularia, quemadmodum dictum eſt. In his uerò quæ in uniuerſalibus*
» *uniuerſaliter dicuntur, non eſt neceſſe. Dictum eſt autem & de his.*
» *in ſingularibus autem, & futuris non ſimiliter. & probat, quia omnia*
» *uenirent de neceſſitate.*

Hæc igitur pertractatio contingentium eò pertinet, ut ſciamus, quemadmodum in his affirmatio, & negatio, aut uera ſit, aut falſa in tempore futuro. Itaque contingentia eo loco non tractantur, ut contingentia, ſed affirmationis & negationis cauſa, atque hoc pacto pertinent ad Logicam. De uocibus etiam, & de ſignis agi ob ſyllogiſmum, quis poteſt ambigere, modò Ariſtotelem legerit? cuius hæc ſunt uerba:

» *Enthymema igitur eſt ſyllogiſmus imperfectus ex ueriſimilibus,*
» *aut ſignis. Accipitur autem ſignum trifariam, quot modis & mediũ*
» *in figuris, aut ut in prima, aut ut in media, aut ut in tertia.*

Et paulo pòſt:

» *Aut igitur ſic diuidendum ſignum, horum uerò medium ueſtigium*
» *ſumendum. ueſtigium nanque quod ſcire facit, aiunt eſſe. tale autem ma*
» *ximè, quod medium, & quæ ex extremis, ſignum dicendum. Quæ uerò*
» *ex medijs ueſtigijs, probatiſſimum. nanque & maximè uerum, quod*
» *per primam figuram.*

Ex quibus planè conſtat, hęc tractari ſyllogiſmorum cauſa. Quæ item de ſyllogiſmo Phyſionomico agit Ariſtoteles, & ad librum illum pertinere teſtatur Iacomellus his uerbis:

» De ſyllogiſmo Phyſionomico pertractatur, tractare enim de om-
» ni ſyllogiſmo pertinet ad Logicam. id quod ſuperius etiam ſcripſit.

Sed miſſum illum faciamus, & Ariſtotelis uerba citemus, qui ait:

» *Eſt itaq; naturam cognoſcere, in prima figura medium conuerti*
» *cum primo extremo, ſupergredi uerò tertium, & non conuerti.*

Cum

Cum igitur doceat, quemadmodum cõficiatur syllogismus Physionomicus, huiusmodi pertractatio ob eam, quam demonstrauimus, rationem, ad Logicam pertinet.

Sed Dij boni, quàm iste præ se fert, nunquam se libros eorum legisse, quorum tamen doctrinam maximè profitetur, non enim profectò in has incidisset ambiguitates. Nam Ioannes Grammaticus exponens eum, quem iste de syllogismo Physionomico recitauit, locum, ita scribit:

" Quia dixit hoc, quòd omnis demonstrans per unam trium figurarum, ostendit hoc, hoc uult ostendere, quod etiam studiosi naturæ per unam trium figurarum ostendũt. Et Burana: Alulidus uerò Rosadij, ac Ioannes Philoponus (meo iudicio) melius quàm D. Albertus, intendere philosophum asseruere aliud syllogismo annexum describere, hoc est quomodo syllogismus Physionomicus per figuram disponatur.

Et paulo pòst exponens ea, quæ citauimus, uerba:

" Nunc tale, inquit, propositum exequitur, hoc est quomodo Physionomicus constituatur syllogismus, inquiens, quòd talis ratiocinatio in prima complicatur figura.

Et Augustinus Suessanus,

" Cum dixisset, quòd omnis ostensor ostendit per unam trium figurarum, nunc uult etiam ostendere, quod etiam Physiognomantes ostendunt per unam trium figurarum.

Sed quid afferre possumus, quod liquidius nostram opinionem comprobet: quàm quòd Aristoteles paulò ante ea, quæ homo iste recitauit, uerba, sic scribit:

" *Quoniam autem nõ solùm dialectici, & demonstratiui syllogismi per prædictas efficiuntur figuras, sed & Rhetorici, & simpliciter quæcunque fides, & secundùm quancunque methodũ, nunc utique dicendum est. omnia enim credimus, aut per syllogismos, aut ex inductione.*

Quibus sanè uerbis (ut testantur etiam Interpretes ipsi) uult ostendere, in unaquaque arte, & methodo, argumenta omnia fieri in ijs, quas ante demonstrauit, figuris. Itaque eas annumerauit facultates, de quibus magis ambigi potuit.

Nec cuiquam dubium esse potest, quin si futura contingentia simpliciter & absolutè cõsiderentur, sequatur, ut non sint pars Logicæ, ac ita quidem dicendum est: uel Logicum de eis agere, quatenus personam alterius artificis suscipit: uel non rectè, propterea quòd non licet descendere de genere in genus.

Sed cum minimè dicendum sit, eum suscipere personam alterius artificis, aut huiusmodi pertractationem esse superuacaneam, sequitur, non considerari, ut talia sunt.

Præterea, si uerus est primus sensus antecedentis, id quod ipse cõcessit, sequitur, ut (quemadmodum ostensum est suprà) falsum sit, quod ita subiungit:

» Altero sensu ipsius antecedentis, cum abundè superius demon» strauerimus, res ibi considerari, ut significata sunt uocum, ac sub» stracta secundarum intentionum. Primò enim in eo lib. prædicata, » atque subiecta, & ut prædicantur, & ut subijciuntur, rationem habent, » & ut ad ipsas tandem propositiones ordinari debent, consideratur.

Nam si (ut dictum est) substantia, & cætera genera pertractantur, ut talia sunt, non possunt tractari, ut subiecta & prædicata. Itaque tractantur primò, ut res. Verus est etiam ultimus antecedentis sensus, nihil est enim in decem Prædicamentis, quod ab eo discrepet, quod diximus.

Præterea, si hæc considerantur, ut talia sunt, considerantur per se. cũ enim considerentur ut talia sunt, considerantur secundùm quòd ipsum: itaque per se, & absolutè. Quòd si dicantur considerari per se, & sub aliqua relatione, sequetur, ut eiusdem Prædicamenti, uerbi gratia substantiæ, duo sint prima subiecta: alterum quatenus substantia absolutè consideratur, alterum quatenus refertur ad propositiones. Quod quidem sequi in reliquis Prædicamentis, neminem latêre arbitror.

Ex qua quidem re illud consequi uidetur, quod etiam ex ipsorum sententia absurdissimum est, ut liber is sit pars & Primæ philosophiæ, & Logicæ. Nam, quatenus in eo tractantur Prædicamenta absolutè, est pars Primæ philosophiæ: quatenus uerò ea, quam demonstrauimus, relatione Logicæ, quod quidem nullo modo fieri potest.

Quæ autem affert Iacomellus, ut ostendat, falsum esse antecedens, » ex his illud à ueritate planè abhorret, quod ait, Aristotelem in ante» prædicamentis multos ipsius generis substantiæ, atque eius specie» rum, & pariter reliquorum generum affectus monstrasse, ac Prædi» camentis, qui substantiæ competant, non inesse naturæ, sed ut intelle» ctæ, ac ipsius intellectus possibilis actu collatiuo ipsi derelictæ. Nam in anteprædicamentis non ostenduntur affectus, neque substantiæ, aut eius specierum, neque cæterorum generum: sunt enim positiones, ex quibus concluduntur conclusiones, & proprietates omnes, quæ sunt in Prædicamentis, ut perspicuum sit legentibus.

Docuimus etiam superioribus libris, & in Commentario, omnia illa conuenire substantiæ, & reliquis generibus pro re, non ut sunt in intellectu. Atque ea quæ citat ex Prædicamento substantiæ, conuenire ipsi substantiæ pro re, non pro intentione. De illa autem definitione, reijcimus nos ad tertium Apologiæ librum, in quo abundè existimamus nos ostendisse, de hac item re falsam esse istius opinionem.

SECTIO II.

QVæ uerò ait, ut proximam rationem meam diluat, falsa sunt, uti sæpe iam ostensum est. omnia enim conueniunt substantiæ pro rebus. Neque rectè meum recitat argumentum, neque dissoluit: in hanc enim sententiam argumentatus sum. Probare, aliquid esse magis substantiam quàm aliud, pertinet

pertinet ad Primum philosophum: sed in Prædicamentis probatur aliquid huiusmodi, ut potè species esse magis substantias, quàm genera: ergo probatio illa pertinet ad Primum philosophum. Priorem propositionem, quam negat iste me confirmasse, dixi, manifestam esse ex ijs, quæ septimo Primæ philosophiæ libro scribit Aristoteles, ubi docet, formam esse magis substantiam, quàm materiam, quæ uerba iste præterijt.

Ex quibus illud ego inferre uolui, probationem eam, qua utitur Aristoteles in Prædicamentis, esse Primi philosophi, quòd eadem omnino sit utriusque probationis ratio. Deinde cum dixissem, probationem illam primo pertinere ad Primam philosophiam, addidi, ut dicetur, quòd hoc eram magis infrà ostensurus, quod etiam egregius iste uir subticuit. Quare non satis uidetur meam illam rationem percepisse, cum ita scribat:

"Antecedens falsum est, cum sit una copulatiua, cuius secunda pars est falsa: uidemus enim duas illius conclusiones esse Logicas."

Nam cum unum sit argumentum, cuius illa maior est propositio: Probare, aliquid esse magis substantiam, quàm aliud, pertinet ad Primum philosophum. ad hanc ille nihil, nisi hoc:

"Videmus enim, duas illius conclusiones, assertiones esse Logicas."

Quæ uerba, & quæ sequuntur, præterquàm quòd nihil ad rem faciunt, sunt etiam falsa, ut ex his quæ superius dicta sunt, facilè intelligi licet. Omnia enim quæ profert, conueniunt substantiæ pro re.

Vbi autem meam illam rationem conatur diluere, qua ostendi, Aristotelem imperfectam traditurum fuisse rerum cognitionem, nisi de substantia, ut substantia est, itaq; de cæteris generibus, quæ in libro Prædicamentorum tractantur, egisset: permulta illum scribere, quæ planè à ueritate aliena sunt, facile est intelligere. Huiusmodi enim usus sum argumentatione. Nusquam Aristoteles perfectè egit de decem rerum generibus, quorum tamen necessaria erat pertractatio, nisi in Prædicamentis: ergo de his ibi agit, ut talia sunt. aliter enim quasi mancus fuisset, ac mutilatus. Vt autem multa mittam ex his quæ contrà scribit Iacomellus, quæ iam refutata sunt, quæq; nihil ad rem faciunt, cum ostendit, Aristotelem libro Primæ philosophiæ quinto, & sexto, & octauo, & duodecimo egisse de his, longè falli uidetur: afferendæ enim fuerant exactæ Prædicamentorum omnium descriptiones, & proprietates: ostendendumq; fuerat, Aristotelem egisse de his speciebus, quatenus decem illis generibus continentur. Quod iste cum neque fecerit, nec facere potuerit, nusquam enim alibi tractantur, non rectè dixisse existimandum est. Quod uerò negat, Aristotelem egisse in eo libro de causis substantiæ, & quæ sequuntur, hoc non sufficit. Nam etsi ad perfectam ipsius substantiæ cognitionem requiritur omnium causarum cognitio, non tamen id satis est, uti ostensum est in Commentario, & superioribus libris. requiritur enim cognitio quoque

proprietatum eius. Cum uerò scribit nono libro, & decimo abundè de his esse pertractatum, quòd pertractatum est de actu, & potentia, de uno, & multis, de eodem, & diuerso, & de oppositione, Quis non iure exclamet? cum uideatur homo illa etiam ignorare, quæ uel ij tenent, qui primoribus modò labris Aristotelem attigerint? Atq; ut res melius percipiatur, recitabimus uerba illa Aristotelis V. Primæ philosophiæ lib.

» *Insuper ipsum esse, & ens, partim id quod potentia, partim id*
» *quod est actu, significat. Nam & id quod potentia, & quod actu ui-*
» *det, uidens dicimus esse.*

Item IX. eiusdem Primæ philosophiæ lib.

» *Cum autem id, inquit, quod est partim substantia, aut quantitas,*
» *aut qualitas, partim potentia atque actu dicatur, de potentia etiam,*
» *& actu determinemus oportet.*

Quòd si ens diuiditur in potentiam, & actum, atq; idcirco Primi philosophi est agere de ipsa potentia, quî fieri potest, ut actus & potentia sint affectiones substantiæ?

Sed ut ostendamus, illum de hac re non ab Aristotele modò dissentire, sed ab ijs etiam, quibus tantùm tribuit, expositoribus, recitabimus eorum uerba: ac primùm quidem optimi inter Latinos Interpretes D. Thomæ, qui in primum Primæ philosophiæ librum ita scribit:

» Vnde & illa scientia maximè, & intellectualis, quæ circa princi-
» pia maximè uniuersalia uersatur, quæ quidem sunt ens, & ea quæ
» consequuntur ens, ut unum & multa, potentia & actus.

Vult ergo, actum & potentiam esse affectiones entis, non substantiæ. Et in quintum eiusdem Primæ philosophiæ librum, lectione nona, ita scribit:

» Ponit distinctionem entis per actum & potentiam. in omni-
» bus enim prædictis terminis, quæ significant decem Prædicamen-
» ta, aliquid dicitur in actu, & aliquid in potentia. Et ex hoc acci-
» dit, quòd unumquodque Prædicamentum per actum, & per po-
» tentiam diuiditur.

Quòd si ens diuiditur in actum & potentiam, in singulis autem Prædicamentis inest actus & potentia, quî possunt hæc esse proprietates substantiæ, & reliquorum Prædicamentorum?

Quod enim inest omnibus, nullius est proprium. Item in IX. Primæ philosophiæ librum, textu primo:

» Sed principalis huius doctrinæ intentio non est de potentia &
» actu, secundùm quòd sunt in rebus mobilibus solùm, sed secundùm
» quod sequuntur ens commune.

Alexander etiam in IX. Primæ philosophiæ librum:

» Disputato, inquit, in sexto, septimóque libro de ente per se, con-
» sentaneum est, ut in hoc de eo quod actu est, dicatur, deq; eo quod

est

est potentia differat. Nam cum ens de eo quod est actu dicatur, deque eo quod est potentia, hęc autem doctrina de ente consideret, meritò in hoc libro disputat de potentia & actu.

Quòd si ostendit Aristoteles, & Alexander, Primi philosophi esse agere de actu, & de potentia, quòd in hæc diuiditur ens: sequitur, ut non sint affectiones substantiæ. si enim essent affectiones substantiæ, sic argumentandum fuisset: De illis Primum philosophum agere oportere, quòd in ea doctrina pertractatur substantia, non ipsum ens.

Eundem etiam locum illum exponens Auerroës,

Quia ens, inquit, secundùm quòd ens, diuiditur essentialiter in potentiam & actum, & ista ars habet considerare de ente simpliciter, & de generibus, & aliis, in quas diuiditur essentialiter, incepit hic loqui de speciebus potentiæ et actus, ut declararet substantias eorum, & cō tradicat dicentibus, potentias non esse in entibus.

Si ergo uult Auerroës, ens, quatenus ens, diuidi in actum & potentiam, fieri non potest, ut ex eius sententia, potentiæ & actus sint proprietates substantiæ, reliquorum'ue Prædicamentorum. Quæ enim conueniunt enti, quatenus ens est, conueniunt ei primò: quæ autem illi primò conueniunt, non possunt alteri primò conuenire.

Et in Epit. Primæ philosophiæ lib. 11.

Manifestum autem est, quòd ens non significat ipsa Prædicamenta secundùm puram æquiuocationem: quia si ita esset, non esset genus subiectum huius artis, neque darentur prædicata essentialia, in quæ diuidantur diuisione prima. ut cum dicimus, ens aliquod est actu, aliquod uerò in potentia, & reliqua prædicata essentialia, quæ habet.

Cum igitur ita sentiat Auerroës, prædicata essentialia, in quæ diuiditur ens diuisione prima, esse potentiam & actum, sequitur, ut neque substantiæ proprietates sint, neque cæterorum Prædicamentorum. Hoc idem etiam innuit ipse Auerroës in primum librum de Anima, Comm. sexto.

SECTIO III.

QVod autem dictum est de actu & potentia, idem etiam dicendum esse de uno & multis, de eodem & diuerso, & de oppositione, cæterisque id genus, facilè constabit ex his quæ dicemus. omnia enim illa ad Primum philosophum pertinent, quòd unum ad ipsum spectat, atque idem est ens & unum, ut quarto Primæ philosophiæ libro, textu septimo, ostendit Aristoteles his uerbis:

Atque id quod est, ac unum ipsum, idem sunt ex eo, atque una natura, quia mutuo sequuntur, ut principium, atque causa: sed non, ut unam subeuntia rationem. nihil autem refert, etsi eadem hoc pacto putauerimus esse, sed & ad propositum magis conducit. idem est enim

,, *unus homo, & homo, & qui est homo, & homo, & non aliud quic-*
,, *quam dictio significat, si reduplicabitur, est homo, & homo, &*
,, *unus homo. Patet autem, nec in generatione separari, nec in corru-*
,, *ptione, similiter & in uno.*

Quare perspicuũ est, additionem in his idem significare, neq; aliud unum ipsum esse præter id quod est. Et paulo pòst textu IX.

,, *Quare quot sunt unius, tot & eius quod est, species sunt, de qui-*
,, *bus quàm sit, contemplari ad eandem generе scientiam spectat, ut de*
,, *eodem, ac simili, & cæteris talibus. Ferè autem omnia contraria ad*
,, *hoc principium reducuntur.*

His ergo uerbis apertissimè ostendit Aristoteles, Primum philosophum agere de eodem, simili, æquali, & cæteris huiusmodi, quòd omnia hæc uni quasi generi subijciantur, non quòd sint affectiones substantiæ.

Deinde subdit:

,, *Cum autem unius sit facultatis oppositum contemplari, & uni plu-*
,, *ralitas opponatur, atque negationem, priuationemq; scientiæ sit eius-*
,, *dem considerare, ad hanc sanè scientiam, & pluralitatis contempla-*
,, *tio pertinebit: uno nanque modo unum ipsum in contemplationem ue-*
,, *nit, cuius est negatio, uel priuatio. Quæ autem simpliciter, illi in-*
,, *quam non inesse, aut cuipiam generi, atque ibi uni ipsi differentia in-*
,, *est, præter id quod est in negatione. ipsa nanque negatio illius est ni-*
,, *mirum absentia. In priuatione uerò et subiecta quidem existit natura,*
,, *qua de priuatio agitur. Quæ cum ita sint, & uni pluralitas opponi*
,, *tur, fit, ut eorum etiam cognitio, quæ sunt opposita dictis, ad scien-*
,, *tiam dictam attineat: Diuersi inquam, dissimilis, inæqualis, & si qua*
,, *sint alia, quæ ad idem, aut ad pluralitatem, & unum accommodantur.*

Ex quibus planè constat, diuersum, dissimile, inæquale, et reliqua his consimilia, ad primam spectare philosophiam, quòd opponũtur eis quę diximus. Non ergo sunt affectiones decem generum, itemq; contrarietas. sic enim subiunxit Aristoteles:

,, *Ex quibus est contrarietas ipsa, quippe cum differentia quidem di*
,, *uersitas sit, contrarietas autem differentia quædam.*

Nec ita multo pòst:

,, *Quare, inquit, cum ipsum unum multis modis dicatur, ad diuersas*
,, *scientias ipsorum contemplatio pertinebit: sed si neque una ratio ipsis*
,, *competat, neque ad unum rationes omnium reducuntur. Cum autem*
,, *ad primum omnia referantur, ut ea quæ dicuntur unum, ad primum u-*
,, *num, dicendum est, & de eodem & diuerso contrarijs eodem modo se*
,, *habere. Quare distinctione facta, quot unumquodque modis dica-*
,, *tur, aßignandum est, ad primum in unoquoque Prædicamento, quó-*

nam ad illud dicitur modo. Quædam enim hoc sanè dicentur, quòd illud habet: quædam præterea, quòd illud agit: quædam alijs talibus modis. Patet igitur illud, quod olim in dubitationibus diximus, unius inquam facultatis esse de his, & de substantia rationem habere. Hoc autem erat unum eorum, quæ diximus dubitando. atque ipsius philosophi nimirum est, posse de omnibus contemplari. Nam si non ad philosophum idipsum pertineat, quis'nam erit quæso? quid si idem sit Socrates, & Socrates sedens: aut sit unum, sit uni contrarium: aut quid'nam sit contrarium, aut quot modis ipsum, oppositumq; dicatur, & itidem de cæteris huiuscemodi rebus considerabit. Cur igitur unius, ut unum est, & eius quod est, ut ens est, hæc per se sint affectus, sed non ut numerus est, & linea, aut ignis, patet illius esse scientiæ, & quid'nam sint hæc, cognoscere, & ea quæ ipsis accidunt, contemplari. atq; non hac parte aberrāt ij, qui de ipsis considerant, uti non philosophantes, sed quia prius est is substantia, qua de nihil prorsus intelligunt.

Dubitare igitur non licet, quin ea quæ dixit, pertineant ad Primū philosophum, propterea quòd sunt affectus unius, & entis, non substantiæ: ens autem habere proprios affectus, qui ei conueniant quatenus est ens, ostendit Aristoteles his quæ subiungit uerbis:

Nam ut & numeri, qua numerus est, proprij sunt, affectus, ueluti paritas imparitas, excessus defectus, atque hæc & per se, & inter se numeris competunt, & solido similiter, & mobili ac immobili, & experti ac participi ponderis sunt affectus, alij proprij sic, & ei quod est, ut ens est, sunt propriæ quædam, atq; hæc sunt ea de quibus est philosophi ueritatem considerare.

Patet igitur ex his quæ antè recitauimus, uerbis, non modò egregium istum uirum à ueritate recedere, sed comprobari etiam, quod nos in Commentario diximus, affirmationem scilicet, negationem, priuationem, oppositum, & cætera, quæ pertractantur in Logica, primò ad primam spectare philosophiam. sunt enim omnia affectiones entis, quatenus est ens. Quis ergo non iure miretur, egregiū istum uirum ea asserere, quę planè ab Aristotelis sententia discrepant, eorumq; quos ipse labi nunquam potuisse putat, expositorū, quæq; tam apertè cum ipsa ratione pugnant?

Quod uerò subiungit, ens esse analogum, hoc sibi commentus est. nusquam enim Aristoteles propriè illud analogum appellat: quin docet, in illis ipsis locis, quos iste citat, dici multipliciter de his quæ dicuntur ad unum. Quæ si propriè loquamur, ab analogis plurimùm differre, cùm multis alijs in locis ostendit Aristoteles, tum uerò maximè primo Ethicorum libro, capite septimo, ad hunc modum:

Sed quomodo dicitur, non enim simile æquiuocis, à Fortuna. Dicuntur'ne igitur, quia sunt ab uno, aut ad unum omnia conferuntur, uel

" *magis secundùm analogiam. etenim ut est in corpore uisus, sic in ani-*
" *ma mens, & aliud in alio.*

Ex quibus uerbis patet, illum distinguere, quæ dicũtur secundùm analogiam, ab his quæ dicuntur ad unum. Ens igitur nõ propriè est eorum quæ dicuntur secundùm analogiam.

SECTIO IIII.

Sed utcunq; sit (alibi enim de his fusius, magisq; propriè agemus) quis æquis auribus ferat, quod iste ait:

" Superuacaneum esse, cum quippiam analogum fue-
" rit, de suis omnibus analogatis contemplari, sed primi duntaxat analogati.

Ita enim in arte medica superuacaneum fuerit, de his agere quæ dicuntur sana, præter quàm de sanitate ipsa: ut uerbi gratia, de Medicina, de urina, & de reliquis huiusmodi. Superuacanea fuerint etiam, quæcunque tractat Aristoteles in Prædicamentis de cæteris generibus, præter substantiam. Frustra item egerit Aristoteles in philosophia de quatuor simplicibus corporibus, cum corpus (ut sentit ipse) analogicè dicatur de incorruptibili, & corruptibili: corpus autem incorruptibile sit primum (ut ita dicam) analogatum.

Sexcenta proferri licet, quæ ex hac eius opinione sequuntur, quæ planè absurda sunt, & à ueritate aliena. sed ne longius fiat, ad reliqua pergamus. Quod igitur ex Aristotele Iacomellus citat, id contra eum facit. si enim (ut quidem concedimus) propriè illius primi scientia est, reliquorum non ita propriè erit. Cum igitur ea quæ dicta sunt, non sint proprietates substantiæ, sed entis, quatenus ens est: cætera autem Prædicamenta suas & ipsa proprietates habeant, quanquam sint accidentia, ut ex eis quæ dicta sunt constat: sequitur, ut imperfectam rerum cognitionem traditurus fuerit Aristoteles, nisi de substantia, ut substantia, itaq; de cæteris generibus, in Prædicamentis egisset: nusquam enim alibi de his agit, præterquàm in illo libro.

Quædam non ita multo pòst subiungit Iacomellus, quibus uidetur (pace eius dixerim) uel ea quę ipse scribit ignorare: modò enim de rebus, modò de uocibus loquitur. Sed quoniam de his satis superq; superioribus libris disseruimus, ea nunc missa faciemus: in his enim, ut in reliquis, nihil sibi constat.

Dubitat deinde iste homo, atque hæc eius dubitatio oritur ex ijs quæ falsa sunt. Quare minimè mirum uideri debet, dissolutiones etiam esse illa ipsa dubitatione magis improbandas. Primùm autem cum ex eis quæ dicta sunt, constet, actum, potentiam, unum, multa, & reliqua huiusmodi, non esse affectus substantiæ, sed entis: quærit iste, cur in librum Prædicamentorum nihil egerit Aristoteles, de his affectionibus substantiæ, quas nono & decimo Primæ philosophiæ libro inuestigauit. Cur item nusquam in Prima philoso-

phia

phia meminit eorum affectuum, de quibus agit in Prædicamentis?

Sed quid multa? non'ne ex hac secunda eius quæstione sequitur id, quod nobis propositum fuit ostendere? Nam si proprietates eæ, quæ sunt in Prædicamentis, conueniunt substantiæ, quatenus substantia est, eodemq; modo reliquis generibus, ut testatur Aristoteles: de his autem nusquam alibi egit, quemadmodum iste confitetur: sequitur, ut imperfectam rerum cognitionem traditurus fuerit, nisi de his in lib. Prædicamentorum egisset.

Quod autem subdit, hoc etiam à ueritate plurimùm abhorrere, nullo negocio intelligi licet. cùm à se ipso enim, tum ab Aristotele dissentit.

"Nam Metaphysicus, inquit, considerat substantiam, cæteráque Prædicamenta, uniuersaliori quadam ratione: hic uerò pressiori contemplatur."

Cum Aristotele autem, & secum pugnat, quòd Primus philosophus, si consideret substantiam uniuersaliori quadam ratione, non considerat substantiam, ut substantia est. Consequens uerò neque cum his consentit, quæ antè dixit, & contra Aristotelem maximè facit. Primus enim philosophus quærit principia substantiæ, ut superius ostensum est: ergo falsum est etiam, quod antecedit. Patet id autem ex eo, quòd considerare substantiam uniuersaliori modo, est considerare substantiam, ut est ens, atq; affectus entis, quomodo quidem considerantur omnia à Primo philosopho. Qui ergo ita considerat substantiam, non considerat ut substantia est.

Præterea, si liber Prædicamentorum angustius considerat substantiam, non considerat ut prædicatum, & subiectum, hæc enim latissimè patent. itaq; altera hæc differentia considerandi Prædicamenta, tollit primam. A se ipso igitur homo iste dissidet. XXIX. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Quod uerò subiungit,

"Metaphysicum, cum altior sit artifex, & Diuinam illam substantiam, quæ purissima est, & simplicissima, speculetur, idcirco in Metaphysica speculari uniuersaliores ipsius substantiæ proprietates:"

Hanc sanè causam perridiculam esse, qui dubitet, arbitror esse neminem. Nam ut Primus philosophus diuinam illam substantiam consideret, tamen nihil obstat, quo minus proprias ipsius substantiæ proprietates consideret. Quin illud etiam sequi uidetur, ex his quæ de consideratione Primi philosophi scribit, ut non possit ipse Primus philosophus considerare substantiam, quatenus substantia est.

SECTIO V.

Sed, Dij boni, quid de altera eius dissolutione dicendum est? hæc enim sunt illius uerba:

"Cum lib. Prędicament. sit pars Logicę facultatis, quàm iam organum philosophiæ statuimus, eas in eo lib. affectiones inue-"

stigare

„ ſtigare conueniebat, quæ philoſopho naturali magis eſſent deſer-
„ uituræ, quales proculdubio eſſe uidentur non mutuo contrariari,
„ non ſuſcipere magis & minus, unam eandemq́ numero ſuſceptibi-
„ lem contrariorum, non autem actum, & potentiam, & reliquas.

Primùm ergo ſumit, librum Prædicamentorum eſſe partem Logicæ, id quod à nobis negatur. deinde ait, ſe ſtatuiſſe, eam eſſe organum philoſophiæ. Sed cur non eſt organum etiam Metaphyſicæ? cumq́ ita ſe habeat ad Primam philoſophiam, quemadmodum ad naturalem, cur tacitas prætcriјt Ariſtoteles affectiones eas, quas ipſe enumerauit: quæ quidem Primæ philoſophiæ magis accommodatæ eſſent. cum item Logica ſit organum reliquarum omnium facultatum, idem etiam de cæteris facultatibus dicendum uidetur.

Præterea ſequitur, ut hic liber magis ſit pars philoſophiæ naturalis, quàm Logicæ, & Primæ philoſophiæ, cõtrà quàm tamen ſuprà iſte dixit. Hoc autem ſequi, patet ex eo, quòd quæ ibi conſiderantur, proprietates ſubſtantiæ, magis uſui ſunt philoſophiæ naturali. Itaque liber ille magis eſt pars ipſius naturalis philoſophiæ, quàm reliquarum facultatum.

Multas præterea difficultates habet illa ipſa eius diſſolutio, in his, quòd ſequitur, ut Prædicamenta ſint de rebus, & duo habeat ſubiecta prædicamentum ſubſtantiæ: nempe ſubſtantiam ut res eſt, & ſubſtantiam ut eſt prædicatum. De ea enim (ut ſentit ipſe) oſtenduntur proprietates, quatenus & res eſt, & ſubiectum, prædicatumq́. Sed illas ego difficultates cùm breuitatis cauſa omittendas duxi, tum etiam quòd uſque adeò falſa ſunt, quæ dicit, ut me pudeat omnia perſequi.

Quod uerò ait, proximam rationem meam obſcuriorem eſſe, & quæ ſequuntur: hoc quidem eius culpa fit, non ipſius rationis. Hanc ipſam autem rationem, ut nonnullas alias, de Commentario ſuſtulimus, breuitatis cauſa: non ob ea, quæ contra illam ipſe protulerit. Cuius ſanè rei magno illud argumento erit, quòd, quæ dixit, omnia diſſoluemus: ſed eorum qui legerint, iudicium erit. Neque uerò à nobis (ut iſte calumniatur) neglecta eſt omnis dialectica argumentandi ratio. non enim dialectica ratione uſi ſumus, propterea quòd huiuſmodi ratio nec firmam, & tenuem cognitionem gignit: ſed demonſtratiua ratione, quæ certam efficit, perfectamq́ noticiam. Sed ad rationem ipſam redeamus. Valet igitur illa conſequentia, Decem genera neceſſariò (ſicuti oſtenſum eſt) conſiderantur, ut talia ſunt: id eſt ſubſtantia, ut ſubſtantia, quantitas, ut quantitas, eodemq́ modo reliqua. Ergo non poſſunt eſſe ſubiectum illius doctrinæ. nam decem eſſent ſubiecta. Docuit autem Ariſtoteles primo Poſteriorum libro, unius ſcientiæ unum eſſe omnino ſubiectum.

Quare neceſſe eſt, unũ ſit ſubiectũ eius doctrinæ. Sed cum nullum ſigillatim ipſorum generũ poſſit eſſe ſubiectũ, neceſſariò eſt aliquid

aliud,

aliud, quod hæc omnia, ſicuti genus, comprehendat, quodq́ de illis primò prædicetur: oportet enim, ut eorum naturam explicet. nam aliter perfecta, abſolutaq́ eorum cognitio non haberetur. Sed quod ita ſe habet, eſt ens tantùm. neque enim ſubiectum & prædicatum, neque aliud quicquam explicat naturam uniuerſalem ſubſtantiæ, eo modo, quemadmodum ſe habet, ut eſt ſubſtantia: neque item reliquorum generum: ergo ens duntaxat eſt ſubiectum illius doctrinæ.

Confirmatur id autem ex eo, quòd ad quam facultatem ſpectant ſpecies, ad eandem ſpectat genus, aut id quod generis locum obtinet. eadem eſt enim, qua ipſæ ſpecies, natura. Quare cum ſubſtantia conſideretur, ut ſubſtantia, & quantitas, ut quantitas, quod ipſius ſubſtantiæ, & quantitatis, cæterorumq́ generum naturam obtinet, ibi conſiderari oportet: hoc autem eſt ens: ergo ens ibi conſiderari debet. Quam uerò cauſam affert Iacomellus, hæc à nobis iam refutata eſt: in ea enim (ut oſtenſum eſt) à ſe ipſo diſſidet. Quare nullus eſt etiam alter ſenſus hominis, nec quicquam omnino contra nos facit. XXX. *ſuæ ipſius opinionis euerſio.*

Quod uerò conatur oſtendere, conſequens eſſe falſum, ſuam ipſius opinionem euertit. Nam ſi ens, ut ens, non poteſt eſſe illius doctrinæ ſubiectum, quòd in illa non quæruntur cauſæ entis, quatenus ens eſt, aut eius primi analogati, neque item ſubſtantia, ut ſubſtantia, conſiderari poterit in Prædicamento ſubſtantiæ, itaque eſſe ſubiectum illius Prædicamenti, quod tamen ipſe concedit: ponit enim, ſubſtantiam ibi conſiderari, quatenus eſt ſubſtantia, itémque ut ſubiectum, cum tamen principia ipſius ſubſtantiæ, quatenus eſt ſubſtantia (ut patet, atque ut ipſe fatetur) ibi non tractentur. XXXI.

Quod uerò ex quarto & ſeptimo Primæ philoſophiæ libro oſtendit, oportere, doctrinam omnem quærere cauſas ſui ſubiecti: hoc uerum eſt in tota doctrina, non in ſingulis eius partibus. Prima enim philoſophia (ut primo & tertio huius Apologiæ libro ſatis docuimus) comprehendit duodecim illos libros, & librum Prædicamentorum. Itaque ens, quod eſt ſubiectum in tota Prima philoſophia, eſt ſubiectum etiam eius partis, quatenus illa pars tota prima philoſophia continetur. ſuam enim non aliunde petit unitatem, niſi ab ente: & pertractatio decem illorum Prædicamentorum perinde eſt, ac decem unius doctrinæ libri. Neque uerò ego ſic argumentatus ſum, In hoc libro conſideratur ſubſtantia, ut ſubſtantia, ergo ens eſt ſubiectum. quanquam etiam fortaſſe liceret ita dicere. Nam ſi in una aliqua doctrina conſideratur una ſpecies, conſideratur & alia: quòd ſi conſiderentur omnes ſpecies, conſideratur etiam ipſum genus. Sed illa ego ſum uſus argumentatione. Subſtantia tractatur, ut ſubſtantia, eodemq́ modo reliqua genera: ergo ens eſt ſubiectum, ut rationes meæ oſtendunt. Cum igitur, ſi quis ita argumentetur, In hoc libro conſideratur homo, ut homo, & aſinus,

ut aſinus,

ut asinus, itaq; reliquæ species animalis: sequatur ob eas, quas attulimus, rationes, ut animal sit subiectum, ut ex lib. de Animalibus intelligi potest, quî non istum pudet negare, rationem illam rectè concludi: In hoc libro consideratur homo, ut homo: ergo animal est primum eius subiectum, ac meæ illius rationis similē esse: quam tamen ipse etiam fatetur assumere omnes species entis, cum ea, quam ipse affert, sumat unam tantùm animalis speciem. Oportuit autem consimiles multas rationes afferre, ex quibus intelligi posset, quod ipse scribit, antecedens uerum esse, consequens autem falsum. Itaq; facilè
» perspexisset, an alium argumentandi modum (ut ipse ait) deriderent,
» qui argutam & Carneadis sapiunt dialecticam.

Quæ uerò subiungit, cum hæc scribat, propterea quòd quid ego mihi uoluerim, non intelligit, frustra laborat. Volui enim dubitationem illam tollere, qua quotidie utuntur, qui à me dissentiunt, quiq; tamen rectius multò, quàm iste, loquuntur. Neque enim ipsi concesserint, substantiam tractari, ut substantia est, atque esse partem Logicæ. Nam (quemadmodum suprà demonstrauimus, ac satis etiam res ipsa per se declarat) ex eo sequitur, ut non sit pars Logicæ. Volui ergo respondere ijs, qui ad argumentum meum dicerent, substantiam alio modo tractari, ostendens, decem illa genera considerari, ut talia sunt, quia sic describuntur. Docui autem, illa non tractari eo loco, quatenus referuntur ad opus, siue hoc opus sit effectio, siue actio: itaq; considerari, simpliciter, & absolutè. Quicquid enim per se consideretur in una aliqua facultate, id uel simpliciter considerari, uel in ordine ad opus.

Ex quibus planè constat, nihil ad rem facere, neque ullam omnino uim habere, quæ de hoc ipso opere iste scribit. Quod quidem cùm per se, tum etiam ex eis quæ superiore libro dicta sunt, facilè intelligi potest.

SECTIO VI.

Cum multi præterea essent, qui argumentis meis coacti illud responderent, Prædicamenta eo libro duobus tractari modis: altero modo, ut pertinent ad Primam philosophiam: altero, ut ad Logicam: contra eos ita sum argumentatus, ut ostenderem, hoc dici non posse, propterea quod cum eo in libro considerentur decem illa genera simpliciter, & absolutè, hoc est, ut talia sunt, non possunt aliter considerari, hoc est in ordine ad opus: quo quidem ordine dicitur, aliquid considerari in una aliqua facultate, quod prius in alia consideratum sit absolutè, ut superius ostensum est. Illam quoque rationem attuli, quòd sic euerteretur natura facultatum. sequeretur enim, ut illa doctrina duo haberet subiecta, cū tamē omnis facultas unius sit omnino subiecti. Hoc autem ita ostendi, quòd res illa diuersis modis considerata, duo subiecta efficeret: itaq; sequeretur, ut unius facultatis duo essent subiecta. quod quidē intelligi nō posse mihi uidetur. Vna enim sciētia est, quę unius

unius eſt generis. Quocirca illud à me dictũ eſt, intelligi non poſſe, quemadmodum una res diuerſis modis cõſiderata, duo ſubiecta efficiat. Quin hoc ego ſumpſi, ut id refellerẽ, quod nonnulli dicerent, quemadmodum ſuprà demonſtraui, itaq; oſtendi falſum eſſe, Prædicamenta eo libro duobus modis conſiderari, qui quidem modi per ſe pertineant ad diuerſas facultates, quod una facultas nõ poteſt duo ſubiecta habere.

Atque hunc quidem fuiſſe ſenſum uerborum meorum, cum ſatis oſtendunt ea quæ dixi, tum maximè declarant hęc uerba:

Si uerò dicatur duobus quidem modis, ſed uno principaliter cõſiderari, hic ipſe principalis modus erit Primæ philoſophiæ: ut patet ex eis quæ dicta ſunt, quæq; dicentur. « « «

Quæ quidem apparet, idcirco ſcripſiſſe me, quod aliquis negare potuit, illud conſequi, ut ibi duo ſint ſubiecta: non enim conſiderari duobus modis principaliter. quòd ſi conſiderentur eo modo quo dictum eſt, conſtat hoc quidem ſequi. ex quo intuli, ea eſſe Primæ philoſophiæ, quòd ſubiectum ſit illius ipſius facultatis.

Deinde in Commentario meo oſtendi, ex ijs quæ traduntur in Prædicamentis, neq; doceri nos, nec poſſe doceri, animal & hominem, triangulum & figuram, itemq; cætera quæ habent inter ſe rationem generum & ſpecierum, conſiderari, ut ſuperiora & inferiora. Itaque à ueritate, & ab Ariſtotelis ſententia diſcrepare eos, qui ita ſentirent. Idq; quod antecederet, ſic confirmaui (conſequens enim ſatis ipſum per ſe patêre uidebatur) quod doctrina quæ traditur in Prædicamentis, neque tranſcendit cognitionem ſubſtantiæ, ut ſubſtantia eſt, itemq; cæterorũ generum: neq; poteſt tranſcendere, quia tranſiret ad particulares facultates. non enim fieri poteſt, ut intelligatur, animal ſuperius eſſe præ homine: niſi illud cognitum ſit, naturã animalis eſſe in homine, & in boue, & in reliquis ſpeciebus. Quod quidem cũ intelligere nemo poſsit, niſi philoſophus naturalis, tranſiret doctrina illa ad omnes particulares facultates. non enim maior eſt unius ratio, quàm alterius: id quod magis etiam oſtẽdetur inferius. Neq; uerò in ipſis Prædicamentis quicq; traditur, ex quo poſsit percipi, animal ſuperius eſſe præ homine. Neq; ullæ ſunt proprietates, ex quibus hæc intelligi poſsint: ergo antecedens uerum eſt. Quòd autem potuit aliquis dicere, in hac doctrina oſtendi, ſpecies eſſe magis ſubſtantias, quàm genera, itaq; mentionem fieri de homine & de animali: id reſpondi, quod ex ipſo Cõmentario ſatis intelligi poteſt. Videant igitur docti homines, an iſte, cum dicat aſſumptiones meas eſſe falſas, nec illas me ſatis oſtendiſſe, ac nihil præterea reſpondeat, tueatur doctiſsimos illos homines, quorũ opinionem profeſſus eſt ſe uelle tueri. ſic enim profectò omnia facile diluerentur. Citandum autem fuerat ex ipſis Prædicamentis aliquid, ex quo ea quæ ſcribit, perſpici poſſent. Ego enim uerbis illis quæ ex quarto libro Primæ philoſophiæ protuli (ut extrema ſatis declarant) uolui oſtendere, fieri poſſe, ut in Prædicamentis tractetur ſubſtantia, quatenus ſubſtan-

tia,itemq́ reliqua omnia genera, ac tamen conſideretur homo,& animal, quatenus ſunt ſubſtantiæ, itemq́ ſpecies. Eadem tamen illa uerba declarant etiam ſubſtantiam,ut ſubſtantia eſt,conſiderari à primo philoſopho,itemq́ reliqua genera. idem enim & ipſe Iacomellus ueritate coactus aſſerit,ſiue ſubſtantia uera ſit ſpecies,ſiue pars ſubiectiua. nam id hoc loco nihil refert: nobis enim ſatis eſt,ſubſtantiam nunc ab eo dici ſpeciem.

Vſus ſum præterea Alexandri teſtimonio, quod is ex uerbis Ariſtotelis colligit,diuiſionē entis in X. genera,quæ fit in Prædicamentis,ad Primā ſpectare philoſophiam. Atq́ illud quidē aſſentior, conſequi ex Alexandri uerbis,ut ſubſtantia, quatenus ſubſtantia,itemq́ reliqua genera conſiderentur in Prædicamentis. Nam ſi conſideratio illa ſpectat ad primum philoſophum (ut iſte etiam fatetur ſenſiſſe Alexandrum, primus enim philoſophus maximè conſiderat ſubſtantiam, quatenus ſubſtantia eſt) liber ille eſt pars Primæ philoſophiæ, non Logicæ. Quid enim obſecro, aliud facere uoluit Alexander, cū illud annotaret, niſi falſam illam nonnullorū opinionem refellere, qui exiſtimarent librum Prædicamentorum eſſe partem Logicæ, non Primæ philoſophiæ? Nam ſi ſpecies entis, ac ſpecierum ſpecies, quoquo modo ſumantur hoc loco ſpecies, ſpectant ad primum philoſophum: Decem autem illa genera,in quæ diuiditur ens in Prædicamentis, ſunt ſpecies entis,ut talia ſunt(homo enim,ut homo, eſt ſpecies animalis) hæc ut huiuſmodi ſunt,ſpectant ad primū philoſophum. Itaque ſequitur ex dictis Ariſtotelis & Alexandri, id quod diximus, quanquam eo loco nobis aliud propoſitum fuit oſtendere. Non ergo illud intuli,

» Si eſt uerum quod dicit Ariſtoteles,in libro Prædicamentorum
» habetur ſubſtantiæ conſideratio,& cæterorum generū,ut talia ſunt:
» itaque conſideratio illa eſt Metaphyſicalis.

Quanq́ id quoque ſi recte animaduertatur, ex Alexandri uerbis ſequitur. Nam ſi conſideratio illa eſt Primæ philoſophiæ, neceſſe eſt conſiderenť,ut talia ſunt. Primus enim philoſophus propriè nullo alio modo conſiderat decem ipſa genera.

SECTIO VII.

CVm igitur ſatis pateat,uerba illa, Si enim de homine, ut homo eſt, & quæ ſequuntur, oſtendere id quod paulo antè diximus, in Prædicamentis ſcilicet conſiderari hominem,quatenus ſubſtantia eſt, itemq́ animal: non hominem ut homo eſt,neq́ animal ut animal, prȩter ea quæ à nobis in hanc ſententiam diſputata ſunt, dubitari nō poteſt,quin omnia quæ contra illa uerba ſcribit Iacomellus, neque ad rem quicquam faciant, & nugæ ſint. Quî obſecro, inter ſe pugnant quæ à me dicta ſunt? ſubſtantiam conſiderari in Prædicamentis, ut ſubſtantia eſt, itemq́ reliqua genera: hominem non conſiderari, ut homo eſt,itaq́ animal. Nam quod infert,

Si

Si talia, ut sic considerentur, cæteras scientias fore superuacaneas: „
Si uoce Talia intelligit id quod à me dictũ est, hominem scilicet, ut homo est, non uideo, quemadmodum ab ijs discrepem, quæ antè dixerim. Sin id quod eius uerba significant, hoc est substantiam, ut substantia est, qui idem afferat, reperiri sanè arbitror neminem.

Hac ego autem ratione sum usus, cum ostenderem, hominem, & reliqua huiusmodi non considerari in Prædicamentis, ut talia sunt. Nam si una species eo libro sic consideretur, considerantur eodem modo omnes: non enim maior est ratio unius quàm alterius. Quod si ita esset, igitur omnes scientiæ essent superuacaneę. necessariũ enim esset, ut omnium harum specierum proprietates & principia propria considerarentur. hoc enim perspicuum est: non enim aliter considerari possunt ut tales. At cęteræ scientiæ non sunt superuacaneæ: ergo falsum est, hominem ut homo est, itemq; reliqua, cõsiderari in Prædicamentis. Quòd si cõsiderantur, hoc fit, quatenus substantiæ sunt, id quod nobis propositum fuit ostendere. Ex quibus quidem uidetur patêre, nullam omnino uim habere, quæ hoc loco scribit, ac maximè præter rem esse. Quid enim ad meam illam rationem, quam demonstrauimus, hæc pertinent?

Aliæ scientiæ speculantur hominem atq; animal, & reliqua genera eo modo, ut per propria horum principia proprios, ac per se affectus demonstrent. In libro autem Prædicamentorum cõsiderantur, ut superiora & inferiora primò per se, eorum principijs affectibusq; necessarijs ignoratis, aut saltem non exquisito modo cognitis. „

Quid præterea attinet negare antecedens, quod falsum esse ratio mea ostendit, ut patet ex demonstratione mea? Hoc profectò mihi uidetur declarare, hominem istum, quæ ipse scribit, penitus ignorare: his enim rationibus utitur, quasi ego dixerim, hominem, ut homo est, considerari in Prædicamentis. quod tamẽ ait ipse, cum dicat, Aristotelem nõ id omnino excludere: deinde negat quod idem ego negaui. nec ultima pars respõdet ijs quæ prima parte scripserat, cum diceret, me ab ijs quæ antè dixeram, dissentire.

SECTIO VIII.

SEcum etiam pugnarent in ijs quæ dicunt, & cætera: hoc argumento reuersus sum, ad ostendendum id quod alijs rationibus antè ostenderam. Quas quoniam egregius iste uir non satis percepit, negauit à me esse allatas. Sed ex ijs quæ superius disputaui, patet, quàm longè isti recedant à ueritate.

Hæc igitur ratio ducitur ex his quæ concedunt nonnulli interpretes, itaq; est (ut aiunt) ad homines. uera tamen est, ac firmissimo tanquam fundamento nititur. est autem huiusmodi. Si animal tractaretur in Prædicamentis, ut superius, & homo ut inferius, spectarent ad secundam intellectus operationem, itaq; in Prædicamentis ageretur de secunda intellectus operatione. At sentiunt ibi non agi de secunda intellectus operatione, sed tantum de prima: ergo à seipsis dissident.

rent. Priorem consequentiam ostendit Gaetanus, qui hac ratione adductus negauit Prædicamenta considerari, ut sub, & suprà. Hæc autem sunt illius uerba:

„ Et sic patet intentio operis, & quod conuenientius ponitur subiectum huius libri, si subiectum aliquod sibi assignandum est, ens præponibile primæ operationi intellectus, quàm ens ordinabile secundùm sub & suprà. hoc enim ad secũdam spectat operationem, ad quam hic liber non primò refertur.

Nam considerare aliquid secundùm sub, est considerare, ut inferius. inferius enim est sub superiori. Considerare autem secundum suprà, est considerare ut superius. Reperitur ergo, qui ueritate coactus, idem quod nos sentiat, contrà quàm tamen iste putauit. Hoc item illa ratione confirmari potest, quod intelligi non licet, animal esse superius præ homine, ac rursus hominem inferius, nisi intelligatur, animal complecti hominem. At non è contrario sic, ut sciamus, omnem hominem esse animal, nõ omne animal esse hominem: hoc autem pertinet ad secundam intellectus operationem: ergo uerũ est quod dixi. Sed quoniam de his tertio libro Apologiæ plura disseruimus, contenti erimus hac una ratione, quæ tamen (ut ego quidem arbitror) dissolui non potest. Cætera uerò quæ in hanc sententiam iste scribit, sunt nugæ, ac nihil sanè ad rem faciunt, de quibus tamen eodem tertio libro disputauimus. Vbi igitur respondet meæ illi rationi, „ Neq; si talis cognitiò ex eo libro colligeretur, & cætera: uidetur & à seipso dissentire, & ab expositoribus ijs, quos tamen se sequi profitetur. Ait enim, illud se persæpe dixisse:

„ In Prædicamentis primitus cõsiderari quæ prædicantur in enunciationibus, ea scilicet ratione, qua prædicantur ac subijciuntur.

Ex quo quidem sequitur, ut liber Prædicamentorum non sit de primis rerum nominibus, neque de uocibus significantibus res, nõ quatenus secundùm aliquam proprietatem figuramq; formantur, sed ut significantes sunt: quod contra Boëtium facit, Hammonium, Simplicium, atq; adeò contra ipsum. hos enim se penitus sequi profitetur. Consequentia autẽ sic ostenditur, quòd cõsiderare substantiam, ut est prædicatum, uel subiectum, non est considerare illam ut significat res. Quòd si in Prędicamentis consideratur ut subiectum, atque ut prædicatum, non consideratur ut significat res. Maior ex eo patet, quòd considerare substantiam, ut est nomen & genus, non est considerare eam ut significat res. Itaque considerare substantiam ut subiectum, uel ut prædicatum, non est considerare eam ut significat res. Consequentia ita probatur, quod non maior ratio est unius quàm alterius. omnes enim (ut sentit ipse) termini sunt, qui ad Logicam spectant, & secundæ intentionis. Antecedens confirmat Boëtius (hoc enim argumentum duximus ipsi ex opinione aduersariorum) qui ita scribit:

„ Prima igitur illa fuit nominum positio, per quam uel intellectui subiecta, uel sensibus designarent. Secunda consideratio, qua singu-

las no-

> las nominum proprietates, figurasq́ perspicerent ita, ut primum nomen sit ipsum rei uocabulum: ut uerbi gratia, cum quælibet res homo dicatur: quod autem ipsum uocabulum, id est homo, nomẽ uocatur, non ad significationem nominis ipsius refertur, sed ad figuram, idcirco quòd posit casibus flecti: ergo prima positio nominis secundum significationem uocabuli facta est, secunda uerò secundum figuram. & est prima positio, ut nomina rebus imponerentur: secunda uerò, ut alijs nominibus ipsa nomina designarentur. Nam cum homo uocabulum sit subiectæ substantiæ, id quod dicitur homo, nomen est hominis, id est ipsius nominis appellatio est. Dicimus enim, quale uocabulum est homo? & proprie respondetur, nomen. In hoc igitur opere hęc intentio est, de primis rerum nominibus, & de uocibus res significantibus disputare, nõ in eo quod secundùm aliquam proprietatem figuramq́ formantur, sed in eo quod significantes sunt.

Si ergo considerare hominem ut nomen, non est (uti patet) considerare eum quatenus significat, consideratur ut subiectum et prædicatum: hęc enim non sunt prima rerum nomina, sed nominum nomina, quod genere etiam & specie testatũ reliquit idem Boëtius his uerbis, cum multa antè dixisset.

> Nam quoniam de indiuiduis solus homo prædicatur, idcirco species dicitur. & quoniam de specie differentibus animal dicitur, idcirco animal genus uocamus, & sunt quodammodo nominum nomina. Quare neque genus de animali, neque species de homine in in eo quod quid est prædicatur, sed tantùm designatiua est illa, quomodo homo & animal de subiectis (ut dictum est) prædicentur proprijs. Subiectum ergo & prædicatum sunt nomina nominum, & ipsa designatiua.

Ergo sequitur, ut considerare hominem, quatenus subiectũ est & prædicatũ, nõ sit cõsiderare eum ut significat res. Itaq; ab expositoribus dissentit Iacomellus, & à seipso, quippe qui eos sectatur. XXXII. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

SECTIO IX.

PRæterea considerare substantiam, ut significat rem, non est cõsiderare substantiam, ut habet ipsum esse per opus collectiuum intellectus. consideratur enim, ut cadit sub prima intentione: quod etiam ostendit Boëtius loco citato, ita'que ut significat res. Sed cõsiderare substantiam, ut est prædicatum, uel subiectum, est considerare eam, quatenus habet ipsum esse per opus collectiuum intellectus, uti sentit ipse Iacomellus: ergo considerare substantiam, ut subiectum & prædicatum, non est considerare eam ut significat res. Minorem comprobant, quæ ille in tertio suo supposito ita scribit:

Sic etiam apud intellectum suo modo, cum ampliorem quiditatem minus amplæ quiditati confert actu, quem diximus, comparatiuo, aut etiam indiuiduis, per eorum sensiles species intentionibus

» ſenſibus exiſtentibus, neceſſariò hæc obiecta cognita, & ut ſic inui-
» cem comparata, reſpectus aliqui, aut etiam relationes inſequantur:
» qui cum in intellectu ſint, & per huiuſmodi actum collatiuum ori-
» antur, rationis, & non naturæ, aut rei eſſe dicuntur. Hæc igitur,
» aut relationes rationis, aut ſecundæ intentiones, aut ſecundi concce-
» ptus, aut ſecundò intellecta appellata, cum obiecta cognita ſic inſe-
» quuntur, & in eis ab intellectu ſic comparante derelicta fuerunt, ta-
» les quiditates, ſiue naturæ, ſiue entitates denominare poterit. Vti
» enim Socrates (ut diximus) paternitate, quam ſibi illo actu acqui-
» rit, pater denominatur, & Plato filius: pari modo unum obiectum
» cognitum, genus, aut ſpecies, ſuperius, inferius, prædicamentum,
» ſubiectum, denominari poterit. Quod enim animal appellabas co-
» gnitum recto actu, id denominas genus comparatione facta. Hinc
» ſunt tibi multa dilucidata, quid prima intentio, quid ſecunda, quid
» nomen primæ, quid nomen ſecundæ, quomodo differant, quomo-
» do fiant, ac innumera, quæ uti diſsimulaſſe neceſſe eſt, ita & ignoraſ-
» ſe impoſsibile. Propterea doctiſsimus Boëtius, uocabula hæc, ut ge-
» nus, ſpecies, & ſimilia quæ ſecundas has intentiones, ut primis in
» extremas explicant, quaſi uocabulorum uocabula in Antepræ dica-
» mentorum expoſitione appellauit.

Ergo conſiderare ſubſtantiam, ut genus, & ut prædicatum, eſt conſiderare eam (ut ipſe concedit) quatenus habet eſſe per opus in-
XXXIIII. tellectus. Itaque ſequitur, non conſiderari, quatenus ſignificat res.
Suæ ipſius opinionis euerſio. Quod tamen cum ipſe fateatur, & ſibi, & expoſitoribus aduerſatur.

Neque uerò poteſt hæc argumenta diluere, ſi ita dicat, In Prædicamentis conſiderari ſubſtantiam primò, ut prædicatum: ſecundo loco, ut ſignificat res. hi enim ipſi conſiderandi modi ſeſe inuicem euertunt. Nam alia eſt conſideratio, ut habet eſſe per intellectum: alia, ut habet eſſe in re. Quæ quidem diuerſæ conſiderationes ſimul eſſe non poſſunt.

Præterea, ſi conſiderare ſubſtantiam ut prædicatum, eſt ratio formalis, conſiderare eam ut ſignificat res, non poteſt eſſe ratio formalis. ratio enim formalis ſignificat primam conſiderationem. Quòd ſi dicat, rationem formalem eſſe conſiderare ſubſtantiam, ut ſignificat res, hæc dici non poteſt ſecunda conſideratio.

Eò accedit, quòd hoc euerteret opinionē Boëtij, qui à cōſideratione libri Prædicamentorum excluſit cōſiderare hominem, ut nomē: itaq; ut prædicatum, uel ſubiectum, uti patet ex his quæ dicta ſunt.

Quin illud etiam abſurdiſsimum ſequitur, ut cum uoluerit Boëtius explicare primum finem, et ſecundum illius libri, omiſſo primo, ſecundum tantùm explicauerit.

SECTIO X.

EX quibus quidem uidetur patêre, quàm bellè uir iſte egregius, & ſuam, & eorum quos ſectatur, opinionem euertat, ubi ſic ſcribit:

» Qui hanc rem commodius aſſequantur, prædicato-

rum

rum ac subiectorum significata posthabere nō solent: quod tametsi „ exquisitam, ac omnimodo exactam (ut priuatos talium rerum specu „ latores tenere oportet) intelligentiam non habeat, à sensibus tamen „ ipsis, atque à primo ipsius intellectus lumine, quod natura nobis inge- „ nuit, quantùm suo negotio conuenit, cognitionem habere potest, „ qua id quod intendit, exequatur. Si enim hæc cognoscuntur à Lo „ gico (ut inquit ipse) sensu, & lumine intellectus, minimè necessarius fuit liber Prædicamentorum. is enim nō tradit sensum & intellectū.

Præterea, qui hæc tenet, cur non magis est philosophus naturalis, ad quem spectat intellectus & sensus?

Adde, quòd si ambigatur, an corpus sit genus animalis, cum hoc nō sit principium, est conclusio. sed quod est conclusio, sciri potest per demōstrationem. quod autem sciri potest per demonstrationē, nō potest sciri sine demonstratione. falsum est igitur, huiusmodi cognitionē proficisci à sensu, & à lumine intellectus. Præterea à sensu, & à lumine intellectus proficiscuntur tantummodo principia, ut patet ex secundo Posteriorum libro: hæc autem non sunt principia, ut dictum est: ergo non habentur sic.

Quorsum uerò spectat, quod ait Porphyrium adiutū tali cognitione, quinque Prædicamentorum doctrinam nobis tradere? nihil enim ad hoc pertinet, si ambigatē, an animal sit genus hominis. Quæ præterea subdit, aliena sunt ab his quæ hoc loco disputantur. negamus enim ipsi, Logicū posse cognoscere, uerbi gratia, animal esse in eo quod quid est hominis. Nā si id cognosceret Logicus, posset etiā cognoscere, ipsum animal esse genus hominis. at hoc non potest cognoscere Logicus, ut ostensum est: ergo rectè diximus. Si enim huiusmodi cognitionē liber ille traderet, tantùm quidē abesset, ut esset pars Logicæ, ut hinc etiam ostendi posset contrarium.

Quòd uerò subiungit, Aristotelem in his locis quos citauit, qui dem (ut dictum est) maximè præter rem sunt, ostendisse, has uo- „ ces, Animal, corpus, substantia, esse genus, cum ex ipsius naturæ in- „ telligentia constet prædicari de aliquo in quid, & non conuerti. Si „ ex ipsius naturæ intelligentia constat, hæc prædicari de aliquo, neque conuerti, cum nō sit maior ratio unius, quàm alterius: idem erit dicendum de omnibus ijs quæ prædicantur in quid. Itaque à seipso dissidet, cum ait, XXXIIII. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Licet inficias nō eamus, si quæ fortè in medium afferantur uoces, „ quarū modus prædicandi nos latuerit, uidelicet in quid, aut in qua- „ le, conuersim, aut nō conuersim, & eas esse genus, aut species, aut ali- „ quod cæterarum prædicabilium ignorare nos oportere. „

Aut ergo idem est dicendū de omnibus, hoc uidelicet ex intelligentia naturæ fieri, aut neque etiā de animali præ homine, cū ita ille inferat:

Quod de animali dictum est, & de animato corpore, ac reliquis „ dicere possumus. „

Præterea ratio illa, quam affert, Aristotelis, est communis omnibus: ergo manet difficultas.

Adde quod uniuersale est, quod à me dictum est. dixi enim de cæteris: Præterea, si hoc fit ex intelligentia naturæ, non erit ex rationibus Logicis.

Quod uerò de Topicis ait, si res ita se habeat, ut à me dictum est, Aristotelẽ non seruaturũ fuisse ordinẽ, quippe qui libros Top. libris de Natura præposuit. uidetur illud ignorare, in Topicis tradi propositiones maximas, quibus in unaquaq; facultate argumẽtari licet ad illa quatuor problemata, idq; proprium esse Dialectici munus & officium. Atq; hanc quidem ob causam librum Topic. præcedere.

SECTIO XI.

AD illam autem rationem, qua ostendi, Logicum non cognoscere, animal esse genus hominis, itaq; de cæteris, sic respondet,

» Me grauiter errare, atque ideo sese putasse, succurren
» dum esse his pulchris dictis. Ponendo prius nonnulla, quorum primum iam refutauimus, ac cętera omnia nullo sanè negotio refuta
» bimus, ut quæ apertissimè falsa sunt. Negamus igitur, Logicum
» esse hominem, qui (ut ipse ait) multarũ rerum quid nominis, & uia,
» sensus, ac natiui luminis cognitionẽ habeat. Intelligendo multas res quæ nõ sint affectiones entis. Nam ipse nõ potest cognoscere, nisi ea quæ ad se spectant, ut ex ipsarum facultatum natura planè constat.

Illud etiam perspicuè falsum esse arbitror, Logicum non ignorare significationes uocum ex habitu Grammaticæ. Grammatica enim non docet uocum significationes, sed suos quæq; facultas terminos habet, quorum tenet significationes.

Huc accedit, quod cum Grammatica communes regulas tradat, sicuti facit Logica, non tenet proprias uocum significationes: non enim traderet regulas. Communes autem regulas illam tradere, patet ex eo quod illis regulis utimur in omnibus facultatibus.

Præterea si Grammaticus cognosceret uocum significationes, cognosceret & definitiones. ratio enim, quam significat nomen, est definitio, ut patet ex quarto Primæ philosophiæ libro: ergo principia omnium scientiarum, quæ definitiones cognitas habent, pertinerent ad Grammaticum. Quod quidem quantopere à ueritate abhorreat, nemini obscurum est.

Ex quibus planè constat, illud non consequi, ut Logicus sciat hanc propositionem esse ueram, Omnis homo est animal: rursus hanc esse falsam, Nullus homo est animal: tum quia falsæ sunt ipsius Iacomelli positiones, tum quia satis hoc ipsum per se cõspicuum est. Cum enim ex eo quod res est, uel non est, dicatur oratio uera aut falsa, non potest Logicus cognoscere propositionẽ illã esse uerã, nisi intelligat ita esse in re. Quod autẽ dicitur de hac, dicitur de reliquis omnibus: ergo pertinẽt ad oẽs facultates. Ita uerò Logicus cognosceret omnia. nam cum ueritatẽ tenere nõ possit, nisi sciat ita esse in re, non potest scire ita esse in re, nisi per aliquid, quod perspicuè ostendat id

quod

quod ipse cognitum habet esse in re. aliter enim non certam haberet, exploratamque illius rei ueritatem. Ex quo planè sequitur, ut cognoscat omnia: itaque cæteræ facultates erunt superuacaneæ.

Sed quo lumine, quibus tandem signis docet Logica cognoscere, animam rationalem esse immortalem? Deum esse unum? Motum non fieri in instanti? elementa non remanere actu? in mixtis non esse uacuum? corpora plectorica esse phlebotomanda? & cætera id genus, quæ singula in singulis tractantur facultatibus?

Quòd si non docet harum propositionum ueritatem, neque item illarum quæ dictæ sunt.

Quod uerò ait, secus esse, propterea quia Logicus facit talem consequentiam, quælibet singularis huius datæ uniuersalis est uera, omnis homo est animal, ergo data uniuersalis est uera: " " "

Si dicatur, uera esse uniuersalis propositio, cuius quælibet singularis est uera, Logicus quidem potest tradere huiusmodi regulas: sed ostendere hanc propositionem esse ueram, omnis homo est animal, propterea quod illa est uera, Socrates est animal, & illa, Plato est animal, item'que reliquæ huiusmodi, id uerò proprium est philosophi, non Logici. Ad quam enim facultatem spectant uniuersalia, necessariò spectant etiam singularia, siquidem ex his fiunt ipsa uniuersalia. Quare regula quidem potest esse Logica, exemplum autem est naturale.

Præterea ex eo quod ipse ait, sequitur, ut nihil omnino inter se differant, cum principia scientiarum & artium, tum principia ipsarum scientiarum: omnia enim habentur ex sensu. Itaque non magis pertinerent ad hanc facultatem, quàm ad illam, aut tantummodo pertinerent ad Logicam. Quod quantopere à ueritate abhorreat, satis suprà ostensum est. Quemadmodum enim alia subiecta aliæ habent facultates, sic alia habent principia, ut docet Aristoteles primo Posteriorum libro, his uerbis:

Altera scientia est ab altera, quorumcunque princ. principia, neque ex eisdem, neque altera ex alteris. huius rei signum est, cum indemonstrabilia ueniant. oportet enim, ipsa in eodem genere esse his quæ demonstrantur. Signum autem huius est, cum demonstrabilia per se ipsa in eodem genere sunt, & proxima omnia. " " " " "

Præterea, cum omnia principia habeantur ex inductione, inductio autem ex sensu, itaque omnia principia proficiscantur à sensu, ut patet ex primo & secundo Posteriorum libro: si principia idcirco spectarent ad ipsam Logicam, quòd ex sensu percipiantur, omnia principia dubio procul spectarent ad ipsam Logicam. Quod quidem esse falsissimum, ex eis quæ dicta sunt, in dubium uenire nõ potest. Videant igitur uiri periti, quid cogantur dicere, qui falsas sequuntur opiniones.

SECTIO XII.

Patet etiam ex his quæ dicta sunt, illud falsum esse, Logicum sibi conficere eum quem expositorium uocant syllogismum, ad hunc modum: Hoc est homo, ostenso Socrate: & hoc est animal, ostenso eodem ipso Socrate: igitur homo est animal. Aliter enim insequerētur ea quæ demōstrauimus, absurda. Quod autē ad hanc suam opinionē confirmandā Iacomellus affert, hoc sanè perridiculū est. declarat enim, illum nullam penitus habere cognitionem lib. Prior. Nam regula illa est Logica,

Vniuersalem quidem priuatiuam in eo quod inesse, terminis conuerti necesse est. Exemplum uerò non est Logicum: ut, Si nulla uoluptas est bonum, neque bonū ullum est uoluptas. Cum igitur Aristot. utitur hoc exemplo, nullum b est a, non est hoc exemplum Logicū, sed perinde est, ac si diceret, nulla uoluptas est bonum, ergo nullum bonum est uoluptas. uel, Nullus homo currit, ergo nullum currens est homo. Hoc autem ita esse, ostendit Auerroës his uerbis:

» Exemplificatio in literis digna est, ut nō putetur in eo quod ostendatur ex hoc, ut sit quidem sequens propter materiam.

Ioannes item Grammaticus,

» Cum ostendisset, inquit, quomodo unaquæque propositionum conuertitur per exempla, ne quis propter materiam assumptas esse propositiones, ueluti propter aliquid alterum sibi accommodare sermonem de conuersionibus.

» In manifestum autem est, nunquid omnino essent aliqua exempla, in quibus dictæ conuersiones locum non habent. propter hoc hic uniuersales regulas tradit, assumens elementa pro terminis, ut unusquisque qualem materiam uoluerit, pro elementis assumat, ostensa ratione uniuersaliter, & materialiter in elementis.

Vult ergo Ioannes quoque hæc elementa esse pro exemplis in materia, itaque ad facultatem aliquam pertinent. Nam quemadmodū hæc propositio, Linea est ex punctis: nō pertinet ad Logicum, etsi cōstituta est in primo modo dicendi per se in Logica: ita etiā non Logica est illa propositio, Nulla uoluptas est bonum, quamuis adhibeatur ad declarandā regulam. ostēdit ergo in materia Aristoteles, id quod tradidit in regula: sicuti facit in eodem libro Priorum, ostendens in materia regulam aliquam modo esse, modo non esse rectam.

Sed de his ipsis elementis, quibus utitur Aristoteles pro exemplis, non minus fortasse rectè, quàm dixerit Ioannes Grammaticus, & Auerroës, illud dici potest, Aristotelem cum intelligeret adolescentes, qui discerent conficere hos syllogismos, non posse eos exercere in materijs, quæ scientiarum & artium essent, usum esse ipsis elementis quæ essent omnibus nota.

Hoc aūt ita esse, uidetur ex eo posse colligi, quod cum materiæ syllogismorum sint omnino tres, De inesse, necessariæ, possibiles: si in cōuersionibus propositionū attulit Aristoteles exemplū in materia de inesse, regula autem uera est tantummodo in propositionibus de inesse,

inesse, non uideo, quemadmodum putet aliquis hoc sequi propter materiam necessariam, ad quam non pertinet ipsa regula. Neque (meo quidem iudicio) attinebat in singulis materijs separatim & syllogismorum & conuersionum regulas tradere, si ita accepisset elementa, ut omnem materiam intelligeret. Quare cum sua cuique materiæ elementa assignauerit, non uidetur incommodè omnino dici, hoc illum idcirco fecisse, quòd adolescentes qui discerent, nondum nominum cognitionem consequuti essent. Quoquo modo autem sese res habeat, illud certè uerum est, exempla esse aliarum facultatū, non Logicæ, si sunt in terminis, qui non sint affectus entis. Itaque falsum est, Logicum, quatenus Logicus est, posse iudicare, uocem Animal uerè prædicari de hac uoce Homo.

SECTIO XIII.

SEd cū ego dixerim, in Prædicamentis nihil aliud tradi, nisi naturas & affectus x. generum, specierumq; duntaxat, ut ipsius generibus subijciuntur, neque ibi tractari animal, ut est superius & inferius: atque ut etiam in illo libro huiusmodi cognitio traderetur, tamen nō esse Logicam: quis non iure miretur istum hominem hæc scribere?

Ostendo, inquit, quòd similiter cognoscere poterit, quod prædicatur in quid, primùm quia iam scit ex habitu, ac doctrina libri Prædicamentorum, esse uoces eiusdem prædicamenti substantiæ, & alteram superiorem, & reliquam inferiorem, & tales prædicari in quid, ut inductione. Illud etiam non mediocrem mihi admirationem affert, quod subdit:

Præterea facta interrogatione ipsi Logico, quid est homo? sciet, se recte respondere, quod est animal.

Hæc enim omnia iam negauimus. Vnde autem didicit egregius iste uir, hanc rationem esse Logicam, cum solo modo interrogandi innitatur? Quid? non'ne Aristoteles 1. Poster. lib. ita scribit?

Quòd si eadem est interrogatio ratiocinatiua, & propositio contradictionis, sunt autem in unaquaque scientia propositiones, ex quibus uniuscuiusque propria conficitur ratiocinatio: erunt porrò quædam interrogationes ad singulas scientias attinentes, ex quibus fit cuiusque propria ratiocinatio. Patet ergo, non omnem interrogationem Geometricam esse, neque ad medendi artem omnem accommodari, & pari modo de cæteris. Sed ante ea ex quibus aliquid ostenditur, de quibus est Geometria, aut ea quæ ex eisdem demonstrantur, ex quibus Geometria demonstrat.

Et paulo pòst:

Nec igitur artificem quenque quæuis percunctari, neque ad quamuis interrogationem de singulis respondere oportet, sed ea tantùm quæ in scientia sua determinata.

Quòd

Quòd si unaquæque facultas proprias habet interrogationes, hæc autem est in terminis philosophiæ, bis peccat homo iste. semel cum „ dicit hanc esse interrogationem Logicam, quæ est in terminis philo„ sophiæ naturalis: atque iterum, cum dicit esse Logicam, quod solo modo interrogandi innitatur, quasi cæteræ facultates non interrogent. Quod quidem esse falsum, apertè ostendit Aristoteles ijs quæ suprà recitauimus uerbis.

Deceptus est autem uir iste egregius, quod existimauit Logicam eandem esse, quam Dialecticam: ac fortè legit, quæ 1. Poster. lib. scribit Aristoteles de Dialectica, ad hunc modum:

„ *Sed Dialectica non est sic definitorum quorundam, nec generis* „ *alicuius unius est. non enim interrogaret demonstrantem. idem non* „ *est interrogare propter id quod oppositorum esse non demonstrat,* „ *idem & in primo Priorum dicentes. Differt autem demonstratiua* „ *propositio à Dialectica, quoniam demonstratiua quidem sumptio al-* „ *terius partis contradictio est: nō enim interrogat, sed sumit, qui de-* „ *monstrat. Dialectica uerò interrogatio est contradictionis.*

Duplex est autem ratio, cur homo lapsus sit: & quod Dialectica non est Logica, ut ostensum est: & quòd quamuis Aristoteles dicat, demonstrantem non interrogare, tamen non euertit id quod citauimus. nō debet enim demonstrator sic interrogare, quemadmodum Dialecticus. Nam Dialecticus interrogat utramque partem contradictionis: Demonstrator uerò alteram tantùm partem, ut sciat, non ut probet, contraria. Id quod ostendit Aristoteles, cum loco citato primi Posteriorum libri, ubi reddit causam, quare Demonstrator non interroget: tum uerò maximè octauo Topic. libro, his uerbis:

„ *Non uidetur autē, omne uniuersale Dialectica propositio esse,* „ *ut quid est homo? aut quot modis dicitur bonum? est enim Diale-* „ *ctica propositio, ad quam est respondere sic, uel non. Ad dictas au-* „ *tem non est, quare non sunt Dialecticæ huiusmodi interrogationes:* „ *nisi ipse determinans, uel diuidens dicat, putás ne bonum? uel sic, uel* „ *non sic dicitur. Nam ad talia facilis responsio, uel affirmando, uel ne* „ *gando, quapropter tentandum sic proponere huiusmodi propositio.*

Patet igitur, illas esse interrogationes Dialecticas, ad quas pariter licet respondere, aut etiam, aut non. Ad quas uerò nō licet sic respondere, eæ non sunt interrogationes Dialecticæ, sed poterunt esse demonstratiuæ.

Item libro secundo Perihermenias,

„ *Simul autem, inquit, manifestum est, quoniam nec hoc ipsum quod* „ *est, Dialectica interrogatio est: oportet enim, datum esse ex inter-* „ *rogatione, eligere utram uelit contradictionis partem enunciare. sed* „ *oportet interrogantem determinare, utrum hoc sit homo, an non hoc.*

Hinc

Hinc igitur facilè intelligi licet, quàm longè homo à ueritate aberret, existimans omnes interrogationes esse Logicas, nec quicquam interesse inter Logicam & Dialecticam.

SECTIO XLIII.

QVæ uerò insequuntur, usq; ad illa uerba,

Præterea cogor hic desiderare circunspectam illam argumentandi formam. "

Hæc esse falsa, satis ex his quæ dicta sunt, constare arbitror. Illud enim ab omni ratione alienum est, Logicam, cum organum sit philosophiæ, posse uti eius terminis. nam est organum reliquarum etiam facultatum iuxta, ac philosophiæ: quod & ipse uidetur testari. Non enim conclusio illa, Syllogismus est ex tribus terminis, & ex duabus propositionibus: magis est organum naturalis philosophiæ, quàm moralis, quàm Primæ philosophiæ, & reliquarum facultatum. Ex hoc autem sequitur contrarium, ut uidelicet, quoniam Logica est organum, non possit uti huiusmodi terminis. est enim organum, propterea quòd docet constituere instrumenta, quæ diximus esse organa. Neque uerò, cum doceat illa constituere (ut in nostro Cõmentario satis ostendimus) utitur terminis philosophiæ, sed his qui sunt affectus entis, non tamen absolutè. Quòd autem illud Iacomellus opponit,

" Philosophum naturalem cognoscere, animal rationale esse de essentia ipsius hominis, & declarare ipsius quid est: per Logicam uerò cognoscere, ipsum esse definitionem hominis: "

Hæc demum est utilitas, quam nos Logicam prestare docuimus.

Præterea si egregius iste uir naturam definitionum teneret, quæq; de hac re tradit Aristoteles, non diceret profectò,

" Se à me desiderare circunspectam illam argumentandi formã, qua me ualentissimum Dialecticum uti deceret. "

Vidisset enim, multa à se dicta esse, quæ minimè dicenda fuerant: neque me uti oportere, hac in re, Dialectica ratione, sed demonstratiua, cum illud scilicet mihi propositum sit, ut quoad possim, rem ueris, certisq; rationibus ostendam, non fidem tantùm faciam. Sic igitur argumentatus sum. Ex sola definitione definitionis intelligi non potest, animal rationale esse definitionem hominis, quod tamen magis fieri posse uidetur: ergo ex definitione generis non possumus discere, animal esse genus hominis. Consequentia perspicua est ex ijs quę in Commentario disputauimus. Ergo neque illud etiam cognoscet Logicus, animal esse superius, si cum homine comparetur. eadem est enim (ut patet) ratio. Huiusmodi igitur cognitio non erit pars Logicæ, quemadmodum diximus. Antecedens autem, quod uerbis Aristotelis comprobatum est, ratione etiam ita confirmari licet. Si, exempli gratia, hoc discendum sit, animal rationale est definitio hominis, disci debet per syllogismum: est enim cognitio complexa. ergo necesse est, ut discatur ex illa cognitione, quid sit prædica-

tum, quæ quidem est definitio ipsius prædicati. itaque disci non potest tantummodo ex definitione definitionis. Sequeretur enim, ut in doctrinis, & in disciplinis minimè necessaria esset antecedens illa cognitio, quid sit subiectum, & quid prædicatum, siue comparetur huiusmodi cognitio à priori (communiore enim uocabulo accipimus quid in hoc loco) siue à posteriori. Nam disceremus aliunde, atque ex antecedente illa cognitione, quid sit prædicatum.

Ita uerò esse, patet ex eo loco Aristotelis, quem in Commentario citauimus, ubi ostendit (ut Logicorum more loquar) petitionem esse principij cognoscere ex definitione definitionis, aliquid esse definitionem alicuius rei. Hæc autem sunt illius uerba:

„ *Amplius, sicut neque in syllogismo accipitur quid est syllogizare (semper enim aut tota, aut pars, est propositio, ex quibus est syllogismus) sic nec quod quid erat esse, oportet inesse syllogismo, sed seorsum hoc appositis esse, & ad dubitantem, si syllogizatum est, aut non est, obuiare, quoniam hoc erat syllogismus: & adhuc neque quod quid erat esse, syllogizatum est, quoniam utique positum enim erat à nobis, quod quid erat esse.*

Ex quibus planè constat, fieri nullo modo posse, ut intelligamus, aliquid esse definitionem alicuius rei, nisi ex definitione definitionis.

Non enim petenda esset definitio definitionis, siquidem alia uia, rationeque concludi liceret: uerbi gratia, animal rationale esse definitionem hominis.

SECTIO XV.

AT hoc, dicat aliquis, contra te facit. uidêris enim illud concedere, ex definitione definitionis intelligi posse, aliquid esse definitionē alicuius rei: sed definitio definitionis spectat ad Logicam, ergo tuam ipse opinionem euertis.

Id autem confirmat Aristoteles septimo Topicorum libro, ubi ait, ex definitione definitionis cognosci posse, aliquid esse definitionem alicuius rei.

„ *Si autem, inquit, construere uolumus definitionem, primùm quidem scire oportet, quoniam nullus, uel pauci disputantium definitionem syllogizant, sed omnes principium, quod tale est, accipiunt. Vt qui circa Geometriam, uel numeros, uel alias disciplinas huiusmodi. Deinde subtilitatem alterius negocij est assignare, quid definitio est, & quomodo definire oportet. Nunc autem quantùm sufficit ad præsentem utilitatem, tantummodo dicendum, quoniam possibile est fieri definitiones, & eius quod est, syllogismum. Nam si definitio est oratio, quod est esse rei significat, & oportet ea quæ in definitione ponuntur, in eo quod quid est de re sola prædicari. Prædicantur autem sola in quod quid est de re genera, & differentiæ, manifestum.*

festum. Quoniam si quis sumat ea quæ tantùm de re, in eo quod quid "
est prædicari oportet: quoniam ratio hoc habens, definitio ex neces- "
sitate erit. Non enim contingit, definitionem esse aliud eo, quòd nihil "
aliud in eo quod quid est de re, prædicatur. "

Videtur igitur, cùm ex hoc Aristotelis loco, tum etiam ex eo quē ipse recitasti, fieri posse, ut ex definitione definitionis intelligatur, aliquid esse definitionem alicuius rei, contrà quàm antè negaueras. ergo tua confutatur opinio.

Ad hæc respondere licet ex Alexandri sententia, & Suessani, hanc Aristotelis ostensionem esse probabilem, non demonstratiuam: nos autem locutos esse de firma, certaq; cognitione, cum diximus, fieri non posse ut Logicus cognosceret, animal rationale esse definitionem hominis.

Illud etiam addere possumus, has rationes esse dialecticas, nos autem ostendisse, dialecticam non esse Logicam.

Sed quoniam mihi non probatur Alexandri sententia, & Suessani, quòd uidetur & cum his dissidere, quæ scribit Aristoteles loco superius citato, secundi Posteriorum libri, ubi ait:

Si aliquis negat, hoc esse definitionem definitionis. "

Et cum ratione, propterea quia sequeretur, ut non liceret cognosci, aliquid esse definitionem alicuius rei, nisi ex definitione definitionis. Ego ita sentio (nisi quis fortè meliorem sensum afferat) ex ratione necessaria, non ex probabili, definitionem definitionis intelligi: uerbi gratia, animal rationale esse definitionem hominis, argumentando in hunc modum. Oratio, quæ explicat quid est esse hominis, est definitio ipsius hominis: animal rationale est oratio, quæ uerè explicat quid est hominis: ergo est definitio.

Sic autem arbitror ratione necessaria intelligi posse, animal esse definitionem hominis: modò cōstet, animal rationale uerè esse in quod quid est ipsius hominis, idq; (mea quidem sententia) significauit Aristoteles loco citato, ubi ait:

Manifestum, quoniam si quis sumat ea, quæ tantùm de re in eo quod "
quid est prædicari oportet, quoniam ratio hoc habens, definitio ex "
necessitate erit. "

Ex his nanque apparet, Aristotelem uelle, hoc pro certo, manifestoq; poni, animal rationale esse orationem explicantem quid est.

Illud etiam apparet, si constet, animal rationale explicare quid est hominis, nō probabiliter, sed necessariò, esse definitionem hominis. Sin autem non constet, rationem illam dubiam, controuersamq; esse. Id quod sensit Aristoteles secundo Posteriorum libro, ubi nega- "
uit, fieri posse, ut ex definitione definitionis habeatur definitio, & per "
consequens quid est. Atq; hac ipsa quidem nos ratione adducti diximus, Logicam non posse cognoscere hæc, propterea quòd indi-

get illa cognitione, uerbi gratia, animal rationale esse in quod quid est hominis. quæ quidem cognitio longè ab eo remota est, spectat enim ad philosophum naturalem. Quare docuimus nos in Institutione nostrâ in secundum librum Posteriorum, hunc nobis usum præstare Logicam. Quòd si Alexander, & reliqui ita sentiunt, eorum opinio mihi maximè probatur.

SECTIO XVI.

AT sic, dicet aliquis, illud uidêris concedere, fieri posse, ut per syllogismum ostēdatur definitio, siue sit Logicus qui id faciat, siue quiuis alius, quod tamen & Aristoteles refutauit, & tu superius. Negasti enim, in definitione dici aliquid de aliquo: ergo cum ab Aristotele, tum etiam à te ipso dissentis.

Ad hæc ita dicimus, hanc etiam difficultatem habere uerba istorum expositorum. non enim possunt illud negare, quin per definitionem definitionis, & per definitionem generis liceat cognoscere, aliquid esse alicuius rei definitionem, & genus. nam aliter & ipsi ab Aristotelis sententia discreparent, & Logica esset superuacanea. Quæ cum ita sint, tamen respondemus, quemadmodum uidetur responderi posse ex ipsius Aristotelis sententia, aliud esse concludere, hominem esse animal rationale in quod quid est, & concludere, animal rationale esse hominis definitionem.

Quorum quidem alterum intellexit Aristoteles, cum dixit, fieri non posse, ut quid est habeatur per syllogismum: alterum nos diximus haberi posse per syllogismum, sic tamen, ut demonstrauimus.

Cur autem neget Aristoteles, quid est disci posse per syllogismum, illa quidem uidetur esse ratio, quam ostendimus: quòd dicendo, hominem esse animal rationale, ut quid est, animal rationale non prædicatur de homine, itaque non potest concludi syllogismo. In huiusmodi enim oratione non est prædicatum, neque subiectum. Quòd si concludatur, animal rationale esse definitionem hominis, hic erit prædicatum, & subiectum, ut patet. Itaque ostendi poterit syllogismo.

Aliud uerò esse, concludi, hominem esse animal rationale, ut quid est, & concludi, animal rationale esse hominis definitionem, facilè colligi potest ex illis uerbis:

„ Amplius, sicut nec in syllogismo accipitur quid est syllogizare,
„ semper enim aut tota, aut pars est propositio ex quibus est syllogis-
„ mus: sic nec quod quid erat esse, oportet inesse syllogismo, sed seorsum hoc à positis esse. Quæ quidem uerba citauimus, etiam in sect. tertia nostri Commentarij.

Apertissimè enim uidetur Aristoteles ostendere, se loqui de hac oratione, homo est animal rationale, ut quid est. Nam mox infert, cum id concluditur, non accipi definitionem definitionis: aliter enim accipienda esset ipsa definitio. Hanc etiam rem illud satis declarat, quod eodem secundo libro dixit, quid est non posse

concludi,

concludi, nisi sit in utraque propositione quid est. nam si aliud non esset ab eo quod diximus, hoc falsum esset, siquidem ad syllogizandum, uerbi gratia, animal rationale esse definitionem hominis, non oportet in utraque propositione esse animal rationale, ut quod quid est, uel, ut est definitio.

Quod si quærat aliquis, quemadmodum sciri possit, animal rationale esse in quod quid est hominis, cum ignotum est, respondemus, id non posse ob eas, quas attulimus, rationes per demonstrationem haberi sic, ut demonstratio faciat illud scire, sed nonnihil tamen afferre ipsam demonstrationem ad eius cognitionem, ut suprà dictum est.

Cum ergo res ita sese habeat, quemadmodum diximus, patet, non rectè me ab hoc homine redargui. Neque enim ulla earum, quas ipse connumerauit, uia, neque ulla alia ratione uidetur posse concludi, animal rationale esse definitionem hominis, de qua ego loquor. & si illud uidetur concludi, hominem esse animal rationale, ut quid est, quod tamen est aliud ab eo quod ipsi diximus, quemadmodum ostendisse nos arbitramur. Illud etiam ualet, si Logicus non potest cognoscere ex definitione definitionis, nullo modo potest cognoscere, quia est ignotum complexum. Itaque facilè constat, nec ad rem quicquam facere, quæ subiunxit, & illius opinionem infirmare. Nam (ut à nobis superius dictum est, cum ostenderemus, qui finis esset secundi Posteriorum libri) Aristoteles prius uoluit disputare, quemadmodum sciri posset quæsitum quid est: ostenditq́, nullo alio modo sciri posse, nisi per definitionem propriè sumptam, hoc est quatenus explicat ipsum quid est. Quòd autem persæpe usu ueniret, ut in ipsa definitione conficienda erraremus, docuit nos conficere definitionem, quemadmodum antè docuerat conficere demonstrationem. Atque hanc ob caussam dixit, sese uelle uenari prædicata, quæ sunt in quod quid est, quod uolebat docere, definitionem constitui ex eis, quorum quælibet pars esset in plus, totum tamen in æquè. Logici enim est cognoscere, definitionem constare oportere ex eis quæ eo loco ipse docuit, ac prædicata esse oportere in quod quid est, animal rationale autem esse in quod quid est hominis, eodemq́ modo de reliquis definitionibus: hoc uerò negamus ipsi cognosci posse à Logico, sed suam quenq; artificem definitionem cognitam habere.

Quòd si uera essent quæ homo scribit, nihil necesse esset, facultates inuestigare suas definitiones, cum ignotæ sunt. Quod quidem à ueritate penitus abhorrere, constat ex ijs quæ scribit Aristoteles, cùm lib. Physicorum, ubi motum definit: tum etiam libro de Anima, cum ipsius animæ definitionem tradit. Sed quoniam uir iste egregius ignorat differentiam, quæ est inter regulas, & ea quæ ex ipsis regulis constituuntur: hinc factum est, ut in has difficultates inciderit.

Quod uerò ad proximam rationem meam respondens subdit, me

F 3 facere

facere dictas consequentias, & quæ sequuntur, apparet, non satis illum meorum uerborum sensum percepisse: quæ tamen uerba (iudicio meo) nihil ambigui, obscuri'ue habent. Neque enim quicquam respõdit ad rationes eas, quibus ostendisse me arbitror, si proprium munus esset Logici, considerare hominem ut homo est, & animal ut animal est, superuacaneas fore cæteras facultates. Reliqua uerò quæ scribit, partim iam refutata sunt, partim nihil ad rem faciunt: ut quę dicit de Dialectica. neque enim de illa hoc loco disputatur: quin
» etiam uidētur ab eius sententia discrepare. Quia si dialectica est, quæ
» modo probabili consideret omnes res, non erit Logicus, quippe qui
» illas considerat (ut sentit ipse) sub ea ratione formali, quæ in ipsis e-
XXXV. *Suæ ipsius opinionis euersio.* nunciationibus subijci, ac prædicari possunt. non enim eadem est utriusq; ratio formalis. Ex eius ergo dictis sequitur, ut distinguantur inter se Logica, & dialectica. id quod superius negauit.

Præterea, ad aliam rationem meam respondens, nonnulla ob eam quidem causam scribit, quòd qui meus esset uerborum sensus, non intellexit. sic enim ait:

„ Quo pacto citra omnem Dialecticæ regulam intulisti: Igitur ue-
„ rum est, quod diximus, cum in his nihil probauerim, nihil assum-
„ pserim, quod positionem suam debilitet, ut ipse inquit, sed asseras te
„ inferius probaturum.

Hæc autem mea sunt uerba:

» Sequitur ergo id quod diximus, ut si huiusmodi cognitio ex il-
„ lo libro colligatur, inferri non possit, eam doctrinam esse Logicæ fa-
„ cultatis partem.

Quæ quidē consequentia ducitur ex omnibus ijs quæ allata sunt, ad ostendendum conclusionem eam quam diximus. Illata est autem ultimo loco, ut comprehenderet omnes superiores rationes, non ut solùm penderet ex ijs quæ probaturi essemus. Fatemur tamen, hanc ipsam consequentiam esse citra omnem dialecticam regulam. est enim secundùm demonstratiuā regulam, quam unā in his sectamur.

Quod autem ad aliam rationem meam respondens ait, se nonnulla præterijsse, quæ superuacanea sibi uiderentur: hoc quidem penitus falsum esse, facilè intelligent ij qui uerba mea legerint. Nihil enim aliud habet mea illa ratio, nisi quæ antecedunt, quæq; insequuntur, eorumq; rationes, & locos Aristotelis, qui à me faciunt. Deinde subiungit, quæ à Peripateticis pro certis posita esse dicit, quæ quidē sunt à nobis iam refutata.

Cum uerò accedit ad formam argumenti, nihil minus facit, quàm ut rationes meas refellat.

Respondet enim ad antecedens, diuersas secutus opiniones, quod quidem quàm diluat, aliorum sit iudicium. Hæc autem mea sunt uerba:

„ Illud etiam ab omni ratione alienum existimamus, quod quidam
„ negant, substantiam considerari ut substantiā, & qualitatem ut qua-
„ litatem, eodemq; modo reliqua: sed ut genera.

Quibus

Quibus quidem uerbis improbatur à me eorum opinio, qui ita sentiunt.

SECTIO XVII.

Verùm non modo in hac re uir iste egregius labitur, sed in alijs permultis. Nam si (ut ait ipse) qui asserunt, tractari " uoces in Prædicamentis primò, ut medijs conceptibus " rerum significatiuæ sunt, negarent antecedens illud, sub " stantiam non considerari eo libro, ut genus, ac faterentur, uocem " Substantia, quæ genus appellatur, tractari, ut significatiua est rei, " quæ est substantia. "

Illud nimirum sentiunt, substantiam, & reliqua genera considerari non posse, ut subijciuntur, & ut prædicantur: hoc est, ut inferiora sunt, & superiora. Consequentia sic ostenditur. Si idem simul considerari non potest, & ut significat res, & ut genus est, ut ipse ait: idque propterea, quòd genus est secunda intentio, aliter enim nihil interesset inter hanc considerationem, & illam, qua consideratur substantia ut est substantia. Huiusmodi tamen considerationes dixit ipse, esse inter se distinctas, itaque posuit has opiniones esse diuersas. Si igitur idem simul considerari non potest, & ut significat res, & ut genus est: neque item considerabitur, quatenus est prædicatum, & subiectum, superius, & inferius. Id autem ex eo satis constat, quòd omnes secundæ intentiones (ut sentit ipse) tractantur à Logico. suprà enim dixit,

Genus spectare ad Logicum, quia est prædicatum. "

Et in II. supposito secundi tractatus:

Vti enim, inquit, Socrates (uti diximus) paternitate, quam sibi il- " lo actu acquirit, pater denominatur, & Plato filius, pari modo unũ " obiectum cognitum, genus, aut species, superius, & inferius, prædi " catum, subiectũ, denominari poterit. Quod enim animal appellabas " cognitum recto actu, id denominas genus comparatione facta. "

Concedit igitur, illa eiusdem esse ordinis, ut reuera sunt, sunt enim affectus entis: itaque eiusdem esse naturæ. Sed superius, cum ad uerba illa responderet,

Falsam quoque, & ab Aristotelis sententia planè alienam duci- " mus eorum opinionem, qui existimant, hominem, & animal, trian- " gulum, & figuram, cæteraque his consimilia, quæ quidem inter se ra- " tionem obtinent generum, & specierum, eo libro tractari, ut superio " ra, & inferiora: "

Ad hæc inquam uerba cum responderet,

Hæc opinio, inquit, quam tu ita falsam, ac doctrinæ Aristotelis " aduersariam dicis, uera est, ac Peripatetica. "

Et paulo pòst,

Cum iam scias, Peripateticos uel iusto titulo possidere, uel saltem " hunc locum occupare, uidelicet quæ in Prædicamentorum libro cõ " siderantur, ut superiora, et inferiora, ut in ipsis enunciationibus subij " ci, aut prædicari possunt, considerari. Ergo Peripatetica erit simul, "

Boëtius, Simplicius, Hammonius, ac egregij complures Græci inter " pretes secundam partem defendunt: multi etiam ex Græcis & Lati- " nis priorem, neutra tamen opinio à conclusione nostra dissentit. "

Itaque fuisse illorum uerborum suorum sensum, ut diceret, res primò considerari sub secundis intentionibus, ac uox Primò, referretur ad uerba illa sub secundis intentionibus, nõ per se ipsa acciperentur. Sed hoc nõ uidẽtur significare uerba eius, quę proximè recitauimus.

Vt hoc autem illi demus, suam ipse opinionem euertit. nàm si nihil inter se differunt istæ opiniones, non rectè eas ipse distinxit. Adde, quòd altera est, cõsiderari primò res sub secundis intentionibus: altera est, non considerari primò res, quia uoces primò considerantur, sunt igitur diuersæ: ut si una uera sit, altera non possit esse uera, Itaque secum homo pugnat, quippe qui ponit, ambas esse ueras. superius enim ita scripsit: XXXIX. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Illorũ opinio, qui asserunt, animal & hominẽ considerari in Prædicamentorũ libro, ut superius & inferius, Peripatetica est, & uera. " "

Sed considerare animal ut superius, & hominem ut inferius, est considerare res sub secundis intentionibus: ergo uera erit, ac Peripatetica opinio eorum qui putant, res considerari sub secundis intentionibus: quæ quidem opinio, ut patet ex ijs, quæ dicta sunt, euertit opinionem eorum qui censent, Prædicamenta esse primò de uocibus significantibus res, ut significantes sunt. Itaque aduersatur Simplitio, Hammonio, Boëtio: quos tamen infrà scribit, omnem ætatem " semper ueneratam esse, & tantùm illis detulisse, quantùm fortasse Ari " stoteli. Præterea à se ipso dissentit, qui loco citato loquens de sententia Boëtij, Hammonij, Simplicij, hæc uerba subiungit:

Quarum tamen hac in re sententia ita rationi consona est, ut uerior esse non possit. " "

Si ergo hæc opinio uera est, illa quam demonstrauimus, est falsa. nam secundùm hanc uoces primò considerantur, ut significant res: secundùm illam considerantur primò res, ut substant secundis intentionibus: quam tamen superius ipse ueram esse dixit. ergo à se ipso dissidet. Valet enim hoc argumentum: si considerantur primò res sub secundis intentionibus, non considerantur primò uoces, ut significant res. XL.

Ex ijs autẽ quæ de hoc libro sentit, quę quidem (ut ostensum est) inter se pugnant, facilè intelligi licet, quam eius ipsius libri cognitionem consecutus sit.

Videtur item peccare, propterea quòd ego non illud intuli, quod scribit ipse:

Substantia consideratur ut genus, ergo in quantum genus. "

Sed hoc,

Substantia consideratur ut genus, ergo definitio & eius proprietates conueniunt ei ut genus est. "

Sed ut à me illud etiam illatum sit, uerè tamen insequitur. Ea enim quam affert ipse, distinctio uocis, Inquantum, planè conficta est, & commen

commentitia. ſiquidem conſiderare ſubſtantiam, ut genus, eſt tantũmodo conſiderare eam ut prædicatur de pluribus. nam genus, ut genus, prædicatur de pluribus.

Patet etiam, à ueritate illum recedere, cum dicat,

» Subſtantiam conſiderari, ut genus: non omnes tamen proprieta-
» tates conuenire ei, ut genus eſt.

Præſertim cum loquatur de proprietatibus ijs, quæ maximè dicũtur ei conuenire. Cum enim dixiſſet,

» Proprietates nonnullas ineſſe ipſi rei, quaſdam uerò ob reſpe-
» ctum rationis:

Ita ſubdit,

» Cognitio ſubſtantiæ ſecundùm has proprietates relatum poſtre-
» mum habet ad ipſum genus.

Ergo non conueniunt hæ proprietates ſubſtantiæ, ut res eſt, quia ſpectant ad id quod non eſt res, & formalis ipſarum ratio eſt ſecunda intentio.

Quòd nihil autẽ ad rationes meas reſpondet, quas idcirco ſe præterire ait, quòd ſuperuacaneæ ſint, quàm id rectè, uereq́ faciat, facilè erit ijs dijudicare, qui meas illas rationes legerint.

SECTIO XIX.

Quod uerò ſubiungit,

» Seſe demonſtraſſe, præcipuam curam Logico fore, ut
» eſſentialia, & denominatiuè prædicata optimè cogno-
» ſcat: quod facilè aſſequetur, inquit, ſi uoces Prædicamen
» torum diſcernet, quæ cum ſignificatiuæ ſint, tota res ad ſignificata re
» ferenda erit.

Id planè euertit, quod iam toties dixit, Prædicamenta ſcilicet eſſe de uocibus. Nam ſi tota res, quæ notatur uocibus ſignificatiuis, quæ ſunt in Prædicamentis, ad ſignificata referenda eſt: ſequitur, ut Prædicamenta ſint de rebus. uoces enim ſunt propter res, ad quas referuntur: ſiquidem illas oportet eſſe propter id, ad quod referuntur. ergo Prædicamenta tractantur per ſe, & primò de rebus, non de uocibus. Itaq́ ſuam ipſe opinionem funditus euertit.

XLI. ſuæ ipſius opinionis euerſio.

Præterea ſatis mirari non poſſum, egregium iſtum uirum dice-
» re, Entia rationis, ſiue ſecundas intentiones, & à Metaphyſico, &
» à Logico, uario tamen modo, conſiderari. illum enim quiditatem
» earum, ſi quam habent, conſiderare, ut omnino à primis intentioni-
» bus abſtrahunt, aut res ipſas ineſſe cognito denominant. Contrà,
» hunc non ita ſimpliciter, ſed ut primis intentionibus adiunctæ ſunt,
» & res ipſas ſic intellectas denominant. quinimmo & uoces res ſic in-
» tellectas ſignificantes ſpeculari.

Nam in multis uidetur à ueritate longè recedere.

Primùm autem, quod ſequitur, ut Logicus ſit magis realis artifex, quàm Primus philoſophus: ſiquidem Primus philoſophus conſiderat ſecundas intentiones, ut omnino abſtrahunt à primis: Logicus

gicus perſcrutatur eas non ſimpliciter, ſed ut primis adiunctæ ſunt. Qui autem conſiderat ſecundas intentiones primis adiunctas, magis eſt realis, quàm qui conſiderat ſecundas tantùm. Primæ enim dicuntur reales, propterea quod referunt res. ac ſcientiæ ipſæ, quòd ſunt de primis intentionibus, dicuntur reales: ergo Logica eſt magis realis, quàm Prima philoſophia. Quod quidem cùm abſurdiſſimum eſt, tũ etiam cum his pugnat, quæ iſte ſuperius ſcripſit: XLI. ſuæ ipſius opinionis euerſio.

Deinde uidetur apertiſſimè peccare, cum ait,

Metaphyſicum conſiderare quiditatem ſecũdarum intentionum, ut omnino à primis abſtrahunt, aut res ipſas in eſſe cognito denominant. hic enim modus prior eſt. Nam ſecundis intentionibus denominari res in eſſe cognito, perinde eſt, ac ſecundis primas denominari intentiones. Siquidem primæ intentiones (ut concedit ipſe) nihil aliud ſunt, niſi res primò cognitæ, hoc eſt quiditates rerum in intellectu: ergo ſecum diſſidet. XLIII.

Poſtremò, cum ſcribit,

Metaphyſicum conſiderare ſecundas intentiones, ut res ipſas in eſſe cognito denominant, Logicum conſiderare eaſdem ſecundas intentiones adiunctas primis, & quatenus res ipſas ſic intellectas denominant,

A ſe ipſo diſſentit. Sequitur enim, ut ab utroque eodem modo conſiderentur, quas tamen uariè conſiderari ſuperius dixit. Adhuc igitur integrum eſſet argumentum meum, quamuis ea quæ dicit, ad rem facerent, quæ tamen maximè aliena ſunt. XLIIII.

Inſequi autem id quod diximus, patet ex eo, quòd fieri non poteſt, ut ſecundæ intentiones conſiderentur, ut denominant res in eſſe cognito, niſi etiam denominent res ſic intellectas.

Idem etiam ſic confirmatur, quòd cum huiuſmodi ſecundæ intentiones non poſſint eſſe ſine primis, tanquam ſine materia propria, fieri non poteſt, ut intelligantur ſine primis. itaque tollitur uarius ille conſiderandi modus. Hoc autem ita eſſe, ex eo colligi poteſt, quòd ut quicque eſt, ita etiam intelligitur.

Antecedens comprobant ea, quæ ipſemet in ſecundo ſuppoſito, cum multa antè dixiſſet, ita ſcripſit:

Sic etiam apud intellectum ſuo modò cum ampliorem quiditatem minus amplæ quiditati confert, actu, quem diximus, comparatiuo, aut etiam indiuiduis per eorum ſenſibiles ſpecies, in interioribus ſenſibus exiſtentibus neceſſariò hæc obiecta cognita, & ut ſic inuicem comparata, reſpectus aliqui, aut etiam relationes inſequuntur, qui cum in intellectu ſint, & per huiuſmodi actum collatiuum oriantur, rationis, non naturæ, aut rei eſſe dicuntur.

Hæc igitur, aut relationes rationis, aut ſecundæ intentiones, aut ſecundi conceptus, aut ſecundò intellecta appellata, cum obiecta cognita ſic inſequuntur, & in eis in intellectu ſic comparante derelicta fuerint, tales quiditates, ſiue naturas, ſiue entitates denominare poterunt.

Cum

tractatu tertio, scilicet quod ista scientia habet considerare de omni- "
bus speciebus entium, secundùm quod sunt entia: & dat super hoc "
testimonia, ut in epitomate Metaphysicæ. Prima pars, inquit, specu- "
latur de rebus sensibilibus, in quantum sunt entia, & de omnibus ge "
neribus earum quæ sunt decem Prædicamenta, & de omnibus con- "
sequentibus ea. "

Quam quidem rem primo huius Apologiæ libro nos pluribus ostendisse arbitramur. Quod si eorũ quæ sunt principia, & causæ quæruntur in Prima philosophia, quatenus sunt: quæ autem in rerum natura reperiuntur, ut homo, asinus, bos, & reliqua huiusmodi, omnia sunt horum omnium, quatenus sunt principia, & causæ quæruntur in Prima philosophia. Præter rem deniq; ait, sese mihi "
illud assentiri, genus ut est genus, ut dictio, ut explicat quiditatem, & "
formalem rationem generis considerari à Metaphysico. Quis enim "
dubitet, quin genus ut genus, sic accipiatur, cũ aliter sumi nõ possit?

SECTIO XX.

PRæterea quod scribit, uoces sic significatiuas, quæ genera nominantur, & quarum gratia antecedens est forma- "
tum, non spectare ad Metaphysicum, sed ad Logicum, "
in hoc item uidetur peccare. sequeretur enim, ut hæ uoces, Substantia, quantitas, qualitas, quæ quidẽ uoces significãt res, nõ pertinerent ad primum philosophum, sed ad Logicum: itaq; sub secundis intentionibus spectarent ad Primam philosophiam, sine illis ad Logicam, contrà quàm tamen ab eo persæpe iam dictum est. XLVI.

Quæ cũ ita esse appareat, haud sanè dubitari posse arbitror, quin uerum sit quod diximus, substantiam, quantitatem, & reliqua eiusdem generis, si cõsiderantur in Prædicamentis, ut genera, ad Primã spectare philosophiam. Cum ex ijs autem quæ uir iste peregregius scribit, modo hoc sequatur, modo illud, quid aliud obsecro, dicendum est, nisi suam illum opinionẽ euertere, nostram autẽ cõfirmare? *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Satis autem mirari non possum, eum scribere, sibi mirum uideri, non illud me concedere, unumquodq; Prędicamentorum & esse, & "
appellari genus seorsum, sed omnia unico uerbo genus nominari. "
Cum ego ita scripserim,

Neq; huic nostræ sententiæ (ni fallor) aduersantur ea uerba quæ "
scripta reliquit Aristoteles in fine Prædicamentorum, ubi sic ait: De "
propositis itaq; generibus dicta sufficiant.

Id enim ego propterea intuli, non contra me facere, quia hæc decẽ genera in eo inter se consentiunt, quòd omnia appellantur genera, & in epilogo quidem communi nomine sic appellari potuerint: quod quidem idcirco à me dictum est, propter hunc epilogum.

De substantia igitur, de quantitate, relatione, qualitate, ubi, quando, habere, agere, facere, & pati, dicta sufficiant.

Non ergo illud negaui, substantiam seorsum dici genus, itemq; reliqua, etsi omnia dixi appellari genera.

G Præterea

Præterea quod ex libro Topicorum Iacomellus citat, id ſauet opi-
Reflexio argumēti. nioni meæ. Nam genus cum reperiatur in ſingulis Prædicamentis, eſt affectus entis, quatenus eſt ens, non ſubſtantiæ, neque ullius ſeparatim reliquorum decem generum, propterea quia eſt in quolibet genere, ut ipſe etiam concedit: quocirca eſt affectus entis, itaq; pertinet ad primum philoſophum. Ad quam enim facultatem ſpectat ſubiectum, ſpectant etiam eius proprietates.

Præterea ſi genus (ut iſte ait) conſideratur in Topicis, ut genus, liber autem Topicorum ex eius ſententia eſt pars Logicæ, Logica
XLVII. *Suæ ipſius opinionis euerſio.* conſiderat genus, ut genus. Sed ſuperius dixit, genus ſub ratione uniuerſali generis, quod quidem nihil aliud eſt, niſi genus ut genus, ſpectare ad primum philoſophum: igitur à ſeipſo diſſentit.

Præterea ſi genus ut genus, eſt in quolibet Prædicamento, Prædicamenta autem ſunt pars Logicæ, genus ut genus pertinet ad Logicam: ergo non pertinet ad Primam philoſophiam, quod tamen ſuperius ipſe conceſſit. Neq; enim fieri poteſt, ut idem eadem ratione formali ad diuerſos pertineat artifices.

Quod uerò ſubiungit, ex uerbis Ariſtotelis intelligi, pertractatū
» eſſe de decem generibus, & ſubſtantiam eſſe conſideratam, ut ei con
» uenit ratio generis: apertè ſecum pugnat, quippe qui paulo antè di-
XLVIII. xit, primum philoſophum conſiderare genus ut genus, & ut illi conuenit ratio generis: hic autem uult, conſiderari à Logico. Siquidem ſcribit in Prædicamentis, quæ ipſe putat eſſe partē Logicæ, ſubſtantiam eſſe conſideratam, ut ipſi conuenit ratio generis.

Præterea ſi ex uerbis Ariſtotelis apparet, ſubſtantiam eſſe conſideratam, ut ei conuenit ratio generis, non rectè ſuperius ita ſcripſit:

Non enim uerum eſt, ſubſtantiam ut genus, eo libro conſiderari.

» Nam idem eſt conſiderare ſubſtantiam, ut illi conuenit ratio generis, & conſiderare eam ut genus. Conſiderare enim Socratem ſub ratione hominis, eſt conſiderare eum ut homo eſt. Non enim poteſt aliquid conſiderari ut genus, niſi conſideretur ſub ratione generis. nam aliter non conſideraretur ut genus: propterea quod conſiderare aliquid ut genus, eſt conſiderare illud ſub ratione generis. Sed ſuperius ex eorum ſententia, qui dicebant Prædicamenta eſſe de uocibus ſignificantibus res, quatenus ſignificantes ſunt (qua quidem opinione nullam infrà ſcribit eſſe ueriorem) aſſeruit fieri nō poſſe, ut
XLIX. ſubſtantia conſideretur ut genus: ergo ſecum pugnat.

SECTIO XXI.

Quod autem ita ſubdit,

» Poſtea tu nō diſſoluis Simplicij obiectionē, qua præ-
» dicto Ariſtotelis teſtimonio demonſtrat, Prędicamenta
» dici genera, & ut genera ab Ariſtotele conſiderata:

Videtur longè à ueritate recedere. ac primùm quidem, quod falſum eſt, Simplicium teſtimonio Ariſtotelis oſtendiſſe Prædicamenta dici genera, & ut genera ab Ariſtotele eſſe conſiderata. Nam ille

quidem

quidem usus est testimonio Aristotelis, ad ostendendum, Prædicamenta dici genera, id quod nos etiam assentimur: sed eum ostendere, illa cōsiderari eo libro, ut genera, id uerò falsum esse arbitramur; ut ex ipsius Simplicij uerbis facilè intelligi licet.

Huc accedit, ut cum inconstantem opinionem Simplicio tribuat, secum etiam ipse pugnet: quippe qui superius ita scripsit,

Qui primò uoces, ut rerum medijs concœptibus sunt significatiuæ, in Prædicamentis considerari asserunt, primum antecedens tibi negarent. non enim uerum est, substantiam ut genus considerari in eo libro. «

Sic igitur argumentor. Simplicius est unus ex ijs qui primò uoces, ut rerum medijs concœptibus sunt significatiuæ, considerari asserunt in Prædicamentis, ut patet ex ijs quæ dicta sunt, quæq; dicentur: ergo falsum est, illum demonstrasse Prædicamenta dici genera, & ut genera ab Aristotele esse cōsiderata. hęc enim inter se pugnant, ut ex ijs quæ suprà disputauimus, constat. Cum Simplicio igitur, ac secum ipso dissidet. I. *suæ ipsius opinionis euersio.*

Magis etiam uidetur esse accusandus, cum ait: Sed eius mentē (ut putas) conditionalem quandam infers, & accusas, quam tamen nec ipse, nec alius è Peripateticis formauit, quæ est, si demonstrentur proprietates de substantia, demonstrantur ut genus. «

Quid enim illam ego conditionalem intuli? quis hic obsecro, nō exclamet? quis sibi temperet, quin summam hominis negligentiam temeritatemq; uerbis asperis insectetur, qui uel ea non uideat, quæ ante oculos proposita habet? Hæc enim sunt uerba mea:

Non tamen ut probatum est, si demonstrentur proprietates substantiæ, demonstrantur ut generis, licet substantia sit genus. «

Nolui igitur dicere, hoc argumentum ualere: demonstrantur proprietates substantiæ, quæ est genus: ergo demonstrantur de substantia, ut genus est.

Atque hunc quidem sensum, qui perspicuè elicitur ex ijs quæ recitauimus uerbis, declarant etiam hæc quæ insequuntur:

Nam etsi in Geometria probātur passiones de magnitudine, quæ est ens: non tamen dicuntur ostendi de ea, quatenus est ens.

Cum ergo falsum sit, à me illatam esse illam cōditionalem, qui potius contrarium intuli, dubitari non potest, quin omnia quæ subiunxit de huiusmodi conditionali, inania sint, ac planè aliena.

Quod autem præter rem scribat, respōdens ad hanc meam rationem, facilè est cuique uidere. Sed illum etiam à seipso dissentire, is intelliget, qui ea legerit, quæ hoc loco scribit, loquens de illa opinione interpretum, qui existimant librum Prædicamentorum esse de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt. Ait enim, II.

Quorum tamen hac in re sententia ita rationi consona est, ut uerior esse non possit. «

Quòd si uera est hæc opinio, falsa erit opinio eorum qui dicunt, Prædicamenta considerari ut superiora & inferiora, ut genera & species,

ſpecies. Inter ſe enim inuicem pugnant, ut ſuperius ipſe oſtendit, ubi poſuit duas de Prædicamentis opiniones. Sed tamen ſuprà dixit, hanc eſſe ueram & Peripateticam, ergo ſibi non conſtat.

SECTIO XXII.

QVæ uerò ſubdit de hac ipſa re loquens, nulla eſſe, ex eo facilè intelligi licet, quod nullam ex rationibus meis diſſoluit. Ita enim ego ſum argumentatus: Prædicamenta ſunt de uocibus ſignificantibus res, quatenus ſignificantes ſunt, ergo ſunt de rebus. Conſequentia ſic oſtenditur, quod uoces ſunt tantummodo propter res. quia enim non poſſumus afferre nobiſcum res, utimur nominibus quæ ſint ſigna rerũ pro ipſis rebus. propter quod autem quicq; eſt, & illud magis. Non ergo infirmat cõſequentiam, negando id quod ego planè cõfirmo auctoritate Ariſtotelis, ad quam nihil reſpondet, cũ tamen ita cõcludatur ratio mea. Nam ſi utimur nominibus pro rebus, ut dictum eſt, res conſiderantur per ſe, non uoces. Non ergo diſſoluit argumentum, cum dicit,

» Peripateticos concedere, librum Prædicamentorum eſſe de uo-
» cibus, ut conceptuum interuentu res ſignificant. Ita enim, inquit, &
» de rebus ipſis erit, ut ſcilicet concœptæ ſignificatæq; ſunt, non ſe-
» cundùm propriam earum naturam.

Nam ratio oſtendit, conſiderari ſecundùm propriam naturam, propterea quod ſuperius etiã conceſſit, nonnullas proprietates ſub-
LII. *ſuæ ipſius opinionis euerſio.* ſtantiæ conuenire rei, ut res eſt: cumq; non maior ſit ratio unius rei, quæ conſideratur in una aliqua doctrina, quàm alterius, non enim una eſſet omnino doctrina, ſecum ipſe pugnat.

Concedit prętera, illud rectè inferri poſſe, doctrina Prędicamentorum eſt de rebus primò, id eſt immediatè, igitur non primò de uocibus. Sed negat antecedens, librum ſcilicet Prædicamentorum eſſe immediatè de rebus. Quod ſi dicatur eſſe de rebus primò, id eſt principaliter, & per ſe (uox enim primò ſignificat, uel immediatè, uel per ſe, & ſecundùm quod ipſum, & principaliter) & inferatur nõ eſſe de uocibus, negat conſequentiam, concedit autem antecedens.

Cum igitur Prædicamentorum liber ex eius ſententia ſit de rebus principaliter, per ſe, & ſecũdùm quod ipſum, eſt de rebus ſecundùm propriam naturam. Nam quod alicui rei conuenit per ſe, & ſecundùm quod ipſum (ut patet ex 1. Poſter. lib.) cõuenit ei ſecũdùm
LIII. eius naturã. Sed paulo antè contrarium dixit, ergo à ſeipſo diſsidet.

Præterea, cum concedat antecedens illud, ac poſtmodum dicat eſſe de uocibus per ſe, perinde facit, ac ſi aſſerat & neget, librum illũ eſſe de rebus principaliter. Nam ſi eſt de uocibus principaliter, non poteſt eſſe de rebus principaliter. Illum autem fateri, eſſe de uocibus principaliter, patet cùm ex eis quæ ſuperius dixit, tum quod negat, rectè illud inferri, ſi ſit de rebus, quomodo dictum eſt, non eſſe de uo-
LIIII. cibus principaliter. Itaque perſpicuè à ſeipſo diſſentit, qui cum concedat antecedens, negat conſequentiam; id quod tamen nos intulimus,

mus, ut ex eis quæ dicta sunt, constat.

Rationē item, quam ego sumpsi ex Græcis, non recte ponit, plus etiam in ea dissoluenda peccat. Ego enim sic argumentatus sum: Nomina (quemadmodum interpretes isti sentiunt) ob eam tantùm causam inuenta sunt, ut ijs sensa nostra eloqueremur. ergo ubicunque considerantur uoces, considerantur per accidens, non per se. Considerantur enim ex Græcorum interpretum sententia, propter aliud, nempe propter sensa. Deinde ita subiunximus: Cum sensa autem sint propter res, uoces item sunt propter ipsas res, ergo hæc doctrina est de rebus, itaq; non est pars Logicæ. Quod quidem contra eius opinionem facit, qui negat illam esse de rebus.

Constat igitur, non recte hominem ponere rationem meam, si legatur ea, quam ipse uocat secundam rationem.

Patet etiam, malè eam dissoluere, cum ita scribat:

" Hæc uerba secundæ rationi satisfacerent concedentes, eos artifi-
" ces qui res ipsas in propria natura pertractant, non tamen ut intel-
" lectæ, ut significatæ, ut secundis conceptibus denominatæ sunt,
" uti uocibus per accidens, ut ueluti instrumentis, cum prima eorum
" intentio feratur in res, quas solùm in propria natura scire deside-
" rant. At Logicus non talis est, eo'que magis in hoc libello Præ-
" dicamentorum, quo animus est ferri in uoces, ut interuentu con-
" ceptuum res significant, quarum proprietates, ut subiici, aut præ-
" dicari possunt, scrutatur, nō tamen ipsarū significata posthabendo.

Non recte autem rationem illam dissoluit. Primùm quod pro certò concesso'que sumit, quod negatur: nec tamen ipse ostendit, librum scilicet Prædicamentorum esse partem Logicæ. Deinde quod aut uerum est, aut falsum, id quod ego ex Græcorum interpretum sententia dixi, Voces non esse inuentas, nisi propter sensa. Si est falsum, aduersatur Græcis, quos tamen sectatur. Sin uerum, non ideo rationem dissoluit, quod uoces in libro Prædicamentorum nō possunt considerari propter se, sed considerantur propter aliud. Aliter enim sequeretur, ut uoces non essent inuentæ propter sensa tantummodo, siquidem considerarentur propter se.

SECTIO XXIII.

Videtur etiam uir iste egregius & errare, & à seipso dissidere, cum ait, in libro Prædicamentorum tractari proprietates rerum, ut subiiciuntur & prædicantur. Ex hoc enim planè sequitur, ut in eo libro tractentur res, quatenus subiiciuntur & prædicantur. siquidem eas ita tractari oportet, quemadmodum ostenduntur ipsarum proprietates. Itaque liber ille erit de rebus, ut sic tractantur, non de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, ut sentit Boëtius & Simplicius. Probatur autem consequentia, quod ipse in secundo tractatu, loco superius citato, scribit: aliud esse considerare res, ut secundis intentionibus substant, & considerare uoces, ut rerum significatiuæ sunt.

Considerare autem res, ut subijciuntur & prædicantur, est considerare eas sub secundis intentionibus, ut patet ex ijs quæ ipse superius scribit. ergo cōsiderare res, ut subijciuntur, & ut prædicantur, aliud est à consideratione uocum, ut rerum significatiuæ sunt. Quod si liber Prædicamentorum (ut putat ipse ex sententia istorum expositorum) est de rebus, ut subijciuntur, & ut prædicantur, non est de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt. Itaq; secum ipse pugnat, ut ostensum est. Facit etiam, ut minus sibi constare uideantur interpretes, quippe qui secus dixerunt.

LV. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

A' seipso item dissidet, atq; in eandem inconstantiam trahit ipsos interpretes, cum respondens ad meam primam rationem ait,

„ Peripateticos, quos ego hoc in loco oppugnaui, concedere, do-
„ ctrinam libri Prædicamentorum esse de uocibus, ut conceptuum
„ interuentu res significant: quamobrē & de rebus ipsis esse, ut scilicet
„ concœptæ significatæq; sunt.

Nam si ex sententia Hammonij & Simplicij, & Boëtij, quos ait à me hoc loco esse oppugnatos, liber Prædicamentorum est de rebus, ut significatæ sunt, non est de uocibus significantibus, quatenus significantes sunt. Consequentia confirmatur uerbis ijs quæ citauimus, quibus ille ostendit,

„ Considerare res, ut intentionibus secundis substant, & ipsis uoci-
„ bus significantur, esse diuersum à consideratione uocum, ut signifi-
„ cant res.

Quòd si uult, hos uiros concedere, in Prædicamentis considerari res, ut significantur uocibus, cùm sibi ipse non constat, tum cogit etiam (ut dictum est) illos secum dissidere.

LVI. Quòd si fortè dicat, aliud esse considerari res, ut significantur uocibus, & ut significatæ sunt, quàm id quidem ridiculum sit, nemini obscurum est.

Mittimus etiam, quàm falsum sit quod ait, in Prædicamentis doceri proprietates rerum, quatenus subijciuntur & prædicantur. satis enim superius de hac re disputauimus. Nam quî, obsecro, potest illa quantitatis proprietas, ut æqualis sit & inæqualis, conuenire ipsi quantitati, quatenus subijcitur & prædicatur: eodemq; modo de reliquis generibus. Quin hoc ipsum etiam dici liceret de triangulo, ut cum dicimus, Triangulus habet tres, passio illa Habere tres, conueniat ei, ut subijcitur, & ut prędicatur: idemq; de reliquis omnibus, de quibus ostenditur aliquid in scientijs. Quæ quidem cum sint absurdissima, facilè intelligi licet, quàm id probandum sit, quod egregius iste uir scribit.

Deinde uidetur secum pugnare, ita concludens,

„ Per se ergo de uocibus, & per se de rebus, modo, quo exposui-
„ mus, licet immediatè de uocibus: non igitur per accidens.

Nam cum liber ille non possit esse de utrisq; eodem modo, ut ipse etiam cōcessit, si est de uocibus per se, non est de rebus per se. & è cōtrario. Omne enim aut tractatur per se, aut per accidens, ut 1. Poster. lib. ostendit Aristoteles. Quòd si, cū ait per se de rebus, intelligat primò,

mò, & ſecundùm ipſarum naturam, ut quidem uiſus eſt intelligere LVII.
in antecedente ſuperiori, à ſeipſo diſsidet. Primùm, quod liber Præ- *Suæ ipſius*
dicamentorum eſſet de uocibus per accidens, non per ſe, ſecundùm *opinionis*
ipſarum naturam, quod tamē negauit. Deinde, quòd eſſet de rebus *euerſio.*
per ſe, id eſt ſecundùm ipſarum naturā, contrà quàm item ſuperius
ſcripſit. Quòd ſi è cōtrario intelligat, ſecum etiam pugnat, ut patet. LVIII.

Si uerò accipiat per ſe de uocibus, id eſt ſecundùm ipſarum naturam: per ſe autem de rebus eo modo quo expoſuit, ut ſcilicet conceptæ ſignificatæq́ ſunt: à ſeipſo diſſentit, quòd uerba illa, Per ſe de rebus, ut conceptæ ſignificatæq́ ſunt, deſignant non eſſe per ſe. idem enim ualent, ac ſi quis dicat, homo mortuus: neq; enim illud rebus per ſe conuenit, ut conceptæ ſint, aut ſignificatæ, ſed hoc fit per accidens. Quamobrem dicere, librum Prædicamentorum eſſe per ſe
de rebus, & inferre, ut conceptæ, & ut ſignificatæ ſunt, idem eſt ac LIX.
negare eſſe per ſe de rebus.

SECTIO XXIIII.

"Vod uerò ſubiungit, Ariſtotelem I. Topic. lib. ſcripſiſſe,
"in diſputationibus tria genera problematum ſolere pro-
"poni: quæ interdum, inquit, ſpectant ad electionem, uel
"fugam, nonnunquam ad ueritatem & ſcientiam per ſe,
"& primò, interdum adminiculantur ad aliquid talium:

In hoc autem tertio problematum genere ponit librum Prædicamentorum, & per cōſequens Logicam: ſequitur, ut Logica, & liber ille per ſe, et primò adminiculetur ad ea problemata quæ ſpectant ad ueritatem, & ad ſcientiam. itaque per ſe, & primò non facit ad ueritatem & ſcientiam: ergo falſum eſt, eius finem eſſe, diſcernere uerum à falſo. eſſet enim propter ſuum principalem finem. itaq; ſpectaret ad ueritatem & ſcientiam. Sed ſuperius hæc omnia aſſeruit, ergo ſecum
diſsidet. LX.

Quòd ſi diceret, Logicam, & librū Prędicamentorū referri ad ſecundū genus problematū, à ſeipſo diſſentiret: quippe qui ponit eam in tertio problematū genere & hoc loco, & ſuperius in quarto ſuppoſito. Sibi item in eo minimè cōſtaret, quòd cū cōcedat, uoces con-
ſiderari per accidens in primo, & in ſecundo problemate, ſequeret, LXI.
ut liber Prædicamentorū eſſet de uocibus per accidēs. Quod aūt de LXII.
tertio genere problematū dicit, nō recte eſſe dictū, declarant, & quæ ſcripſimus nos in procemio, et quæ hic diſputabimus. Diſtinximus enim hanc propoſitionē, homo eſt animal, quatenus ſignificat res, ab eadē ipſa ut docetur arte cōſtitui per illam regulā, Omnis enūciatio cōponitur ex nomine & uerbo. Atq; ob hanc quidē cauſam diximus, Logicam eſſe de ſola oratione, licet ſit de rebus: ut innueremus eam quam diximus differentiam. Quòd ſi nō eſt de ſola oratione, ut ipſe dicit, nō docet cōſtituere modū cognoſcendi, id eſt ſyllogiſmū ſimpliciter ſumptū. hoc enim ſignificamus nos, cū dicimus, Logicā
eſſe de ſola oratione. Sed cum id ſuperius aſſeruerit, ſecum pugnat. LXIII.

Recte igitur à nobis dictũ est, si esset de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, illud sequi, ut neque sit de sola oratione, quemadmodum ego quidem sentio, neque de secundis intentionibus, id quod ipsi putant, neque doceat constituere syllogismum simpliciter sumptum, ut ipse dixit.

» Verùm, quia sic argumentatus erat Simplicius: Logica est de ora-
» tione, ergo liber Prædicamentorum est de uocibus significatiuis:

Ego negaui consequentiam. Quoniam autem hæc conclusio, ut uim aliquam haberet, necessariò cõcludenda erat per syllogismum, itaq; dicendum, librum Prædicamentorum esse partem Logicæ, id quod cum ostendi oporteret, minimè ostendebatur: dixi id pro certo sumi, quod dubium controuersumq; esset. Itaq; patet, non lapsos esse nos, quemadmodũ iste homo existimauit. Simplicium enim uti ea quam demonstrauimus, ratione, liquet ex ijs quæ ita scribit:

» Cõstat igitur ex dictis, horũ uirorũ intentionem nõ esse de nudis
» uocibus, neq; de rebus quæ res sunt, nec de conceptibus solis deter-
» minasse, sed uocibus simplicibus, quoniam hic est Logicæ tractatio-
» nis procemium, quatenus significatiuæ sunt rerum primarum &
» simplicium, & non quatenus transmutantur.

Cur igitur sit de uocibus, hanc rationẽ reddit, quia scilicet est procemium Logicæ. cum id autem probari oporteat, neq; probet, pro certo concessoq; sumit, quod dubium est. Sed cum ipse Simplicius interpres Græcus hac (uti patet) ratione sic utatur, scribit enim, esse de simplicibus uocibus, propterea quod est procemium Logicæ: falsum est quod iste ait, nullũ Græcum interpretem ex ijs quos ego impugnem, uti ea ratione quam ipse attuli. Quanq; id à me nõ infertur quod iste scribit, sed ita argumentor: Cæteræ facultates considerant uoces significantes res, quatenus significantes sunt: ergo sunt partes Logicæ: siquidẽ (ut isti sentiunt) liber Prædicamentorũ est pars Logicæ, quia est de uocib. significantibus, quatenus significantes sunt.

Antecedens patet ex eis quæ suprà diximus. nam uocibus utuntur homines, ut sunt rerũ signa. Idem etiam sic ostendi potest, quòd quemadmodũ si quis dicat, Substãtia manens una & eadẽ numero, suscipit cõtraria: item, homo est substantia: hæc (ut concedunt ipsi) sunt de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt. Sic illa, homo est animal, homo est substãtia, sunt de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt. Non enim sunt de rebus, propterea quia non possunt afferri res in scientijs, atq; ideo inuentæ sunt uoces ut intelligamus res: ergo necessarium est, ut sint de uocibus eo modo quo diximus. Cum non sit autem maior ratio eorum quæ exempli causa attulimus, quàm reliquorum, sequitur: cęteras scientias esse partes Logicæ. Quæ cum ita sint, patet, hominem neq; rectè rationem meam posuisse, neq; superius rectè respondisse.

Ad ea uerò quæ subiungit, nihil respondebimus, uel quia negat, se meminisse rationem illam apud quenq; legere: uel quia primo huius Apologiæ libro de hac re multa disputauimus.

SECTIO XXV.

CVm aliquando igitur inter me, & quosdam doctissimos uiros, eosdem'que in summa dignitate constitutos, orta esset disputatio de libro Prædicamentorum, cumq́ ego illum ostenderem esse de rebus, quod cuiusque generis proprietates ipsis generibus cõuenirent ratione rerum, quod intelligebant, non posse id negari de quibusdam proprietatibus, ita responderunt: In Prædicamentis quædam esse quæ pertinerent ad res, quædam uerò quæ non pertinerent. Contra quos ita sum argumentatus, ut ostenderem secum illos pugnare, cum dicerent, librum Prædicamentorum esse de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, non de rebus: concederent autem, in quibusdam esse de rebus. Sed ut liber ille in quibusdam esset de rebus, in quibusdam autem de uocibus significantibus res, tamen ostendebam non recte eos dicere, qui cum uellent ostendere finem libri Prædicamentorum, dicerent illum esse de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, cum sit etiam de rebus, ac maior pars proprietatum, quæ illo ipso libro docentur, ex ipsorum quoque sententia sit de rebus. Quocirca rectius multo dicturos fuisse, si asseruissent esse de rebus.

Non recte igitur iste respondet, tum quod illi concedebant, nonnullas proprietates conuenire substantiæ, quantitati, qualitati primò, ut sunt res: tum quòd superius ipse ita scripsit,

“Cum liber Prædicamentorum sit pars Logicæ facultatis, quam iam organum philosophiæ statuimus, eas in eo libro affectiones inuestigare conueniebat, quæ philosopho naturali magis essent deseruituræ, quales procul dubio uidentur non mutuò contrariari, nõ suscipere magis & minus, unam eandemq́ numero susceptiuam contrariorum.”

Vult ergo, in eo libro factam esse mentionem de proprietatibus illis, ut deseruiunt philosophiæ: sed ipsa philosophia est de rebus primò, ergo & illæ proprietates sunt primò de rebus. Itaq; secũ pugnat, cum neget hic proprietates illas esse primò de rebus. LXIIII. *sue ipsius opinionis euersio.*

Præterea, si uerum est quod ait, librum illum non esse primò de rebus, sed primò de uocibus, non potest esse per se, & de uocibus, & de rebus, ergo à seipso dissidet. Consequentia ita confirmatur.

Si non est primò de rebus, non est principaliter de ipsis rebus. hoc enim loco uerbum primò, non potest aliud significare. Non enim uult ipse librũ illum esse de rebus principaliter: si nõ est principaliter de rebus, non est etiã per se. Nam hoc loco per se idem ualet, ac secundùm suam naturam. Quod si dicat sese addidisse eodem modo, ita sequetur, ut in his secum dissideat, quæ suprà demonstrauimus. LXV.

Patet etiam, egregium istum uirum non dissoluere argumentationem meam, neq; ex eorum opinione quos hoc loco nos reprehendimus, neque ex sua ipsius sententia. Vult enim, quæ in eo libro

consideran-

considerantur, considerari quatenus subijciuntur & prædicantur. Cum autem superius dixerit, hæc ad philosophiam naturalem re-
LXVI. *Suæ ipsius opinionis euersio.* ferri, secum pugnat. Idem enim hoc ualet, ac si negasset, considerari, quatenus subijciuntur & prædicantur. Quod si dicat, eum fuisse uerborum suorum sensum, ut intelligeret illa ad philosophiam quidem naturalem referri, sed non primò: nihil ad rem faceret, quod superius dixit,

» Cum Logica sit philosophiæ organũ, inuestigari oportuisse pro» prietates eas quæ conuenirent philosopho naturali.

Neq; item dissolueret argumentũ illud, quo ait me deceptum esse:

» Sed quod tibi, inquit, dissoluere difficile fuit, quòd aliquas legisti » in Prædicamentorum libro proprietates, quæ ipsis rebus, ut partes » entis sunt, competere uidebantur, ut est, substantiam non suscipere » magis & minus, unam eandem'que existentem susceptiuam contra» riorum: pariter nonnullas similes proprietates asseruit in Prædi» camentis conuenire alijs partibus entis, ut ueræ naturæ, aut entia » existunt.

Ex quibus quidem uerbis facilè intelligi licet, eum concedere, in Prædicamentis aliquas esse proprietates quæ conueniant rebus, ut res sunt: quod ipse paulo pòst confirmat ad hunc modum:

» Cuius rei non leue argumentum tibi esse potest, quòd multas » etiam, & longè plures in eodem libello ipsius substantiæ legeris pro» prietates, quæ non ipsam substantiam, & ut res naturæ, & extra in» tellectum existat, insequuntur, sed prædicandi ac subijciendi mo» dum in ordine ad ipsas proprietates, ut sæpissimè monstrauimus.

Ergo innuit, aliquas esse proprietates in Prædicamento substantiæ, quæ non referuntur ad subiectum, & ad prædicatum: itaq; sunt
LXVII. de rebus, ut res sunt. Quod cum ita sit, patet, hominem à seipso dissentire, quemadmodum paulo antè ostendimus.

Valet igitur mea illa ratio contra eos, quorum opinionem refutaui, si essent aliqua quæ pertinerent ad res, & aliqua quæ non pertinerent, illam non futuram fuisse unam facultatem. Quæ enim sunt de rebus, hæc non referuntur ad alia, ut ex eis etiam quæ iste dixit, constat. Neque ad rem quicquam faciunt, quæ ita scribit:

Cum considerantur uoces, considerantur res, sed non uarijs disiectisq; rationibus, quinimmò ex rerum intelligentia uoces esse tales cognoscimus.

Nam loquitur de rebus, quatenus ad uoces attinet, quibus significantur ipsæ res: disputatur autem de alijs rebus, & de alijs uocibus. Sed hic etiam secum pugnat. concessit enim superius (ut ostensum est) aliqua in Prædicamentis considerari, ut sunt res: aliqua
LXVIII. uerò, ut subijciuntur & prædicantur. Hic autem dicit, eadem ratione considerari & uoces, & res.

In eo item à seipso dissentit, quod res & uoces, si nõ cõsiderant̃ uarijs rationibus, considerantur eadem ratione. Sed uoces consideran

tur

tur primò, ergo & ipsæ res primò, cōtrà quàm suprà scripsit. Rursus uoces considerantur, ut significatiuæ sunt rerum: ergo & res, ut significatiuæ sunt rerum: quod quidem & absurdum est, & aduersatur ijs quæ superius dixit. Itaq; cùm nihil sibi ipse constat, tum absurda sunt etiam quæ ex eius dictis insequuntur. LXIX. *Suæ ipsius opinionis euersio.* LXX.

SECTIO XXVI.

Tertia mea ratio hæc fuit: Si in Prædicamentis essent aliqua quæ pertinerent ad res, & aliqua quæ non pertinerent ad res, ut quidam asserunt, superuacanea esset pars illa quæ est de rebus: quod quidem sic ostenditur. Liber Prædicamentorum (ut isti sentiunt) non modo refertur ad Logicam, sed est etiam illius pars: sed Logica ex eorundem sententia non est de rebus, ergo nihil attinet in eo libro agere de rebus. Quidam enim (ut diximus) concedebant, res aliquas principaliter considerari, quod etiam sequitur (ut ostensum est) ex dictis huius hominis. Debuit ergo uir iste egregius docere, quemadmodum peteremus principium. quod cum minimè fecerit, haud ille quidem rationem meam dissoluit. Neque ea sanè dissolui posse uidetur, cum non sumpserim, nisi propositiones concessas ab ipsis, utpote Logicam non esse de rebus principaliter, librum Prædicamentorum confectum esse propter Logicam, atque illius esse partem, & in eo agi de nonnullis rebus principaliter. Deinde subiungit,

Id me pro absurdo obijcere, quod uerissimum, inquit, ipsi confitemur. " "

Absurdum hoc autem, ad quod ego aduersarios deduxi, est, quod frustra in eo libro ageret Aristoteles de rebus. ergo confitetur ipse, pertractationem illam esse superuacaneam: tantum'que de iudicio Aristotelis detrahit, ut eum (si dijs placet) temere, frustra'que concedat res tractare: nimirum oblitus, quid in secundo tractatu de eius laude scripserit.

Primùm est, inquit, omnes Aristotelis libros, siue ad Physicam, siue ad Logicam pertineant, mirabili doctrinæ ordine ad inuicem esse connexos: " " "

Et quæ sequuntur. Quòd si negat, hoc esse absurdum illud, ad quod ego aduersarios deduxerim, haud uidetur sanè quid ego mihi uoluerim, percepisse. Hoc ipsum enim esse illud absurdum, cæteraq; à me esse dicta, ex quibus id ducerem, facilè intelligent ij qui meam illam rationem legerint.

Præterea sic argumentatus sum, si in Prædicamentis sint aliqua de rebus, uti dictum est, aliqua non, doctrina illa non magis ad Logicam pertinet, quàm ad aliam facultatem: quod quidem absurdum est, ac maximè contra eos facit, qui putant hanc doctrinam pertinere tantummodo ad Logicam. Consequentia ita confirmatur. Quemadmodū ob eam partem, quæ (ut ipsi sentiunt) nō est de rebus principaliter, pertinet ad Logicā, quæ non est (ex eorundē

sententia)

ſententia) de rebus principaliter ſic, quod ad illam partẽ attinet, quæ eſt de rebus primò, eadem ratione pertinebit ad facultates, quæ ſunt de rebus primò, ut iſte etiam ſuperius conceſſit ſcribens,

» Ariſtotelem poſuiſſe in Prædicamentis eas proprietates, quæ ma-
» gis philoſophiæ naturali deſeruirent.

Ergo ſequitur, ut hęc doctrina non magis pertineat ad Logicam, quàm ad philoſophiam, & ad alias item facultates, quæ de rebus primò agunt.

Quæ cum ita ſint, patet, hominem non recte meam hanc rationẽ percepiſſe, cum ita ſcribit:

» Denique unum ex noſtra hac opinione infert, quod inferri profe-
» ctò nec debet, nec poteſt: tale eſt, quod nõ eſſent hæ uoces magis per
» tinentes ad Logicam, quàm ad aliam facultatem.

Nam ego (uti conſtat) non loquor de uocibus, ſed de ijs quæ tractantur in Prædicamentis: quæ quidem ex eorum ſententia, partim ſunt de rebus primò, partim de uocibus. Non ergo recte diſſoluit rationem meam: neq; enim ad rem faciunt, quæ ſcribit.

SECTIO XXVII.

SEd cum ego dixiſſem, ex eis quæ nonnulli dicerent, illud conſequi, ut doctrina libri Prędicamentorum non magis pertineret ad Logicam, quàm ad alias facultates, ne quis ita fortè reſponderet, cæteras facultates eſſe de complexis, hanc autem doctrinam de ſimplicibus, hæc uerba intuli:

» Neque uerò illud dici poteſt, cæteras facultates eſſe de complexis,
» hanc autem doctrinam eſſe de ſimplicibus. Nam (ut oſtendi) cæte-
» ræ quoq; facultates ſunt de ſimplicibus.

Ad hæc reſpondens uir iſte egregius,

» Tu hic, inquit, unum impugnas, quod nullus unquam conceſſit,
» neque horum quiſpiam, quibus tu aduerſari uideris, argumentum
» tuum ulla ui fateri cogitur.

Ego autem illud refutaui, cæteras facultates non eſſe de ſimplicibus: contrariumq; ex eo oſtendi, quod cæteræ facultates complexa propria conficiunt ex ſimplicibus, quæ item ſunt illarum propria. Quòd ſi nemo unquam conceſsit id quod à me impugnatur, nemo conceſsit unquam, cæteras facultates non agere de ſimplicibus. Id enim ego reprehendi, non quod quis hoc aſſeruerit, ſed quod potuerit aſſerere. Quòd ſi in ſcientijs non ſunt ſimplicia, nõ ſunt etiam definitiones: ſunt enim ſimplices, ut patet ex eis quæ ſæpenumero diximus. quod quidem aduerſatur Ariſtoteli, cùm multis alijs locis, tũ uerò maximè primo Poſter. libro, ubi ait,

» *Arithmeticum ponere, unitatem eſſe indiuiſibilem ſecundùm*
» *quantitatem.*

Et ſecundo Poſter. libro, inquit enim,

» *Definitio quidem ipſius quid eſt, & ſubſtantiæ eſt, Demonſtra*
tiones

tiones autem uidentur supponentes omnes, & accipientes quod quid est, ut Mathematicæ, quid unitas, quid impar, & aliæ similiter. "

Illud igitur & ab Aristotele discrepat (ut demõstrauimus) & à uero quàm maximè abhorret. Nam uidemus scientias Mathematicas sumere definitiones: ac falsum esset illud Aristotelis,

Dupliciter necessarium esse præcognoscere, &c. "

Item illud,

Omnem scientiam esse circa tria. "

Huc accedit, quod nulla facultas traderet notitiã essentiæ sui subiecti. Quæ quidem omnia cum falsa sint, falsum est, cæteras facultates non esse de simplicibus: ergo uerum est quod ipsi diximus, errantq; qui id non concedunt, ac male homo iste negat, hoc sequi ex rationibus meis. nam & rationes, & quæ citaui Aristotelis loca haud dubiè declarant, facultates omnes habere necessariò proprios terminos simplices, siquidem proprias habent definitiones, & propria habent cõplexa. Neque enim satis est dicere, hoc esse falsum, hoc non sequi, sed quod quisq; asserit, aut ratione id, aut Aristotelis auctoritate corroborãdum est. Quod cum iste minimè omnium faciat, haud sanè probanda uidentur, quæ scribit:

Ad aliam item rationem meam, qua ego idem quod antè ostendi, doctrinam scilicet libri Prædicamentorum non esse de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, cum alia nonnulla, tum hæc inprimis scribit:

Voces, inquit, ut significatiuæ rerum, hic primò pertractãtur: res " ut uocum significata sunt, considerantur: uocum proprietates primò " perquiruntur, rerum nonnulli affectus, uocum tamen gratia, typo " quodam, ut sat Logico fuerit, monstrantur, tales uoces ex commu- " ni usu sic significare supponuntur. "

Quibus uerbis uidetur & à ueritate, & à se ipso dissidere. Nam si proprietates uocum primò perquiruntur, proprietates illæ substãtiæ, ut nihil substantiæ sit contrarium, ut substantia non suscipiat magis & minus, ut suscipiat contraria. Item proprietates illæ quantitatis, ut quantitati, nihil sit contrarium, ut quantitas sit æqualis & inæqualis, cõuenient primo ipsi substantiæ & quantitati, ut sunt uoces, non ut sunt res, quæ sic uocantur. Itaque si primò conueniant, cõuenient etiam secundùm quod ipsum. idem enim ualet primò, ac secundùm quod ipsum, ut primo Posteriorum libro docet Aristoteles. Nihil igitur erit contrarium uoci substantiæ, atque eadem ipsa uox substantia non suscipiet, neque magis, neque minus: rursus suscipiet caliditatem, & frigiditatem. Sed hæc omnia (uti patet) sunt absurda. uox enim est percussio aëris, et accidens: ergo falsum est, has proprietates conuenire primò illi uoci: neque ipse dissoluit argumentum meum. Ex quibus quidem intelligi licet, me non sine causa longius à proposito digressum esse.

Neq; uerò ita potest intelligere, uocum primò perquiri proprieta-

res, id est immediatè, non principaliter. Nam prçterquàm quòd hoc eius uerba non significant, præterea sequeretur, ut proprietates ipsæ de rebus inuestigarentur primò, id est principaliter, contrà quàm suprà asseruit.

Sed tamen à se ipso dissentit. nam cum supra locis toties à nobis citatis, posuerit uariam Interpretum opinionem, quid in lib. Prædicamentorum tractetur, dixit enim:

„ Alios uoluisse, librum illum esse primò de uocibus, ut significati-
„ uæ sunt rerum, in quibus fuit Boëtius, Hammonius, Simplicius: a-
„ lios de rebus, ut significata sunt uocum: neutram tamen opinionem
„ ab hac sua conclusione dissentire.

Aut uerum est, quod hic dicit, uoces scilicet primò pertractari, ut significatiuæ sunt rerũ, itaq; proprietates cõuenire illis, ut tales sunt. Illud autem falsum, pertractari res, ut significata sunt uocum. Aut è contrario: hæc enim (ut ipse concedit) inter se pugnant ita, ut si alterum uerũ sit, alterum sit omnino falsum. Quocirca dicere, librum illum esse de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt, est negare, illum esse de his quæ nõ sunt uoces significantes. Rursus dicere, illum esse de rebus, ut significata sunt uocum: est negare, esse de uocibus significantibus res, quatenus significant. Ergo si cum eius conclusione illud consentit, ut sit de uocibus significantibus, quatenus significantes sunt, non poterit cum eadem consentire hoc ut sit de rebus, quatenus significantur uocibus: de eodem enim non affirmatur, & negatur idem. Cum igitur superius dixerit, neutram
LXXI. opinionem à sua conclusione dissentire, quæcunque sit illa conclu-
Suæ ipsius opinionis euersio. sio, necesse est altera illarum opinionũ ab ipsa conclusione discrepet. sunt enim contradictoriæ, ut ostensum est. Itaq; secum ipse pugnat.

Præterea, si proprietates conueniunt primò uocibus, ut significatiuæ sunt rerum, non possunt primò conuenire rebus, ut significantur uocibus. Inter se enim hæc pugnant, ut concessit ipse. Quare si unum consentit cum cõclusione, alterum non potest consentire. Sed contrarium suprà dixit, ergo sibi non constat.

SECTIO XXVIII.

PRæterea sic etiam licet ostendere, illum in hac re à se ipso diffidere. Si summa eorum, quæ sese ait concedere, hæc est, uoces hic primò considerari, ut significatiúæ sunt rerum, liber ille non est de rebus, ut significantur uocibus. Hæc enim (ut ipse dixit) sibi inuicem contraria sunt. Atqui superius in primo supposito secus testatum reliquit his uerbis,

„ Postea res ipsas omnes, ut ab intellectu nostro apprehensas, & uo-
„ cibus significatas, in quatuor reduxit modos, ut in substantiam uni-
„ uersalem, aut particularem, in accidens uniuersale, & particulare. &
„ ex hoc clarè nobis patére potest, non res ipsas absolutè, & in pro-
„ pria natura, hoc in libro cõsiderasse (Metaphysici nanq; hoc munus
„ esset) sed in ordine ad intellectum, ut uocibus significantur.

Et

Et initio secundi tractatus:

Abundè, inquit, superius demonstrauimus, res ibi considerari, ut "
significata sunt uocum, ac substracta secundarum intentionum. "

Cum hic igitur dicat, doctrinam illam esse de uocibus significan-
tibus res: superius autem dixerit, esse de rebus, ut significata sunt uo- LXXII.
cum, quæ item (ex eius sententia) diuersa sunt, secum pugnat. Quo- *Suæ ipsius opinionis euersio.*
quo modo igitur de hac re sentiat, necesse est à se ipso discrepet.

Eodem etiam loco perspicuè à se ipso dissentit, cũ dicat, uoces hic
primò tractari, ut significatiuæ sunt rerum: rursus tractari res, ut uo- LXXIII.
cum significata sunt.

Neque uerò illud potest dicere, sese ita sensisse, hanc doctrinam esse primò quidem de uocibus significantibus res, quatenus significantes sunt: non primò autem de rebus, ut significatæ sunt, sed per accidens. nam falsa essent omnia, quæ paulo antè citauimus ex primo eius supposito. Diuisisset enim librum illum, in id quod tractatur per accidens, cum uellet ostendere principalem eius finem: quod quidem absurdum esse, planè constat.

Videtur in eo quoque secum dissidere, quod ait, hic primò inquiri uocum proprietates. nam si proprietates uocum hic primò inquiruntur, conueniunt ipsis uocibus, ut uoces sunt, ob eam quam attulimus rationem. Itaque non conueniunt uocibus propter res, quæ significantur. aliter enim non conuenirent illis primò, sed propter aliud, uidelicet propter res, quæ significantur: quod quidem cõtra ipsum facit, quippe qui superius ita scripsit,

Non enim uerum est, substantiam, ut genus, in eo libro consi- "
derari, sed istam uocem Substantia, quæ genus appellatur, ut signi- "
ficatiua est rei quæ est substantia, & tibi concederent, illud prædi- "
catum quod est, non suscipere magis & minus, & suscipere contra- "
ria, de tali subiecto inquiri. Et licet hæc uox de illa uoce prædicetur, "
non tamen sui gratia, sed rei significatæ. "

Si ergo in Prædicamentis ostendatur alicuius rei proprietas, ne-
cesse est, uox prædicetur de uoce. non enim possumus afferre nobi-
scum res. Itaque uox illa prædicatur de uoce, non sua, sed ipsius
rei causa. ergo uerè dicitur, substantiam esse susceptiuam contrario-
rum, propter ipsam rem, non propter uocem. Ac ita quidem non
inquiruntur proprietates illæ de uocibus primò. hoc enim fit pro-
pter ipsas res. Igitur à se ipso dissidet. atque ex illius sententia sequi- LXXIIII.
tur, ut liber ille sit de rebus.

Præterea, si proprietates illæ conueniunt uocibus rerum causa,
non conueniunt ipsis rebus propter uoces. ergo secum etiam dissi- LXXV.
det hoc loco, quippe qui superius dixit,

Rerum nonnullos affectus, uocum tamen gratia, typo quodam, "
& ut sat Logico fuerit, monstrari. "

A' se ipso item discrepat, quod suprà (ut ostensum est) scripsit, nõ
nullos affectus conuenire rebus, ut res sunt: nunc uerò id negat. LXXVI.

Præterea, si Logica, & per consequens liber Prædicamentorum,

ſit de uocibus ſignificantibus res, quatenus ſignificantes ſunt, nō eſt de ſecundis intentionibus, adiunctis primis, ſed ſuperius ita ſcripſit:

„ Entia rationis, ſiue ſecundas intentiones dixeris, & à Metaphyſi-
„ co, & à Logico conſiderantur, uario tamen modo. Ille quiditatem ea
„ rum, ſi quam habent, conſiderat, ut omnino à primis intentionibus
„ abſtrahunt, aut res ipſas ineſſe cognito denominant. Contrà ſe ha-
„ bet Logicus: ea enim non ſic ſimpliciter, ſed ut primis adiuncta, et res
„ ſic intellectas denominantia, quinimmo & uoces res ſic intellectas ſi-
„ gnificantes ſpeculatur. id eſt quod aſſerebat doctiſſimus Auicenna,
„ uidelicet, Logica eſt de ſecundis intentionibus, adiunctis primis.

LXXVII. *Sua ipſius opinionis euerſio.* Ergo ſecum pugnat. Conſequentiam confirmant ea, quę in tertio ſuppoſito ſcribit, ubi oſtendit,

Secundas intentiones eſſe operationes intellectus poſſibilis, com-
„ parantis unum obiectum cognitum ad aliud.

Sed uoces, ut ſignificant, nō ſunt (quemadmodū patet) huiuſmo di operationes intellectus: ergo nō ſunt ſecundæ intentiones. Quòd ſi Logica eſt de uocibus ſignificantibus res, non eſt de ſecūdis intentionibus, adiunctis primis. Itaq; ſecum pugnat, ut diximus.

Præterea, ſi Logica eſt de rebus, ut ſignificantur, & intelliguntur, non eſt de ſecūdis intentionibus adiunctis primis: immò uerò de pri

LXXVIII. mis, ut ſubſtant ſecundis: ergo à ſe ipſo diſcrepat.

Præterea, ſi uoces eæ quæ ſunt in Prædicamentis, ponuntur tantummodo, ut ex communi uſu ſignificant, ſuperuacanea eſt hæc doctrina. nihil enim aliud eſt, niſi Dictionarium quoddam.

SECTIO XXIX.

MAximè item à ſeipſo diſſentit, cum ita ſcribit:
„ In hoc uidelicet libro Prædicamenta, ſiue Prædicamē
„ tum ſubiectum ſtatuit, quòd antequam ad ipſarum uo-
„ cum affectus explicandos, monſtrandosq; Ariſtoteles ſe
„ contulerit, potuiſſet citra notam ueri ſubiecti docere inductiuo quo-
„ dam modo, ſingula earum ſignificare ſubſtantiam, aut quantita-
„ tem, & reliqua.

Nam ſi hoc uerum eſſet, Prædicamenta non eſſent de uocibus ſignificantibus res, quatenus ſignificantes ſunt. Cum enim (ut ſentit ipſe) agatur in his quæ præcedunt ipſa Prædicamenta, de uocibus ſignificatiuis, ſequitur, ut de iiſdem non agatur in Prædicamentis: fru-

LXXIX. ſtra enim id fieret. Itaq; à ſe ipſo diſſidet, qui ſecus toties dixit.

Neq; poteſt dici, in Prædicamentis alio modo de uocum ſignificationibus agi, quandoquidem in ſecunda commentarij noſtri ſectione declaratum eſt hoc fieri non poſſe, idq; confirmat quod ſuperius
„ dixit ipſe, uoces quæ ſunt in Prædicamentis poni ut ex cōmuni uſu
„ ſignificant. quod nihil aliud eſt, quàm docere inductiuo quodā modo, ſingula eorū ſignificare ſubſtantiam, aut quantitatem, et reliqua. Præterea ſi Prædicamentum eſt ſubiectū libri Prædicamentorū, igitur omnia quę pertinent ad illum librum, conſiderabūtur ſub ratione Prædicamenti, hoc enim perſpicuū eſt, ut ſæpe declarauimus. igi

tur nõ poteſt oſtendere affectus uocum, ut ſignificatiuæ ſunt rerum. Sed paulo antè dixerat, Voces ut ſignificatiuę rerum, hic primò per- " tractantur res, ut uocum ſignificata conſiderantur uocum proprieta " tes primo perquirũtur. & in uerbis citatis dicit, quod explicantur af- fectus uocũ. Cõſequentia declaratur, quia conſiderare uoces, ut præ " dicãtur, nõ eſt eas conſiderare ut ſignificant res. hoc enim oſtenſum " eſt. Sæpe igitur in hac etiam re ſuam ipſe euellit opinionem.

Quod uerò citat ex libro Phyſicorum, cùm nihil ad rem facit, non enim eſt ſimile, tum falſum eſt. nam ponit, principia rerum natura- lium ſubiectum eſſe in libro Phyſicorum, cum tamen in primo textu eius lib. oſtẽdat Ariſtoteles, principia eſſe inquirenda propter res na turales. Quòd ſi inueſtigantur principia propter aliud, non tractan- tur ipſa principaliter: itaq; non poſſunt eſſe ſubiectum, ut ex eis quæ primo libro dicta ſunt, facilè conſtat.

Nihil autem ad rem facit, quod ait, in lib. Phyſicorum demonſtrà ri, materiam eſſe. ſiquidem alienũ eſt ab ijs quæ ſuperius ita ſcripſit:

Antequam ad ipſarũ uocum affectus explicãdos, monſtrandosq; " ſe contuliſſet, potuiſſet citra notam condictionis ueri ſubiecti, doce- " re inductiuo quodam modo, ſingula earum ſignificare ſubſtantiam, " aut quantitatem: & quæ ſequuntur. "

Diſſidet etiam cum Ariſtotele, cum ait, de ea re quæ poſtea ſubie- " ctum ſtatuitur, quæri poſſe, Quid nominis: quia quid nominis non eſt quæſtio, eſſent enim quinq; quæſtiones.

Diſſentit item ab expoſitoribus, quibus tamen tantùm tribuit, cũ ait, quæri id quod ſubiectum ſtatuitur. illi enim de ſubiecto dicunt in ſcientia pro certo conceſſoq; ſumi quid, et quia eſt: neq; docet, quẽ admodum exponẽda ſint ea Ariſtotelis loca, quibus idem quod In- terpretes dicunt, ſentire uidetur Ariſtoteles. ut 1. Poſter. lib. ubi ait:

De ſubiecto in ſcientia ſupponi. "

Et VI. Primæ philoſophiæ lib. tex. & primo, ubi ita ſcribit:

Idcirco patet, tali ex inductione ſubſtantiæ, atq; ipſius quid eſt, " *demonſtrationem non eſſe, ſed quendam declarationis alium eſſe mo-* " *dum. ſimili modo, neq; ſi ſit, an non ſit, genus id, circa quod uerſantur* " *dicere quicquam uidentur, propterea quòd eiuſdem eſt mentis quid* " *eſt, & ſi eſt quippiam declarare.* "

Ad illud autem reſpondens, quod ex Græcis expoſitoribus citaui mus, negat ſequi, ut Prædicamentorum liber ſit de rebus. neq; tamẽ meum illud argumentũ diſſoluit, fieri non poſſe, ut ea quę non ſunt res primò, in rerum notitiam ducant. Neq; rectè negat, uoluiſſe Ari- ſtotelem in eo libro docere, res infinitas redigi ad finitas. nam illi, cõ- tra quos ego argumentatus ſum, aſſerunt, ob hanc cauſam doctrinã illam ſeorſum eſſe traditam.

Præterea non intelligo, quemadmodũ defendat Boëtium à no- ſtra argumentatione. nam ſi infinitum accipiatur pro indetermina- to, Ariſtoteles autẽ ita ſentiat, nomina eſſe finita, id eſt determinata,

atq; ob hanc cauſam neceſſariò plures res uno nomine ſignificari, fal ſum eſt, ſi res ſint indeterminatæ, ipſas uoces eſſe indeterminatas: res enim nõ poſſunt eſſe infinitæ. Quod ſi uoces eſſent indeterminatæ, non neceſſe eſſet, una uoce ſignificare plures res: poſſent enim tot nomina reperiri, quot res. Nõ diſſoluit igitur argumentũ, neq; animaduertit Boëtiũ dixiſſe, neceſſariò uoces eſſe indeterminatas: quod aduerſatur Ariſtoteli, qui ponit, uoćes eſſe determinatas.

SECTIO XXX.

QVod affert etiam, ut Boëtium tueatur, inane eſt, neq; ullã omnino uim habet: non enim meam illam rationem diſſoluit, quòd nullo modo poſſet hic liber adiungi ijs quę tractãtur in Prima philoſophia, quæ eſt de rebus primò, niſi eſſet ipſe primò de rebus.

Cum item reſpondet ad argumentũ meum de fine Logicæ, non modo rationes meas non diluit, ſed ne ad rem quidem faciunt quæ ſcribit. Ego enim (ut id quàm breuiſſimè perſtringam) illud aſſerui, poſſe nos finem Logicæ, qui eſt docere conſtituere inſtrumenta cognoſcendi, aſſequi ſine cognitione terminorum, qui ſunt in Prædicamentis, itaq; ſuperuacanea eſſe Prædicamẽta, & cætera, quæ à nobis in Cõmentario diſputata ſunt. Ipſe autem ait primùm, finem Logicæ eſſe uerum à falſo diſcernere: deinde concedit, eſſe illum etiam Logicæ finem, quem ego demonſtraui. Negat autem id ſequi, quod à me dictum eſt: neq; ullam meam rationem infirmat, & à propoſito ſine cauſa egreditur, ut doceat, rationalem artificem, quem ipſe Logicum uocat, ſcire ſyllogiſmorum naturas. Deinde ſubdit, me ſeparare dialecticam à Logica: neq; tamen ad rationes meas, quibus id ego oſtendi, quicquã reſpondet. Falſò autem illud addit, ſcripſiſſe me, dialecticam eſſe ſubalternatam Metaphyſicæ: neque enim ego tam ſtultus ſum, tam'ue Peripateticæ doctrinæ ignarus, ut id non modo dicerem, ſed ne cogitarem quidem.

Multa præterea ſubiungit, de quibus agitur in Prædicamentis, quæ neq; ad rem faciunt, & falſa ſunt, ut ex ijs quæ ſuprà diſputauimus, facilè intelligi licet.

Quod uerò citat ex lib. Poſteriorum, id contra ipſum facere uidetur. ſiquidem dicit Ariſtoteles, primam illam rationem, qua oſtẽdit, in Prædicatis per ſe non eſſe proceſſum in infinitum, non eſſe propriam illius facultatis, ſed Logicam, & communem. Conſtat autem cùm ex alijs compluribus locis, tum uerò ex ſecundo libro de Partibus animalium, cap. VI. Ariſtotelem rationes communes appellare Logicas. Inquit enim,

„ *Logicæ quidẽ igitur, ex his utiq; aliquis credere poſſet, de eo quod*
„ *dictum eſt. analytice autem manifeſtum eſt per hæc breuius, quod ne-*
„ *que ſurſum, neq; deorſum infinita prædicantia contingit eſſe in demon*
„ *ſtratiuis ſcientijs, de quibus eſt intentio.*

Quòd ſi ratio ſumpta ex Prædicamentis, non eſt propria faculta-

tis

tis eius quam nos Logicam appellamus, sed est Logica, id est cõmunis, Prædicamenta non sunt pars Logicæ. *Reflexio argumenti.*

Quod autem ad eam, quam subiungit, rationem attinet, satis, superq; in Commentario responsum est, ac præcipuè cum ostendimus, Topicorum lib. & Elenchorum non esse partes Logicæ.

Postremò quiddam scribit, in quo à se ipso dissidet. Cum enim superius dixerit, ea quæ sunt in Prædicamentis, esse partes necessarias Logicæ: hic ait, Aristotelẽ uocibus illis uti in Logica pro exẽplis. Nã et ipsi dicimus, uoces illas nõ esse partes Logicę, sed exempla aliunde petita. Quòd si ob hæc exempla dicat, Prædicamẽta esse partes Logicæ: fatendũ est etiam, cæteras facultates esse partes Logicæ. sunt enim in ipsa Logica exempla ferè omnium facultatũ. Ergo sibi nõ constat, cum superius aliter dixerit. Nihil autem eum ad rationes meas respondisse, facilè intelligent ij, qui librum illius legerint. LXXX. *suæ ipsius opinionis euersio.*

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE

Liber Septimus.

SECTIO PRIMA.

Cum satis, superq; iam responsum esse uideatur, ad ea quæ Iacobus Iacomellus primo, & II. & III. tractatu scripsit: deinde ingrediendũ putamus ad ea, quæ IIII. tractatu persequitur. Ita enim facilè (nisi mea me fallit opinio) intelligi poterit, quàm iure ille me, uereq; redarguerit.

Primùm autem multa præter rem congerit homo, ut id infirmet, quod à nobis dictum est, dialecticam scilicet & Logicam esse distinctas, neq; tamen rationes meas dissoluit. Ac deniq; illud infert, uelle se ostendere, dialecticam unã esse ex primarijs Logicæ partibus: nõnullaq; ex lib. Priorum recitat, quæ quidem tantùm absunt ab euertenda opinione nostra, ut illã etiam maximè cõmuniant. Nos enim illud sæpe cõcessimus. probauimus etiã in procemio Commentarij nostri, syllogismum dialecticum, itaq; propositionem dialecticam, necessariò pertractari à Logico, quatenus docentur arte constitui. Cõcessimus igitur, quod ostendunt rationes eius. Quapropter in fine Commentarij nostri docuimus, partem illam Topicorũ, in qua tradit Aristoteles proprietates syllogismi dialectici, & sophistici, esse Logicam: atq; ibi quidem illũ suscipere personam Logici, quemadmodum in Rhetorica, ubi de Enthymemate agit, & de ciuilibus, suscipit personam & Logici & ciuilis, huius etiam rei causam attulimus.

Sed, quod etiam superioribus libris fecimus, rationes eius, quasi tela quædã contra nos ab illo temerè coniecta, in ipsum repellamus.

Nam si (ut ipse quidem concedit) eadem est Theoria totius & partis, Logicus autem pertractat orationem, pertractabit etiam

partes orationis. at definitio, ut definitio, est pars orationis: est enim oratio, qua explicatur quid est. ergo Logicus considerat definitionem, ut est definitio. ita enim probauit ipse, syllogismum dialecticum, & sophisticum pertinere ad Logicam. Sed superius hoc negauit: ergo secum dissidet. De hac autem ratione in quinto libro disputauimus.

Illud etiam contra eum facit, quod scribit, ex his quæ ego concessérim, sequi, ut Logicus necessariò speculetur propositionem dialecticam, quia speculatur demonstratiuam: esse enim ambas species propositionis. Nam sic argumentor: Demonstratio & definitio sunt duæ species orationis, atque alterã, uidelicet demonstrationem (ut ipse fatetur) pertractat Logicus: necessariò igitur & alteram, definitionẽ scilicet, pertractabit. Sed contrarium suprà tam multis uerbis ostendere conatus est. ergo secum ipse magis, quàm nobiscum pugnat: neque tam nostras, quàm suas euertit rationes.

Illud autem assentimur, syllogismos dialecticos, quatenus docentur arte constitui, pertinere ad Logicã: sed negamus, syllogismos dialecticos, cuiusmodi hic est, Si quod minus uidetur fieri posse, tamen fit, multò magis fiet, quod quidẽ magis fieri posse uidetur: at minus uidetur fieri posse, ut miles capiat castrum, quàm exercitus, & tamen cepit, ergo & exercitus capiet: pertinere ad Logicum, conficiuntur enim ex communibus. Quòd si argumentum eius ita concludat, syllogismos dialecticos pertinere ad Logicam, ut docentur arte constitui, quemadmodum pertinent propositiones dialecticæ: id à nobis quàm maximè facit, tantùm abest ut opinionem nostram quicquam labefactet. Sin autem illud homo sentiat, propositiones dialecticas, id est maximas illas, & communes propositiones pertinere ad Logicam, itaque syllogismos dialecticos, longè (meo quidem iudicio) fallitur: discrepat enim ab Aristotelis sententia, quam ille cùm compluribus alijs locis testatam reliquit, tum maximè primo Rhetoricorum lib. his uerbis:

» *Dico autem Dialecticos & Rhetoricos syllogismos esse, de qui-*
» *bus locos dicimus: hi autem sunt communiter de iustis, & physicis, &*
» *de politicis, & de multis specie differentibus: ut locus maioris, &*
» *minoris. Non enim magis ex hoc erit syllogizare, uel enthymemata*
» *dicere, de iustis quàm physicis, uel de quibuscunque, etsi hæc diffe-*
» *rant specie.*

Si isti ergo syllogismi, ut Aristoteles sentit, communes sunt etiam illis qui specie differunt, non magis illi quidem ad Logicam, quàm ad alias facultates pertinent.

Hoc idem etiam confirmat Aristoteles primo Elenchorum libro, cap. VI. cuius hæc sunt:

» *Manifestum est ergo, quoniam non omnium elenchorum, sed eorũ*
» *qui sunt secundùm dialecticam, sumendi loci. nam hi communes sunt*

ad

ad omnem artem, & potentiam, & eum qui est secundùm quanq; di- " sciplinam, elenchum, scientis est considerare, siue cum non sit, siue cum " est, & quare est. cum autem qui ex communibus est, & sub nullam ar " tem cadit, dialecticorum est. "

Quòd si huiusmodi syllogismi communes sunt omni arti, ac potentiæ, neq; sub unam aliquam artem cadunt, non magis illi quidem ad Logicam pertinent, quàm ad alias facultates. non enim iam communes essent: quippe qui ad Logicam tantùm pertinerent, eaq; ipsa continerentur. Ergo, aut homo iste nihil à nobis dissentit: aut in altera, qua utitur ratione, ab Aristotelis opinione discrepat.

Præterea, si propositiones dialecticæ, ut si quod minus uidetur fieri posse, tamen fit, ad Logicam pertinent, ut ipse asserit, propterea quòd dixit Aristoteles, propositiones dialecticas ad ipsam Logicam pertinere, sic propositiones demonstratiuæ, ut animal rationale est risibile, pertinebunt ad Logicam: eadem est enim ratio. Item etiam, si ad Logicam spectent syllogismi dialectici, propterea quia ad eandem spectant propositiones dialecticæ, cum ipsius Logicæ sint propositiones demonstratiuæ, erunt etiam demonstratiui syllogismi: cuiusmodi hic est, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis. itemq; reliqui omnes: ergo omnes scientiæ pertinebunt ad Logicam. Quod cum fieri nequeat, necesse est, aut dicat, propositiones dialecticas & syllogismos dialecticos pertinere ad Logicam, quatenus docentur arte constitui, ut nos diximus, itaq; nostram opinionem comprobet: aut à se ipso dissentiat, qui superius posuit, reliquas facultates esse distinctas à Logica, & Aristotelis sententiam penitus euertat.

Tertium etiam argumentum probat idem, quod nos et prooemio nostro, & alibi sæpe iam ostendimus.

SECTIO II.

Illud autem libri Topicorum, quo suam ipse opinionem confirmari putat, à nobis maximè facit. declarat enim, dialecticam non esse Logicam, atque in ipsis Topicis Aristotelem agere de syllogismo dialectico per accidens, quatenus scilicet personã Logici suscipit. Nam initio eius libri,

Propositum quidem negocij est, inquit, methodum inuenire, à qua " poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilib. "

Sed methodus syllogizãdi de omni problemate ex probabilibus, est inuentio locorum communium, uti docet non modo Aristoteles in Rhetoricis, sed etiam (ut ad confutandas hominis rationes eorum quoque auctoritate utar, quos ipse sequitur) Alexander. In prooemio enim,

Cæterùm, inquit, Aristoteles de sic dicta dialectica etiam in alijs li- " bris tractauit, maximè tamen in his qui inscribuntur Topica, quòd " nonnulli loci traduntur, à quibus initium facientes poterimus de o- " mni proposito problemate ratiocinari, ut ipse inquit. "

Finis

Finis igitur huius facultatis est, inuenire locos communes: sed docere inuenire locos communes in omnibus rebus, non est tradere regulas, quibus conficiantur instrumenta cognoscendi. siquidem loci illi communes, cum nullum habeant definitum subiectũ, non minus usui sunt alijs facultatibus, quàm Logicæ: ut ex his patet, quæ suprà diximus. Quare cum finis Topicæ facultatis sit, tradere locos illos cõmunes, non docere constituere sua instrumenta, neq; est Logica, neq; pars Logicę. Logicæ enim est, atq; eius partiũ, tradere rationem conficiendi instrumenta, quibus ignota cognoscimus. ac propterea quidem partes Logicæ (ut ipse etiam in fine secundi cap. I. tractatus concedit) certum habent, definitumq; subiectum. Sed Topicorum liber, non habet certum definitumq; subiectum, ut in quinto etiam libro ostensum est, ergo non est pars Logicæ. Minor probatur, quia dialectica non habet certum genus: Topica autem, & dialectica, nihil inter se differunt. Maior etiam comprobatur uerbis Aristotelis, cùm multis alijs locis, tum primo Posteriorum lib. loco superius etiam citato:

» *Sed dialectica, inquit, non est sic definitorum quorundam, nec generis alicuius unius est. non enim interrogaret propter id, quod oppositorum esse non demonstrat idem.*

Et I. Elenchorum:

» *Nunc autem nõ est dialecticus circa genus aliquid determinatũ, neq; ostensiuus ullius, nec talis, qualis uniuersalis.*

Illo autem libro per accidens tradi syllogismi dialectici proprietates, ex inscriptione quodammodo intelligi licet: inscribitur enim liber Topicorum, quod idem est, ac si inscriptus esset, liber Locorum. Patet etiam ex uerbis Aristotelis, qui primo cap. eiusdem libri, connumeratis syllogismi speciebus, sic intulit:

» *Species igitur syllogismorũ, ut figuraliter sit complecti, sint dictæ.*

Quæ uerba exponens Alexander,

» Velut, inquit, descriptione quadam, & non diligenter, exploratecq;. Sic autem fortè dixit, uel quia non exactam definitionem uniuscuiusq; tradit: uel potius, quia non hæc elaboratè tractat, cum non sit eius propositum principale de his dicere.

Pòst Aristoteles hæc subiunxit:

» *Summatim autem dicendo de omnibus prædictis, & de his quæ postea sunt dicenda, in tantum nobis determinatum sit, eo quòd de nullo eorum exactam rationem assignare eligimus, sed aliquantulum de his uolumus pertransire, omnino sufficiens arbitrantes esse, secundùm propositam methodum posse cognoscere quoquo modo unumquodque illorum.*

Agit ergo Aristoteles de huiusmodi syllogismis per accidens, quatenus scilicet Logici personam suscipit, quaq; his proprietatibus (ut in fine Commentarij diximus) repleta est Logica.

Diale-

Dialecticam uerò nõ esse Logicam, patet etiam ex his utilitatibus, quas Aristoteles scribit afferre nobis dialecticam: quas quidem utilitates ex ipsa Logica percipi non posse, nemini obscurũ esse arbitror. Ex quibus uidetur omnino constare, Aristotelem uerbis illis,

Primum igitur dicendum, quid est syllogismus, & quæ eius differentiæ, ut sumatur dialecticus syllogismus. hunc enim quærimus secundùm propositum negocium: "

Noluisse ostendere, sibi illud propositum esse, ut eo libro ageret per se de regulis syllogismorum dialecticorum (non enim, quæ superius dixerat, ad rem facerent) sed uoluisse id significare, cum propositum negocij esset inuenire methodũ syllogizandi ex probabilibus. hoc est, cum sibi propositum esset, inuenire, & conficere syllogismos dialecticos, necessariò declarandum fuisse, qui esset ille syllogismus, quem uellet conficere: itaq; docendum fuisse, quemadmodum fieri oporteret. hoc enim in libro uult in primis conficere huiusmodi syllogismum, tradendo locos communes, non tradere eius proprietates, quemadmodum fit in scientijs, quæ conficiunt demonstrationes, quibus probentur passiones de suis subiectis. Quòd autem nõdum docuerat, qui'nam esset huiusmodi syllogismus, & quemadmodum conficeretur, antequam traderet locos eum conficiendi, statuit ponere regulas, quibus rectè confici posset. Quare uidetur dialectica cõstare & ex Logica, & ex Locis: sed ex Logica per accidens, ex locis autem per se, ut docuit Aristoteles, Rhetoricam esse compositam ex parte resolutiua, & ex ciuili ea quæ est de moribus. Id autem cur factum sit ab Aristotele, satis uidemur in fine Commentarij explicasse. Ex quo patet nihil illud obstare, quod primo Rhetoricorum libro ita scriptum reliquit Aristoteles:

Et de quolibet syllogismo Dialecticam, uel uniuersam, uel partem eius quandam considerare. "

Quandoquidem perspicuè loquitur de ea parte dialecticæ, quæ proprietates omnes syllogismi dialectici tradit. illis enim uerbis ostẽdit (ut liquet) quo modo quis fiat Enthymematicus, & quomodo persuadeat dicens persuasionem Rhetoricæ esse demonstrationem, quæ quidem non possunt spectare ad lib. Priorum, ut multi perperam (mea quidem sententia) existimarunt.

SECTIO III.

PRæterea, dialecticam nõ esse Logicam, uidetur quodammodo ostendere optimus Græcorum omnium Interpretum Alexãder, ipsa rei ueritate fortè coactus. Nam in primum Topicorum librum,

" Non enim, inquit, sicut unaquæq; scientia circa aliquod genus determinata, propria illi generi, & quæ per se eidem insunt, ostendit, & accipit per principia propria illius generis, sic etiam hæ disciplinæ, loquens de Rhetorica, & Dialectica. Nam neque de aliquo rationem faciunt per propria illi, & quæ sunt in substantia eius, ostendunt,

» dunt, quæcunque demonstrant, sed ipsarum tractatio uersatur circa
» communia. nam dialectici similiter interest de Musicis rebus, ut de
» Medicinalibus, immò de Geometricis, naturalibus, moralibus, ratio
» nalibus, & de omnibus propositis disserere. Nam eius ostensiones
» sunt ex communibus opinabilibus, et non proprijs ipsis propositis.
» Non enim per Medicinæ principia dialecticus demonstrat aliquid,
» ita de cæteris.

Dialecticus ergo cum non possit ex proprijs disserere de rationalibus, non est artifex rationalis, neque pars eius: dissereret enim ex proprijs illius. At rationalis (ut iste etiam concedit) est Logicus, ergo dialecticus non est Logicus.

Hoc idem Alexander ipse confirmat, exponens ea quæ de dialectico scripsit Aristoteles. eius autem hæc sunt uerba:

» Tertium præterea utilitatis modum ponit, dicendo quòd est uti-
» lis ad eas quæ sunt secundùm philosophiam, disciplinas, et ad cogni
» tionem secundùm scientiam, id est ad inuentionem ueri, & cognitio-
» nem. Dixit autem disciplinas secundùm philosophiam, scilicet natu-
» ralem, moralem, rationalem, & metaphysicam.

Quòd si dialectica est utilis ad rationalem, non est rationalis: idem enim non est sibi ipsi utile, sed necessarium. Præterea quemadmodum est utilis ad moralem, ad naturalem, & ad metaphysicam, neq; tamen ulla est ex his: ita non est rationalis: ergo non est Logica, ex Alexandri etiam, quem ipse sequitur, sententia. Quòd autem rationali facultate intelligat Alexander Logicam, ex eis intelligi licet, quæ in eundem Topicorum librum ita scribit:

» Quæcunque uerò nec ut agibilia quæruntur, neque habent per-
» fectam cognitionem ueritatis in se ipsis, sed uelut adminiculãtia sunt
» ad eligibilium & non eligibilium cognitionem, uel ad uerorum &
» falsorum inuentionem conuenitur, hæc sunt problemata rationalia.
» Nam rationalis facultas habet locum organi in philosophia.

Et quæ sequuntur. Quæ quidem id apertissimè declarant, quod à nobis dictum est.

Ex quibus satis patêre arbitror, quod ipse in quarta ratione, qua contra nos utitur, absurdum esse scribit, id non modo absurdum nõ esse, sed maximè necessarium. Neque ex his quæ dixit, illud insequi, ut liber Topicorum sit pars Logicæ: sed omnino contrarium, uti nos ostendisse arbitramur. & eo magis, quòd non dissoluit rationes eas, quibus id in Commentario nostro confirmauimus. quod quidem illum prætermisisse, mirandum est: quippe qui non deberet ignorare, qui absurda tantùm opponat, hunc ex Aristotelis sententia, nec rationes, nec uerisimilitudines dissoluere. Is enim secundo Rhetoricorum libro, capite uigesimoquinto,

» *Nam qui obijcit, inquit, non dissoluit uerisimilitudinem, sed non*
» *esse necessariam probat.*

SECTIO IIII.

His absolutis, consequens est ut respondeamus ad ea quae Iacomellus II. cap. IIII. tractatus scribit: quanquam ex ex eis quae superioribus libris disputauimus, satis dissolui possint. Miramur igitur, quid huic homini in mentẽ uenerit dicere, nos posuisse, dialecticã esse subalternatam Primae philosophiae, cum nusquam id omnino dixerimus: immò uerò ubiq; illud, dialecticam neq; habere subiectum proprium, & esse à Logica distinctam. Quin etiam illius usum multo latius patere, quàm Primae philosophiae. Deinde ostendens homo, Dialecticam non esse subalternatam, loquitur de Logica perinde, ac si nos illud asseruissemus, utranq; eandem esse. Mirum autem uidetur, eum, cum uellet ostendere, Logicam non esse subalternatam, tacitas praeterijsse rationes eas, quibus ego conatus sum contrarium probare, ac mihi quidem satis probasse uideor.

Prima autem eius positio falsa est, si intelligat, unam facultatem esse sub altera alio modo, atque operis gratia, ut ostendunt & rationes, & Aristotelis loca, quae ego in Commentario attuli. Quamobrem ea quae profert, ut contrarium ostendat, aliena sunt, ac planè cõmentitia. ut illud, cum rationem reddit, quare species non sint subalternatae generibus. Vera enim huiusce rei causa colligitur ex uerbis Aristotelis, quae nos in Commentario recitauimus. Subalternari enim apud Aristotelem nihil aliud significat, nisi, facultatem aliquam considerare operis causa, id quod altera simpliciter & absolutè considerat. Atq; illa quidem quae operis gratia considerat, ei subijci dicitur, quae absolutè considerat: est enim posterior.

Illud etiam falsum est, Aristotelem primo Posteriorum libro tradere, facultatem eam quae subalternãs dicitur, semper explicare propter quid omnium principiorum, quae sunt in subalternata: nulla est enim ratio illa, haec facultas sibi hanc subalternat, ergo explicat propter quid omnium principiorum eius. Rectè quidem sic infertur, haec facultas explicat propter quid huius facultatis, ergo illam sibi modo aliquo subalternat. idq; sensisse Aristotelem diximus.

Praeterea, ut traderet Aristoteles, omnem facultatem subalternantem explicare propter quid eorum quae sunt in subalternata principia: hoc esset intelligendum, ut in pluribus, ob eas quas in Commẽtario attulimus, rationes. Sed de hac re, cum & in Commentario nostro, et quarto huius Apologiae libro satis multa disputauerimus, ad illa nos loca reijcimus.

Quod praeterea scribit, principia, subiectum, & affectus in omnibus facultatibus congenea esse oportere, & eadem, quòd Aristoteles primo Posteriorum libro, Ex quibus, inquit, demonstrare est, con- « tigit esse eadem. hoc ipsius opinionem euertit. Nam si principia subalternantis facultatis, et subalternatae, sint diuersa, ut ipse fatetur, subalternans facultas non potest subalternatae principia ostendere, propterea quia non sunt eadem utriusq; principia. Ergo secum pugnat,

quippe qui contrarium antè dixit. Quod autem subdit, facultatem subalternantem ostendere principia facultatis subalternatæ, quòd subalternantis principia sunt simpliciora, subalternatæ autem compositiora, minimè dubitari potest, quin ab Aristotele dissentiat. Ex hoc enim sequitur, ut Arithmetica ostendat principia Geometriæ, siquidem Arithmetica principia habet simpliciora principijs Geometriæ, ut testatur Aristoteles 1. Poster. lib. his uerbis:

» *Et quæ ex minoribus, ea quæ est ex positione, ut Geometria, & Arithmetica. dico aũt ex positione, ut unitas substãtia est sine positione, punctus autem est substantia posita. hoc autem est ex appositione.*

Si ergo principia, quæ sunt magis cõposita, ostenduntur (ut Iacomellus dicit) principijs simplicioribus, Arithmeticæ principijs ostẽdent Geometriæ principia. Quod tamẽ cũ perspicuè falsum sit (principia enim Geometriæ carẽt medio, ac per se nota sunt) & à ueritate et ab Aristotelis sentẽtia penitus abhorret, quod homo scribit. Quin ex illo etiã, quẽ citat, Aristotelis loco, sequitur illa esse diuersa principia.

Quæ uerò in altera eius confirmatione sunt, partim nihil concludunt, partim hominis etiam opinionem euertunt. Partim autem nihil concludunt, quia ut principia facultatis subalternatæ redigantur ad principia subalternantis, utpotè ad ea, quæ absolutè considerantur: tamen ex hoc illud non consequitur, ut subalternans probet semper ipsa subalternantis principia. Nam (uti sæpe diximus) fieri facilè potest, ut principia facultatis subalternatæ sint etiam principia subalternantis: quæ quidem principia ostendere non potest facultas subalternans. id quod accidit principijs Logicæ, quæ item sunt principia Primæ philosophiæ: sunt enim affectus entis. itaque patet, nihil hominem concludere. Partim uerò, ea quæ scribit, ipsius opinionem euertunt. Nam si principia facultatis subalternatæ (ut ipse ait) sint composita, & effectus, subalternantis autem causæ: cum ipsa composita, & effectus, ut ex primo Physicorum lib. constat, sint notiores nobis, causæ uerò naturæ: innata sit autem nobis uia progrediendi à compositis ad causas, principia facultatis subalternatæ demonstrabunt principia subalternantis. Demonstratio enim debet esse ex notioribus nobis, discimus enim ipsi conclusiones per demonstrationem. At contrarium suprà dixit, ergo suam ipsius opinionem euertit.

In ijs item quæ subdit, uidetur omnino à ueritate recedere. nam cum locum citat primi Posteriorum libri, qui nihil ad rem facit. siquidem ibi non loquitur Aristoteles de facultate subalternante, & subalternata. ait enim,

» *Sunt autem, quibus utimur in demonstratiuis scientijs, alia quidem propria uniuscuiusq; scientiæ, alia communia. communia autem secundũm Analogiã: quoniam utile est, quantũ in eo quod sub scientia est, genere: propria quidem, ut lineam esse huiusmodi, & rectum: communia aũt, ut æqualia ab æqualibus si auferas, quod æqualia reliqua sunt.*

sufficiens

sufficiens autem est unumquodq; istorum, quantum in genere est. idem enim faciet, etsi non omnibus accipiat, sed in magnitudinibus solùm, Arithmeticus autem in numeris.

Tamen constat, ipsam Geometriam, et Arithmeticã, neq; ibi inter se, neq; ulli alij facultati esse subalternatas. Quare locus ille Aristotelis magis labefactat eius opinionem, quàm confirmat. Ibi enim Aristoteles, cum mentionem fecisset de principijs, quorũ alia essent propria, alia communia, Demonstratio autem constaret ex principijs proprijs, uoluit declarare, quemadmodum principia communia sese habent ad demonstrationem.

SECTIO V.

VErùm cũ ostensum sit, à ueritate abhorrere, quæ Iacomellus scribit de proprietatibus subalternantis, et subalternatæ facultatis, facilè est intelligere, quàm ualde probanda sint ea quæ ex illis ipsis proprietatibus colligit, quibus cõcludit, Logicam non esse subalternatã Primæ philosophiæ. Nos enim dicimus, Logicam subijci Primæ philosophiæ, propterea quòd ab ipsa Prima philosophia sua petit principia, eaq; tractat operis causa, cũ Prima philosophia pertractet absolutè. Atq; illud asserimus, nõ modo sufficere ea quæ diximus ad scientiam subalternantẽ & subalternatã efficiendã: sed non posse rem aliter se habere. neq; enim secus unquam apud Aristotelẽ inueniemus. Nam si quid afferatur præter ea quæ diximus, aut insequitur ex his ipsis quæ diximus, aut omnino est confictũ. Principia enim sunt, quæ constituunt & distinguũt facultates. Quare illud falsum est, facultatem subalternantem semper explicare propter quid principiorũ facultatis subalternatæ, ut ostensum est in Cõmentario, & superioribus libris. Ex quo quidem uidetur Logica rectè subijci Primæ philosophiæ, quæ tamen Prima philosophia nõ explicet propter quid principiorũ Logicæ. Quemadmodum enim ex eo quòd omnis homo sit animal, nõ sequitur ut omne animal sit homo: ita ex hoc, quòd facultas omnis quæ explicat propter quid alterius facultatis, necessariò illam sibi, aliquo saltem modo subalternet, illud nõ consequitur, ut facultas omnis quæ sibi alteram subalternet, necessariò explicet propter quid illius ipsius facultatis, quam subalternat. Aristoteles autem XII. cap. Primi posteriorũ libri illam propositionem posuit, non hanc, cõtrà quàm iste falsò putauit. Ex quo quidem factum est, ut in ijs quæ diximus, lapsus sit.

Supra item bellus hic homo pluribus uerbis me reprehẽdit, quòd posueram, dialecticã distingui à Logica: nũc uerò ait, me plurimùm errare, qui Logicam, siue dialecticam Metaphysicæ subalternari putem. quasi ego posuerim, Logicam & dialecticam idem esse. Præterea cùm ego ita sim argumentatus, omnes termini qui sunt in Logica, & omnia principia cõsiderantur in ipsa Logica (ut ostendimus) operis gratia, ergo cõsiderantur in aliqua superiori facultate simpliciter, & absolutè. At hæc nulla alia potest esse nisi Prima philosophia,

sunt enim affectus entis, ergo considerãtur à Prima philosophia, itaq;
subalternantur ipsi Primæ philosophiæ: quod quidem & compluri-
bus rationibus, & Aristotelis auctoritate cõfirmauimus: Respõdet,
me praue id colligere, ac in multos proinde errores dilabi. Sic nanq;
» omnes, inquit, priuatæ scientiæ Primę philosophiæ subalternarent,
» cũ omniũ terminos illa cognoscat: quod est falsum, meo etiã iudicio.

Ex quibus liquidò apparet, eum nihil ad argumẽtationem meam
respondere. Nam cum easdem acceperim definitiones, quæ tradun-
» tur in Logica: uidelicet, Genus est quod prædicatur in quid est, scire
» est rem per causam cognoscere, et quæ sequuntur, Necessarium est il-
» lud, quod nõ potest aliter se habere, itemq; reliqua principia Logicæ:
atq; hæc ipsa considerari dixerim in Logica operis gratia, itaq; in alia
scientia absolutè. Quòd etiam ratione, et Aristotelis auctoritate com
probari docui, ad hæc ipse non respondet,

» Nihil enim illud obstat, quod Metaphysica Logicæ terminos co-
» gnoscat, propterea quòd omniũ facultatũ terminos latius cognoscit.

Nam ostendimus Primã philosophiam cognoscere eandem om-
nino rem, et definitionẽ, quam Logicam. hoc tantùm interesse, quòd
Prima philosophia cognoscit absolutè, Logica operis modò causa,
ut accidit Mechanicis, & Geometriæ, Musicæ, & Arithmeticæ, Me
» dicinæ, & Philosophiæ. Itaq; patet, illud non consequi, quod iste
» opponit, ut omnes priuatæ scientiæ subijciantur Metaphysicæ. Nõ
enim easdem omnino res pertractãt operis gratia. Nam etsi exempli
causa homo, qui pertinet ad philosophũ naturalem, cõsideratur à Pri
mo philosopho, ut ens, & substantia, eodemq; modo reliqua, tamen
ex eo non sequitur, ut philosophia naturalis subalternata sit diuinæ:
tum etiam, quia non refert ea ad opus.

Item, cum ait:

» In superioribus etiam iam monstrauimus, tam Metaphysicus, qui
» artifex est amplissimus, & ens, inquantum ens, commune, analogũ,
» reale, ac rationis contemplator, prædicta consideret, non tamẽ ea ra-
» tione, ut in enunciationibus ipsis situãtur, aut illas denominare pos-
» sunt: est enim hoc Logici munus.

Videtur à se ipso dissentire. Nam cum concedat, Primum philoso
phum ea quæ dicta sunt cõsiderare, Logicũ enunciationis causa, se-
quitur, ut ipse Primus philosophus simpliciter & absolutè conside-
ret. unũquodq; enim prius est in se, quàm ad aliud referatur. ergo ex
LXXXVI. *Sue ipsius opinionis euersio.* eius quoq; sẽtẽtia subalternatur Logica Primæ philosophiæ, ob eas
quas attulimus, rationes: quod tamẽ antè negauit. Secũ igit̃ pugnat.

Præterea, si Primus philosophus (ut ipse innuit) cõsiderat ea quę
dicta sunt, atq; hæc eadem Logicus propositionis causa, Primus phi
losophus non considerat secundas intentiones, ut omnino à Primis
abstrahunt: non enim idem est, secundas intentiones cum primis cõ
siderare, & seorsum. sed superius dixit,

» Metaphysicum considerare secundas intentiones, ut à primis ab-
» strahunt, Logicum autem simul cum primis:

Ergo

Ergo à se ipso dissidet: isti enim uarij considerandi modi inter se pugnant. LXXXVII. *Suae ipsius opinionis euersio.*

Praeterea, cum genus (ut superius ipse dixit) consideretur à primo philosopho, quatenus genus: si consideratur à Logico, non potest considerari ut genus, itaque absolutè. ergo consideratur quatenus ad aliquid aliud refertur. Hic autem considerandi modus uel distinguit Logicam à Prima philosophia, uel cōtrà. Si non distinguit, Logica non est distincta à Prima philosophia: quod quidem falsum est, & contra eum. Sin autē distinguit, Logica subijcitur ipsi Primae philosophiae. id enim respectiuè cōsiderat, quod Prima philosophia absolutè. Sed contrarium dixit, ergo secum pugnat.

SECTIO VI.

De secundis autem intentionibus cùm disputarē cum amplissimis quibusdam uiris, atque ab ijs quaesissem, ex quib. Aristotelis uerbis eas ipsi elicerēt, cum nullo possent Aristotelis loco, quę dicerent, cōprobare, attulerūt hoc sophisma: Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus. quod omnino negarent dissolui posse, nisi ponerent secundae intentiones, quo modo ipsi ponerēt. Quod quidem nos minimè probauimus, atque illud ipsum sophisma, ut apparet, Commentario nostro dissoluimus. LXXXVIII.

Id autem bellus hic homo refutare cum uellet, primùm exclamās: "Bone Deus, inquit, quid audio ab homine in Bononiensi Gymnasio tot annis dialecticam professo?"

Sed ex his quae dicemus, intelligent uiri eruditi, illum'ne, an magis nos exclamare oporteat.

Quoniā uerò potissimùm improbat, quòd ego in illius sophismatis dissolutione dixi, animal scilicet in altera propositione uniuersaliter accipi, in altera particulariter, maiorem'que fidem habet expositoribus, quàm ipsi Aristoteli, recitabimus uerba Auerrois, ut intelligat, non à me solùm, sed ab Auerroe illo, cui tantum tribuit, dissentire. Is igitur II. Poster. lib. cum nonnulla antè dixisset,

"Hoc autem est, inquit, uerum, quia spongia marina nō est animal simpliciter, sed est animal quoddam: et similiter est dispositio singularum specierum, scilicet quod non denominetur per genus, in quantum est haec species, sed denominetur per illud, inquantum est generis aliquid. Homo enim gratia exempli, nō est animal simpliciter, sed est animal aptum recipere rationem: et per hanc aptitudinem distinguitur animalitas, quae est in homine, ab animalitate reliquarum specierum: & distinguitur animalitas quae est equi, ab animalitate quae est asini. & similiter est dispositio singularum specierum, quia genus in ipsis diuersificatur per eius differentias."

Sentit ergo Auerroës, cum de homine dicitur animal, non accipi uniuersaliter, sed particulariter. Id autem cum hic homo improbet, ab Auerroe dissentit, à quo tamen sine nefario scelere dissentiri non posse existimat.

Sed quoniam uerum esse existimamus, quod & Auerroës de hac re, & nos diximus, uideamus, quibus hoc ille rationibus refellere conetur.

Quod igitur ad primam rationẽ attinet, ego non dixi, animal, cũ de homine prædicatur, esse uocem uniuersalem, aut particularẽ: sed animal, quod in se uniuersale est, si de homine prædicetur, nõ accipi pro omnibus ijs quæ alioqui significat, sed tantummodo pro rationali. Nam aliter falsa esset illa propositio. significaret enim, hominẽ esse omne animal. quod quãtopere à ueritate abhorreat, nemini obscurum est. Neq; tamen sequit̃, ut sit prædicatio æqualis de æquali, sed est superioris de inferiori. prædicatur enim id, quod in se est uniuersale, & superius, & si tantũmodo sumitur in eo significatu, in quo est uera prædicatio: quod quidem satis est ad prędicationem superioris de inferiori. Nihil itaq; cõtra me. Si tamẽ hæc mihi aduersentur, aduersantur etiam Iacomello, qui ait, animal, cum prædicatur de homine, nõ pro uniuersis sensu copulatiuo, sed disiunctiuo, uerificari. ita enim uerificat̃ pro una tantùm specie animalis, quia nõ uerè prædicat̃, si plures species significet. Itaq; necesse est uenire ad id, in quo uera sit propositio. sed hoc (ut patet) nequit esse aliud, nisi species rationalis: ergo animal, cum prædicatur de homine, accipitur tantummodo pro animali rationali, quod Iacomellus etiam concedit. Quare si eius argumentum contra me faceret, faceret etiam cõtra ipsum.

Reflectitur argumentum.

Altera autem eius ratio facilè dissoluitur. nam hæc propositio, homo nõ est animal, est falsa, propterea quòd significat, hominem nec illud quidem animal esse, quod reuera est. significat enim, ipsum hominem nullum omnino esse animal: id quod falsum est. qui enim tollit uniuersale, idem etiam tollit particulare. In negatiua enim propositione (ut dicetur inferius) non ita angustè accipitur prædicatũ uniuersale, quemadmodum in affirmatiua. Negatur ergo uniuersaliter animal, itaq; falsa est illa propositio. Si tamen hæc ratio meam opinionem labefactaret, contra Iacomellum etiam faceret, qui dixit, animal prędicatũ de homine uerificari pro uno significato tantùm disiunctiuè. quod idem est, atq; nos diximus.

LXXXIX. *Sue ipsius opinionis euersio.*

Tertia item eius ratio cum ipso pugnat. siquidem animal (ex eius sententia) prædicatum de homine, non accipitur pro uniuersis animalibus sensu copulatiuo, sed disiunctiuo. Quo igitur uera sit hæc propositio, homo est animal, necesse est, accipiatur animal pro aliquo designato animali, non pro omnibus. At uera esse non potest, nisi pro eo animali, quod est rationale. ergo sentit ipse, ueram fieri propositionem illam eo modo, quo & nos diximus. Ergo à se ipso, non à me dissentit.

Sed quoniam absurdi aliquid afferre, non est dissoluere, dissoluemus etiam uerisimilitudinem, quam habet illius ratio. Negamus igitur locum ab euersione antecedentis, ad euersionem consequentis ductum ualere, cum scilicet latius accipitur cõsequens, quàm antecedens; quia in euersione antecedentis, & consequentis, consequens

accipitur

accipitur uniuersaliter, ut dictum est superius. negatiua enim est uniuersalior affirmatiua. Non enim (ut ex superioribus patet) idem est omnino, quod negatur in consequente, cum eo quod affirmabatur in priori.

SECTIO VII.

Quarta etiam Iacomelli ratio opinionē eius euertit, cum cogatur (ut ostensum est) eadem dicere, quæ nos diximus. Sed nullo negocio (nisi mea me fallit opinio) dissoluitur eius argumentum. Negamus enim in hac propositione, omne animal est homo, animal eodem modo accipi, quomodo accipitur in illa, omnis homo est animal: quia subiectum hic (si propositio sit uera) coarctat prædicatū, ut accipiatur pro eo animali duntaxat, quod est rationale. Sed in hac propositione, omne animal est homo, accipitur animal pro omnibus ijs quæ significat: nulla enim uoce coarctatur. Nihil igitur eius argumentum concludit. Quòd si animal in ea propositione, quæ conuertit, sumatur particulariter, uera fit conuersio ad hunc modum: homo est animal, ergo animal est homo. in hanc autem non conuertitur, omne animal est homo.

Quinta item eius ratio (ut ex ijs quæ diximus, patet) contra ipsum facit. Ex eo autem facilè (mea quidem sententia) dissoluitur, quod cum ita dicimus, aliquod animal non est homo, uerum dicimus, quoniam animal irrationale non est homo. At cum infertur, ergo aliquis homo non est animal, nihil est quod coarctet prædicatum animal. in negatiua enim (ut patet) non coarctatur, sicut in affirmatiua. Quocirca illud significari potest, hominem esse nullum animal. quoniam uerò est animal rationale, falsa est propositio, atq; hanc ob causam dicitur non conuerti particularis negatiua.

Lapsus est igitur homo, quòd existimauit, eodem modo accipi animal, & in affirmatiua, & in negatiua: quòd quidem apertè falsum est.

Latius enim patet propositionis negatiuæ significatio, quàm affirmatiuę. Quocirca dicitur affirmatiua, cuius prædicatum sit infinitum, non sequi negatiuam, quæ finitum habeat prædicatum. etenim non ualet, homo non est iustus, ergo est non iustus: ut constat etiam de nominibus finitis, & infinitis.

Sexta etiam ratio, quemadmodum superiores, contra illum facit. *Reflectitur argumētū.* Tamen respondemus, uócem tantùm, prohibere, quò minus subiectum coarctet prædicatum. non enim idem significat, homo est animal, & homo tantùm est animal. uox enim, Tantùm, uariat significationem prędicati. ex quo fit, ut falsa sit illa propositio, homo tantùm est animal: propterea quia sensus est, solū hominē esse animal, quod penitus falsum esse constat. uera tamen est propositio illa, homo est animal, ob eam, quam diximus, rationem.

Dissolutio suorum argumētorū. Sed quid multa? Quæ homo subiūgit, his omnes, quas cōtra nos

 attulit,

attulit, rationes dissoluit, perspicueq́; nostram opinionem comprobat, itaq́; sese redarguit, ac secum ipse pugnat. ait enim:

» Quòd si his conuictus dicas, te hanc enunciationem, uidelicet homo est animal, ueram fateri, atq; ꝙ animal uocẽ esse cõmunem, atque uniuersalẽ, non tamen pro omnibus suis significatis de ꝙ homo uerè prædicari, sed pro aliquo duntaxat, uidelicet rationali: Quæro ergo à te, cur communem opinionem accusas, ac ualentissimos illos dialecticos insectaris, qui in tali sensu illam concedunt? Concedamus igitur unanimes, enunciationem illam ueram, atq; ꝙ animal, ut uocem indefinitam, atq; communem, non terminatam, atq; particularem, licet non pro omnibus suis significatis copulatiuè, ut iam diximus, disiunctiuè tamen uerè prædicari, siue uerificari.

Ex quibus patet, illum cõcedere, quod à me dictũ est, animal accipi in illa prædicatione de homine pro aliquo duntaxat animali, uidelicet rationali. cumq́; dicat, dialecticos quosdã ualentissimos, quos ego insecter, concedere, propositionem illam accipi hoc sensu: idem ait cõcedere illos, quod ego cõcessi. Itaq; falsum est, eos à me in hac re esse reprehensos. ostendendum enim fuerat, ubi'nam illos ego reprehenderim. Patet etiam, ipsum, cum dicat, in huiusmodi prædicatione animalis de homine, animal sumi, non pro omnibus significatis copulatiuè, sed disiunctiuè, significare sumi pro aliquo duntaxat animali, uidelicet rationali, id quod à nobis dictum est. Cum enim diximus, in hac propositione, homo est animal, animal accipi particulariter, quid hoc aliud indicat, nisi animal accipi pro aliquo tãtùm significato, non pro omnibus? Quam quidem rem luce clarius ostẽdimus, cum diximus, hominem non esse simpliciter & absolutè animal, sed animal quoddam. Quæ igitur ille tam multa congessit, nostram confirmant opinionem, suam autem penitus euertunt. Quocirca rectè diximus de paralogismo, illam esse deceptionis causam, quòd pro eodem sumitur id, quod non est idem. siquidem animal in uniuersali, & in particulari, non est idem animal.

Bellum autem hunc hominem, ubi respondet ad illum Aristotelis locum, quem ego citaui ex 1. Periher. lib. mecum planè consentire, ex his quæ sequuntur, illius uerbis licet intelligere.

» Quòd uerò, inquit, ex 11. Perihermenias affers, pro nostra magis sententia, quàm pro tuo stare uidetur. Eo enim in loco respõdebat Aristoteles obiectioni iam factæ, uidelicet quòd ad necesse esse, sequi non poterat possibile esse, quoniam id admittebat possibile nõ esse, inquit, Aristoteles, duplex esse ipsum possibile. quoddã, quod iam actu est: quoddã, quod nõ actu, sed possibile est fieri. hoc asserit esse in solis mobilibus, illud etiã in immobilib. Sic enim ipse inquit, ipsum possibile simpliciter, id est (ut exponit doctissimus Boetius) possibile secũdùm omnẽ sensum, et pro omni suo significato nõ potest uerè prędicari de necessario, q̃d illud est, q̃d nos asserebamus uerificari. et subdit Aristoteles, cũ partẽ sequit̃ uniuersale, ad necesse esse sequit̃ possibile. ergo hic habes ab Aristotele, possibile esse, ut uniuersale

uersale est, sequi partem scilicet necesse esse, licet nō pro quolibet suo "
significato, de eo uero prædicari possit. "

Quòd si possibile, quod est uniuersale præ uoce necesse, sequitur ipsum necesse nòn pro omnibus ijs quæ significet, acceptum, sed pro aliquo, nihil homo à nobis dissentit. Dicimus enim, animal esse uniuersale. sed cum prædicatur de homine, non prædicari uniuersaliter, sed particulariter, ut scilicet rationale significet. Nos autem concessisse, animal, cum prædicatur de homine, non esse uniuersale, patet ex ijs quæ post Aristotelis uerba sic intulimus:

Concludit igitur ex his Aristoteles, cum uniuersale quiddam prædicatur de aliquo suo inferiori, non prædicari secundùm totū de eo. "

Illud itaque sensimus, animal esse uniuersale, sed non accipi uniuersaliter, cum de homine prædicatur. Quocirca Iacomellus nos redarguens, suam ipse opinionem euertit: quod quidem omnium est absurdissimum. In hac autem propositione, animal est genus, animal sumi uniuersaliter, hinc intelligi licet, quòd non uerè dicitur, omne animal est genus, propterea quia sensus est, hominem esse genus, & asinum, & bouem, & reliqua his consimilia. quod quidem falsum est: quia sic animal non accipitur uniuersaliter, sed pro suis inferioribus. quam sententiam uidetur ostendisse Aristoteles primo Priorum lib. his uerbis:

Aristomenes intelligibilis est semper, Aristomenes est Aristomenes intelligibilis, semper autem esse non inest Aristomeni: corruptibilis enim est Aristomenes. non enim syllogismus fiebat, sic se habentibus terminis, sed oportebat, uniuersaliter Aristomenem intelligibilem semper esse. hoc uerò falsum, quòd existimabat, omnem intelligibilem Aristomenem semper esse, cum Aristomenes corruptibilis sit. "

Innuit ergo Aristoteles (si rectè eius uerba perpendantur) idem, quod à nobis dictum est. Quam rem declarat Alexander, exponens ea quæ citauimus uerba:

Simili modo quoque si hominem esse animal sumat, & animal genus: non enim homo etiam genus est. in his autem deceptio fit, propterea quod indefinitū uniuersali quàm simile est. Nam quasi indefinitum eandem uim habeat, quam uniuersale, cōcedunt homines ea quæ dicūtur, atque admittunt, sed plurimū tamen differūt. nam quod uniuersale est, si indefinitè dicatur, uerū est: quod uero indefinitè uerum est, id nō etiam uniuersaliter necessariò esse uerū. Vnde hanc deceptionem ex eo fieri inquit, quod ferè est. Quasi enim ferè idem sit, & nihil intersit, siue uniuersalē propositionem sumamus, siue indefinitā, ex indefinita uniuersalē concedentes decipiūtur. Ioan. item Grāmaticus exponens eundem locū, pòst multa inquit: Igitur apparet syllogismus fieri ob positionē terminorum, sed non sufficit hoc solum, sed etiam oportet prorsus esse propositionē uniuersalem, et hic ambę "

» sunt particulares. nam indefinitæ sunt. Quia igitur falsa est uniuersa-
» lis, ob id etiã conclusio falsa est. Nam si dixero sic, Aristomenes intel-
» ligibilis est Aristomenes, omnis intelligibilis Aristomenes semper
» est: falsam accipi uniuersalem propositionem, quamuis uera sit ea quę
» dicit, intelligibilis Aristomenes semper est. Nam in propositionibus
» nõ eodem modo possunt articulus, et determinatio. nã quando dixe
» ro, Socrates homo, et homo animal, unã speciem hominis significo,
» quatenus singuli homines dicũtur. sed quãdo dixero, omnis homo
» animal, nõ amplius accipio speciem uniformẽ, sed singulos homines
» quibus inest species. Et quod hoc sit uerũ, patet ex his quibus potest
» dici homo est species, nõ tamen dici potest omnis homo species.

SECTIO VIII.

ADdit etiam Iacomellus, in eo me lapsum esse, quòd puta-
uerim, deceptionem illam proficisci à figura dictionis:
quod omnino se negat apud quenquam inuenisse. Sed
ipsi confestim inueniemus apud eius expositores. Egi-
dius igitur in eadem fallacia,

Ad hunc ergo modum, inquit, reduci habet uariatio suppositio-
» num, homo est species, Sortes est homo, ergo Sortes est species.
» Et D. Thomas in eadem fallacia hæc protulit uerba:

Et ad hunc modũ reducitur omnis deceptio proueniẽs ex uariata
» suppositione terminorum, ut homo est species, Sortes est homo, er-
» go sortes est species. hic proceditur à simplici suppositione ad discre
» tã, & mutatur quale quid in hoc aliquid. Patet ergo, fuisse qui scri-
» pserit, eum paralogismũ esse secundùm figurã dictionis. quod enim
dicitur de hoc paralogismo, homo est species, Socrates est homo, er-
go Socrates est species: idem etiam dicitur de eo, de quo hic disputa-
tur, ut perspicuum est. Sed cum id ipse negauerit, decipitur.

Item si ex istorũ Interpretum sententia, omnis deceptio quæ pro-
ficiscatur ex uariata suppositione terminorum, redigitur ad modum
fallaciæ figuræ dictionis: nostri autem paralogismi deceptio (ut ipse
concedit) proficiscitur ex uariata suppositione terminorum, ad falla
ciam figuræ dictionis redigitur. Sed hoc homo negauit, igitur à se-
ipso dissidet. Maiorem ponit ipse his uerbis:

Iuniores dialectici non imperitè dicunt, fallaciam esse ob uarium
» supponendi modum illius uocis Animal, cùm in prima personaliter
» (ut uerbis eorum utar) & in secunda simpliciter supponat. Quorum
» uocabula tametsi Peripatetica non uideantur, sensus tamen illorum
» Aristotelis doctrinæ summè consonus esse uidetur.
» Idem aũt, quod de cæteris qui allati sunt, de meo paralogismo di-
cendũ esse, uidetur cõfirmare Boëtius in Antepraedicamẽtis, ubi ait:

Sed fortasse quisquã dicat, minimè uerũ esse, quod dictum est. nam
» cũ homo de Socrate prædicat̃, Socrates enim homo est, & species de
» homine, Socrates tamẽ species nõ dicitur. Et rursus cũ animal de ho
» mine prædicet̃, de animali uerò genus, animal enim genus est, homo
» generis uocabulo caret, nõ enim dicitur homo genus, sed species tan
tùm.

tùm. His dicendum est, quòd minus aduerterit, illam esse definitio- "
nem de subiecto prædicationis, quæ in eo quod sit unumquodq;, & "
in eius substantia prædicaretur. Nunc autem species de homine, nõ "
in eo quod quid sit, prædicatur: neq; enim si quis definitionem ho- "
minis reddat, speciem nominabit, sed designatiuum nomen est tan- "
tùm, utrum de pluribus specie differentibus prædicetur hoc nomen "
quod est Homo, an certè tantùm de solis indiuiduis. Nam quoniam "
de indiuiduis solis homo prædicatur, idcirco species dicitur: & quo "
niam de specie differẽtibus, animal dicitur. idcirco animal genus uo- "
camus, & sunt quodammodo nominum nomina. Quare neque ge- "
nus de animali, neq; species de homine, in eo quòd quid sit, prædica- "
tur, sed tantum designatiua est illa, quomodo homo, et animal, ut di- "
ctum est, prædicentur proprijs. "

Patet ergo ex Boëtij uerbis, ita dicendum esse de paralogismis ijs quos diximus. Quòd si unus aliquis ex his redigit̃ ad fallaciã figuræ dictionis, ut sentiunt Interpretes ij quos demonstrauimus, rectè à nobis dictũ est. Itaq; falsò negat Iacomellus, apud quenquã id inueniri.

Confirmatur aũt sic. ex uario modo supponẽdi (ut patet ex Interpretũ uerbis) mutat̃ quale quid in quid: talis autẽ mutatio fit iuxta figurã dictionis, ut docet Aristoteles: ergo est secundùm hãc ipsam fallaciã. Sed contrariũ dixit Iacomellus, igitur suã ipse opinionẽ euertit. *XCI. suæ ipsius opinionis euersio.*

Præterea hæc mea fuit ratio, cum id quod nõ est idem, interpretatur ut idẽ, inest fallacia figuræ dictionis. In paralogismo, quẽ dixi, id quod nõ est idem, interpretatur, ut idem: ergo inest fallacia figuræ dictionis. Minor propositio manifesta est ex eo, quòd animal in prima propositione (ut ostensum est) aliud significat, atq; in secunda, tamẽ uidetur idem, propter similitudinẽ dictionis. Neq; tamen in eo paralogismo nõ est similitudo dictionũ, quòd sint eædem dictiones. hoc enim euerteret etiam expositorũ opinionem, quos tamen (ut dictum est) sequitur. Id autem quòd est idem, simile etiam dici, ostendit Aristoteles 1. lib. de Generatione & corruptione, XLVIII. his uerbis:

Si simile, secundùm quòd simile actiuum: ipsum enim seipsum mo- "
uebit omne. "

Si enim quod est, idem non diceretur etiam simile, nulla esset Aristotelis ratio. Et primo Rhetoricorum lib.

Verùm quoniã quod simile, & eiusdẽ generis est, sibi ipsi iucundũ "
est, idq; maxime unusquisq; ad seipsum habet, necesse est, oẽs alios plus "
alios, minus seipsos. Nã omnia alia unicuiq; maximè ad seipsũ insunt. "

Nihil igitur obstat, ex Aristotelis sentẽtia, quo minus simile dicatur etiã, quod idẽ est. Negamus tamẽ ipsi, idẽ esse hoc loco animal in utraq; propositione. sed quoquo modo dicat̃, quotiescũq; deceptio aliqua ex eo oritur, q̃d diuersum quippiã interpretatur, ut idẽ, hoc fieri dicit̃ secundùm figurã dictionis. In eo aũt, quẽ dixi, paralogismo, cũ id q̃d non est idẽ, accipiatur ut idẽ, inest illi paralogismo huiusmodi fallacia. Quòd aũt cõtra nos utitur Alexãdri testimonio, etsi in his

rebus

rebus ipsi Aristotelem unum sequimur, tamen hoc loco assentiri possumus etiam Alexandro, illi scilicet paralogismo inesse fallaciam quoque accidentis, sed alia ratione. Nam fieri facilè potest, ut in eodem paralogismo alia ratione alia insit fallacia, quemadmodum idem diuersis rationibus potest numerari in diuersis Prædicamentis, quæ tamen inter se genere differunt, ut testatur Aristoteles in Prædicamento qualitatis, his uerbis:

Amplius si contingat hoc ipsum, & quale, & relatiuum esse, nihil est inconueniens in utrisq; hæc generibus.

Quod etiam apertè ostendunt Interpretes. nam Egidius in eandẽ fallaciam hæc scripta reliquit:

In dictione ista quodammodo appropinquat ad fallacias reales, siue ad fallacias extra dictionem, propter quod multi paralogismi peccantes per hanc fallaciam, peccant per fallaciam accidentis, & per fallaciam extra dictionem. immò secundùm quosdam, nullus fit paralogismus in hac fallacia, qui non peccet penes fallaciam accidentis, quæ est fallacia extra dictionem.

Diuus etiam Thomas cap. xx. suarum fallaciarum: Et est, inquit, sciendum, quod non est inconueniens, si aliquibus prædictis paralogismorum sint assignatæ prædictæ fallaciæ, scilicet figuræ dictionis, & accidentis, quia secundùm quòd prouenit deceptio ex similitudine dictionis, est fallacia figuræ dictionis: secundùm autem quòd prouenit deceptio ex conuenientia rerum, est fallacia accidentis.

Ex his igitur facilè constat, Interpretes eos, quibus homo non minorem (ut solitus est dicere) fidem habet, quàm ipsi Aristoteli, ostendere, me non ita lapsum esse, ut ipse existimauit.

SECTIO IX.

QVod uerò subdit, non debuisse me decipi propter publicam illius regulę, quæ est in Antepraedicamentis, moderationem, cum scilicet aliquid de altero prędicatur, ut de subiecto, quicquid de tali prædicato prædicetur, necesse esse, & de tali subiecto prędicari. Sic enim, inquit, omnes moderãtur, si tale prædicatum eiusdem ordinis fuerit, ac seriei prædicamentalis, cuius defectu peccat, quem adduximus, paralogismus.

Minus rectè uidetur dicere: quòd nisi sequatur illa conclusio propter eam moderationẽ, quam adhibet, nõ sequetur illud etiam argumentũ, omne animal currit, omnis homo est animal, ergo omnis homo currit: Socrates est homo, ergo Socrates currit. Ac deniq; non fiet syllogismus ex omnibus propositionibus de inesse, & ex maiori de inesse, & minori de necessario: quæ omnia cũ sint absurda, necesse est, absurda sint etiã illa, ex quibus hæc ipsa consequuntur. Ita autem esse declarant, quæ ipse dixit. nam uox Currit, quæ prędicaur de animali, quod est prædicatũ de homine, non est eiusdẽ ordinis, cuius est animal: cursus enim est qualitas, animal substãtia. Si ergo nõ sequatur conclusio argumenti eius quod attuli, propterea q̃d prædicatũ non

est

est eiusdem ordinis: syllogismi illi, quos dixi, ita sese habent, ut osten sum est: ergo sunt & ipsi paralogismi. quod quidem est absurdum illud, ad quod nos hominem deduximus. Potui igitur decipi, siqui dem ob eas quas attuli rationes, non illa mihi uisa est recta illius regu læ moderatio, quicquid dicant interpretes. Quæ quidem regula ui detur latissimè patere, si intelligatur sic. Quotiescunque de prædicato alicuius subiecti prædicatur aliud prædicatum uniuersaliter, prædi catum illud prædicatur uerè de ipsius prædicati subiecto, seruata sci licet recte loquendi consuetudine. Nisi enim hoc ita esset, euerteretur prima figura ex propositionibus de inesse, & ex maiori de inesse, & minori de necessario: quod quidem ab omni ratione penitus abhor ret. Sed in paralogismis secus est, propterea quia animal quod est prædicatum in secunda propositione de homine, in prima non est tale, ut genus prædicetur de ipso uniuersaliter, ut dictū est superius. Atque ob hanc quidem causam non sequitur, ut homo sit genus.
Sed quoniam non ad ea modo quæ contra nos scripta sunt, respon dere uolumus, sed etiam ubi res ita ferat, de locis quibusdam Aristo telis, qui nobis minus recte exponi uidentur, quid sentiamus ipsi, te statum relinquere, nō grauabimur hic nōnullas afferre difficultates.

Dicat ergo aliquis: Quæ à te dicta sunt, ut ostenderes, quemad modum intelligenda sit positio illa,

Quoties alterum de altero prædicatur, ut de subiecto, quæcunque " de eo quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de subiecto dicun " tur: uidentur falsa. "

Nam si ita accipiatur positio illa, quemadmodū dixisti, sequitur, ut ea quæ sunt in subiecto, prædicentur de subiecto secūdùm nomē, & definitionem, contrà quàm docuit Aristoteles in Prædicamento substātiæ. Nam cum uerè sint hæ propositiones, omne albū est dis gregatiuū uisus, homo est albus, sequet̄, ut homo sit disgregatiuus ui sus: quod tamen falsum est. falsa est igitur interpretatio tua.

Verùm contra hoc sic fortasse licet argumentari, Hic est syllogis mus in Darij, ergo necessariò sequitur conclusio. Aut igitur negan da est prima propositio, quod minimè fit, cū definitio dicitur de defi nito: aut cōcedenda est cōclusio. Cum autem perspicuè appareat, fie ri non posse, ut negemus ob eam quam diximus causam, sequi con clusionem illam: cogimur dicere, Aristotelem uerbis illis,

Quæ sunt subiecto in pluribus quidē neque nomen de subiecto, neque " *ratio prædicabitur: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet* " *prædicari de subiecto, rationem uerò impossibile est prædicari. ut* " *album, cum in subiecto sit corpore, prædicatur, dicitur enim corpus* " *album: ratio uerò albi nunquam de corpore prædicabitur.* "

Cogimur inquam dicere, his uerbis Aristotelem noluisse signifi care, definitionem superioris esse definitionē inferioris, hoc est, quæ dicantur de suo inferiori, itáque de subiecto, hæc de illo dici secun dùm nomen, & secundùm definitionem sic, ut illa definitio sit defi

nitio eius quo de prędicatur: ut exempli cauſa, homo prædicatur de Socrate ſecundùm nomen, & ſecundùm definitionem, propterea quia definitio hominis eſt aliquo modo in ſubſtantia Socratis, itaq; eius definitio. id quod non contingit eis quæ ſunt in ſubiecto, ſi ſpectetur ad ſubiectum, in quo inſunt: quia non poſſunt prædicari ſecundùm definitionem ſic, ut illa definitio ſit definitio & ſubſtantia ſubiecti, quemadmodum eſt definitio & ſubſtantia prædicati, ut oſtendit exemplum quod attulimus. Nam tametſi diſgregatiuum uiſus prædicatur de albo, atque ineſt in eius ſubſtantia, non tamē prædicatur de corpore, ut ſit eius ſubſtātia: etſi de corpore, quatenus eſt album, neceſſariò prędicatur diſgregatiuum uiſus. Dictum enim de omni (ut docuimus in ea quam ſcripſimus in librū Priorum, Inſtitutione) declarat huiuſce rei neceſſitatem.

Id quod uidetur Boëtius innuere uerbis illis:

» Definitio eius q̃d eſt in ſubiecto, de proprio ſubiecto nunq̃; præ-
» dicatur: ut album, quoniam eſt in ſubiecto corpore, prædicatur albi
» quidē nomen de corpore, definitio uerò albi ad corpus nullo modo
» dicitur albū, nāq; uel corpus una ratione utraq; definiri nō poſſunt.

Huc accedit, quòd ſi omne accidens in ſubiecto ineſt, ſubſtantia autem eſt ſubiectū, quæ quidem ſubſtantia differt ab accidente, differt etiam definitio ipſius ſubſtantiæ à definitione accidentis, quòd eadem non poteſt eſſe definitio & ſubiecti, & eius quod eſt in ſubiecto. Itaque (ut ſentit etiam Boëtius) ſic interpretanda uidentur eſſe illa Ariſtotelis uerba, uti nos oſtendimus: aliter enim tolli uidetur prima figura, ut dictum eſt. Nam etſi album corpus eſt etiam diſgregatiuum uiſus, tamen diſgregatiuum uiſus non prædicatur de corpore ſic, ut ſit ipſius corporis definitio. etenim quamuis (ut ait Boëtius) diſgregatiuum uiſus ſit definitio albi, tamen non eſt definitio corporis.

Ex quibus patet, nihil obſtare, quo minus illa ſuppoſitio intelligatur eo modo quo diximus. Multa præterea afferri poſſunt contra ea quæ homo ſcribit: ſed quoniam ex his quæ dicta ſunt, ſatis intelligi licet, quantopere illa probanda ſint, ad alia ueniemus.

SECTIO X.

IN quarto & ultimo ſui libri capite profitetur, ſeſe diſſoluturum eſſe rationes noſtras, quibus oppugnamus ſecundas intentiones. ac poſtq̃; nonnulla dixit, quæ nihil ad rem pertinent, hæc ſubdit:

» Concedimus enim, has intentiones reſpectus eſſe rationis, &
» ut à Logico cōſiderantur: primarum intentionum denominatiuas,
» quæ res ſunt in intellectu poſſibili, ut obiecta exiſtentes abſtracta lu-
» mine intellectus agentis à phantaſmatibus rerum ſingularium, quæ
» ſub ſenſu aliquando ceciderunt. ut uerò uocibus explicantur, do-
» ctiſſimus Boëtius uocabulorum uocabula ea nominauit, denomi-
» natur iſta uox Homo ſpecies, & iſta uox Animal genus. Erras igit̃,

dum

dum putas nihil illis respondere. Pariter assero modos illos necessario possibile contingens denominare ipsos conceptus complexos, quos prolatos enunciationes appellamus, quibus in re sua significata respondere, non est qui dubitet. Quo uerò pacto affectus entis dicantur, & à Metaphysico, & à Logico dispari ratione considerentur, abundè in superioribus explicauimus.

In quibus, præter ea quæ in eius suppositis adnotauimus, multæ sunt difficultates. Nam primùm quidem, si (ut ipse inquit) secundæ istæ intentiones sunt in intellectu possibili, ut obiecta existentes abstracta lumine intellectus agentis à phantasmatibus rerum singularium, quæ sub sensu aliquando ceciderunt: non effictæ sunt ex collatione intellectus possibili obiecti cogniti cum obiecto cognito. LXXXXII.
consequentia enim manifesta est. At secus dixit in tertio supposito secundi tractatus: ergo secum pugnat. ita enim eo loco scripsit, *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Sic etiam apud intellectum suo modo, cum ampliorem quiditatē minus amplæ quiditati confert actu, quem diximus, comparatiuo, aut etiam indiuiduis per eos sensibiles species in interioribus sensibus existentibus, necessario hæc obiecta cognita, & ut inuicem comparata, respectus aliqui, aut etiam relationes insequuntur, qui cum in intellectu sint, & per huiusmodi actum collatiuum oriantur rationis non naturæ aut rei esse dicentur. Hæc igitur, aut relationes rationis, aut secundæ intentiones, aut secundi conceptus, aut secundò intellecta appellata cum obiecta cognita ut sic insequuntur, & in eis ab intellectu sic comparante derelicta fuerint, tales quiditates, siue naturas, siue entitates denominare poterunt.

Ex his igitur uerbis constat, eum uelle secundas intentiones fieri ex collatione intellectus possibilis, comparantis unum aliquod obiectum cognitum ad aliud: ergo à seipso dissidet.

Illud etiam non minorem uidetur habere difficultatem, quod ait: Vocem Homo denominari speciem, & uocem Animal genus.

Nam si species & genus in hac prædicatione, homo est species, animal est genus, accipiatur pro uocibus tantùm, falsum est quod dicit. sensus enim erit, uocem Homo esse uocem species, et uocem Animal esse uocem genus: quæ quidem q̃ absurda sint, neminem latet. Quòd si species & genus in illa prædicatione accipiantur nō pro uocibus, sed pro naturis ijs quas uoces illæ designant, à ueritate etiā recedit, propterea quod sequitur, quod nobis propositum fuit ostendere. Non sunt enim uocabulorū uocabula, ut uocibus explicātur, sed cōceptuum & rerū, ut sunt aliæ uoces, quicquid Boëtius de hac re sentiat. Nā si ita dicat, homo est species, sensus est, naturā humanā quæ significatur per hanc uocē Homo, in re esse in pluribus differentib. numero sic, ut in intellectu ponere liceat, hominē pro prædicato, ac dicere, Socratē esse hominē, item Platonē, & huiusmodi, ꝓpterea quod cōceptus sunt signa rerū, uoces autem ipsorum conceptuum.

Deinde subiungit, falli me, qui existimem nihil illis respondere, quibus tamen ostendi respondere accidens entis. Quòd si quid per

» ſe reſpondeat, hoc non poteſt non eſſe accidens entis, ut probant rationes meæ: ſunt enim communia. ergo ſibi non conſtat, quippe qui cum modo uellet rationes meas refellere, eas hic ueritate coactus cõprobat. Id autem declarant eius uerba: quippe ſuperius conceſſit, ge» nus ut eſt genus, ut dictio, ut quiditatem & formalem rationem ge» neris ſignificat, à Metaphyſico conſiderari. Ex quo planè ſequitur, ut id quod huic generi reſpondeat, non poſſit aliud eſſe, niſi commune quiddam. Genus enim, ut genus, commune quiddam eſt, atque illi reſpondet aliquid: ſed hoc ipſum eſt aut exiſtentia, aut accidens exiſtentiæ. non poteſt autem eſſe exiſtentia, quòd hæc reſpondet enti: ergo neceſſariò eſt accidẽs exiſtentiæ, itaq; entis. ergo cum noſtra ex eius opinione ſequatur poſitio, ſecum ipſe, non mecum pugnat.

XCIII. *ſuæ ipſius opinionis euerſio.*

SECTIO XI.

PRæterea, cum ad ſecundam rationem meam reſpondet, in qua ego ex primo libro Perihermenias hanc ſumo uniuerſalem enunciationem, paſſiones intellectus eſſe ſimilitudines plurium ſingularium,

» Primum, inquit, propoſitionem illam ſic ampliter intellectam » aſſumis, quæ tamen uarias ob rationes falſa exiſtit. ſunt enim multæ » ipſius animæ intellectiuæ paſſiones, quæ non ſunt ſimilitudines re» rum ſingularium repræſentatiuæ. Secundo libro de Anima aſſeruit » Ariſtoteles, iraſci, confidere, deſiderare, ipſius animæ intellectiuæ » paſſiones eſſe, tametſi communes, non proprias, cum non niſi de tali » anima in eo contextu loquatur, cum ſubdat: Maximè autem intelli» gere aſſimilatur propria, & tamen hæ non ſunt ſimilitudines, aut ex» empla riæ ſingularium. Præterea affectus, ſiue boni, ſiue praui, qui » in rationali appetitu exiſtunt, ſunt animæ intellectiuæ paſſiones, qui » tamen non ſunt ſimilitudines.

Ex quibus uerbis facilè intelligi licet, quàm uera ſint ea quæ ſcribit, & cum re de qua diſputatur, coniuncta. Nihil autem ad rem facere, ex eo patet, quod nos loquimur de paſſionibus illis animæ intellectiuæ, de quibus Ariſtoteles 1. lib. Periherm. ubi ait,

» *Quorum autem hæ primò notæ ſunt, eædem omnibus paßiones a» nimæ ſunt: & quorum hæ ſimilitudines, res iam eædem.*

Tota item argumenti mei uis ducitur ex paſſionibus ijs quæ ſemper ſunt rerum ſimilitudines: Quare cum alias ipſe paſſiones afferat, etiam ſi eſſent paſſiones animæ intellectiuæ, tamen nihil ad rem facerent. Sed oſtendamus iam quàm abſurda ſint, quamq; ab Ariſtotelis ſententia abhorreant, quæ ſcripſit, cum dicat, iraſci, confidere, deſiderare eſſe paſſiones animæ intellectiuæ: quæ quidẽ diligenter examinãda cenſemus, ut cum intelligant docti uiri hunc hominẽ in ijs quæ ſatis perſpicua ſint, ita facilè turpiterq; labi, & errare, iudicent, quid in ijs demum faciat, quæ minus aperta ſunt.

Primùm igitur ſic argumentor. Si iraſci, confidere, deſiderare eſſent

ſent paſſiones animæ intellectiuæ,non ineſſent cæteris animalibus: conſequens eſt falſum. nam inſunt cæteris quoq; animalibus : ergo falſum eſt antecedens. Conſequens autem eſſe falſum, patet ex libro de ſenſu & ſenſibili,ubi ita ſcribit Ariſtoteles:

Videntur autem maxima, & communia, & propria animalium communia eſſe corporis & animæ, puta ſenſus & memoria, & ira, & deſiderium, & omnino appetitus, & cum his gaudium, & triſtitia : etenim hæc ferè inſunt omnibus animalibus.

Et ſecundo de Anima, XXVII.

Ineſt autem plantis, alteris autẽ & hoc, & ſenſitiuum. appetitus quidem enim deſiderium, & ira, & uoluntas. Animalia autem omnia habent unum ſenſum tactum. Cui autem ſenſus ineſt, huic & lætitia, & triſtitia, & dulce, & triſte. quibus autem hoc, & concupiſcentia: delectabilis enim appetitus eſt.

Sed animalib. ineſt talis ſenſus, ergo inſunt tales affectus, itaq; paſſiones ſenſus. Sic ex uerbis Ariſtotelis patet, cõſequens eſſe falſum. Apertè etiam conſequentia elicitur ex libro de Memoria & reminiſcentia. Ibi enim oſtendens Ariſtoteles, memoriam non eſſe partis intellectiuæ, ſed ſenſitiuæ,

Memoria autem, inquit, & ea quæ eſt, intelligibilium eſt, non ſine phantaſmate eſt, quare intellectiui ſecundùm accidens utiq; erit. Per ſe autem primi ſenſitiui: unde & alijs quibuſdam ineſt animalium, & non ſolùm hominibus, & habentibus opinionem, aut prudentiam. Si autem intellectiuarum partium eſſet, non utique ineſſet multis aliorum animalium.

Ergo ſi iraſci, cõfidere, & deſiderare eſſent paſſiones animæ intellectiuæ, non ineſſent (ex Ariſtotelis ſententia) cæteris animalibus. Sed inſunt, ut probatũ eſt: igitur nõ ſunt paſſiones animæ intellectiuæ. Quocirca falſum eſt, & cõtra Ariſtotelẽ, quod homo iſte dixit.

Præterea, ſcire iraſci, & confidere, cum ita fert res, eſt uirtutis moralis : ergo non eſt paſſio animæ intellectiuæ. Comprobatur conſequentia uerbis illis 1. Ethicor. lib. cap. ultimo.

Diſtinguitur & uirtus ſecũdùm hanc differentiã. Dicimus enim illas quaſdã eſſe intellectiuas, quaſdã uerò morales: ſapientiam quidẽ & ſolertiam, & prudentiam intellectiuarũ: liberalitatẽ autẽ, & modeſtiam morales uocamus. loquentes enim de moribus, nunq̃ dicimus, quia ſapiens, aut ſolers, ſed quia modeſtus & mitis.

Et initio ſecundi libri,

Cum uerò duplex ſit uirtus, alia intellectiua, alia moralis, intellectiua quidẽ plurimùm ex doctrina generationẽ habet, atq; augmentum: quapropter experientia indiget, atq; tempore. Moralis aũt ex aſſuetudine fit: unde & nomen habet, parumper à more declinans.

Quòd si huiusmodi passiones sunt uirtutis moralis, non possunt esse uirtutis intellectiuæ. Distinguitur enim (ut ostensum est) uirtus moralis à uirtute intellectiua, neque una potest esse in passionibus alterius.

SECTIO XII.

Passiones autem illas esse uirtutis moralis, patet ex Aristotele: nam ex consuetudine existunt. Virtus autem moralis (ut dictum est) efficitur ipsa consuetudine: unde etiam nomen traxit, parumper à more declinans. Comprobatur antecedens uerbis illis,

» *At uirtutes acquirimus operando prius, quemadmodũ et in alijs » artibus. Quæ enim oportet, postq̃ didicerimus facere, ea faciẽdo ad» discimus, ceu fabricãdo fabri, & cytharã pulsando cytharœdi. Sic » agendo ea quæ in cõmercijs hominũ uersantur, uel iusti, uel iniusti e» uadimus, agendoq́; in periculis, & consueta, metuere, aut fidere, for» tes uel timidi sumus. Simili modo in his quæ sunt circa concupiscen» tiam, & in his quæ circa iram, alij temperati & faciles, alij intem» perati & iracundi, prout hoc, uel illo modo in illis sit.*

Sentit igitur Aristoteles, huiusmodi passiones existere ex consuetudine: sunt ergo uirtutis moralis.

Confirmatur id ab Aristotele II. Ethic. lib. cap. V. ubi ait,

» *Post hæc quid sit uirtus, considerandum est. Cum igitur tria sint » quæ in anima sunt, affectus, potentia, habitus, horum certe aliquid » uirtus erit. Affectus quidem uoco, cupiditatem, iram, metum, auda» ciam, lætitiam, amorem, odium, desiderium, æmulationem, misericor» diam, & uniuersaliter illa quæ uoluptas aut molestia sequitur. Po» tentias autem uoco, secundùm quas illa suscipere apti sumus, ueluti se» cundùm quas irasci possumus, aut dolere, aut misereri. Habitus au» tem, per quos bene uel male ad affectus nos habemus, ueluti ad ira» scendum uehementer, aut remisse, male: si mediocriter, bene.*

Deinde post multa subsecutus est,

» *Virtus autem omni arte certior ac melior est, quemadmodum » natura medij quidem erit coniectatrix. Loquor autem de morali. » nam ea uertitur circa affectus & actus: & in his est excessus, defe» ctus, & medium, utputa metuere, audere, & cupere, irasci, misere» ri, & uniuersaliter lætari & dolere magis & minus, ac utraque » non bene: Sed quando, & in quibus, & erga quos, & cuius causa, & » ut oportet, medium, & optimum est, quod profectò est in uirtute. eo» dem modo est in actibus excessus, & defectus, & medium: uirtus au» tem circa actus & affectus uersatur.*

Quòd si uirtus moralis consistit in actibus & affectibus, lætari autem,

tem, & confidere, & desiderare, sunt affectus, atque hæc ipsa sunt passiones animæ sensitiuæ, non enim (ut ostensum est) possunt esse passiones animæ intellectiuæ: longè falli uidetur Iacomellus, ac decipi, qui aliter sentit.

Confirmant hoc etiam, quæ scribit Aristoteles I. lib. de Anima, textu XLII. In ratiocinatiua enim (ut docet ipse) fit uoluntas: in irrationabili autem, cōcupiscentia, & ira: ergo irasci, cum sit partis irrationabilis, non est partis intellectiuæ.

Præterea secū pugnat Iacomellus, cum ait, has esse passiones animæ intellectiuæ, et cōmunes, nō proprias, quo modo ipse loquitur. Nam si ita sentiat, esse cōmunes omnibus animalib. nō sunt propriæ passiones animæ intellectiuæ: igitur à seipso dissentit. Sin autem intelligat, esse communes, animæ scilicet & corpori, non sunt passiones animæ intellectiuæ, cui neque aliud quicquam cum ipso corpore commune est, neque eius passiones. Id quod cōfirmat Auerroës, qui in tertio libro de Anima, cap. I. XCIIII. *Suæ ipsius opinionis euersio.*

Accidentium autem, inquit, cōtingentium animæ, quædam sunt «
(ut existimatur) passiones quæ appropriantur animæ, scilicet quo- «
niam anima non indiget corpore in habendo has passiones, uerbi «
gratia, ut in imaginatione per intellectum. Quædam autem reputan «
tur indigere corpore, & quod non complebuntur, nisi per utrunq;, «
scilicet anima & corpore. & hoc intendebat, cum dixit, Et quædam «
contingunt corpori propter animam, & hæc sunt passiones attribu- «
tæ uirtuti concupiscibili. Vult ergo, passiones illas quæ sunt com «
munes animæ et corpori, esse uirtutis cōcupiscibilis, nō intellectiuæ.

SECTIO XIII.

Quod aūt ex I. lib. de Anima, text. XII. citat, ut opinionē suam cōfirmet, hoc luce clarius cōtra eum facit. Aristotelē enim eo loco nō de Anima solùm intellectiua loqui, sed de anima latius accepta, nemo in dubium uocare potest. Ita homo tantùm quidē abest ab euertenda opinione mea, ut illam etiam cùm maximè cōprobet, tum uerò suam penitus infirmet. Ac ne uideamur loqui sine ratione, recitabimus uerba Aristotelis, quæ hoc satis declarant. Is enim text. VII. primi libri de Anima, *Reflexio argumēti.*

Considerandum autē, inquit, si partibilis, aut impartibilis, et utrū «
sit similis specie omnis anima, aut non. Si autem non sit similis specie, «
utrum specie differant, aut genere. nunc quidē enim dicentes, et quæ- «
rentes de anima, de humana uidetur solùm dicere. «

Ex quibus constat, uelle eum loqui de omni anima.
Deinde cum alia multa dixisset, infert:

Dubitationem autem habent & passiones animæ, utrum cōmunes «
sint omnes, & habentis, an sit & aliqua animæ propria ipsius. hoc e- «
nim accipere quidē necessariū est, non autem leue. uidetur aūt pluri- «
morū quidem nullum sine corpore pati, nec facere, ut irasci, cōfidere, «

 desiderare,

» *desiderare, & omnino sentire, maximè autem assimilatur proprio in*
» *telligere. Si autem hoc phantasia quadam, aut non sine phantasia, non*
» *contingit utique nec hoc sine corpore esse.*

Quæ uerba ostendunt apertissimè, eum loqui etiam de anima sensitiua, cum dicat, & omnino sentire. Idq; eodē loco testatur Auerroës, his uerbis:

» Hoc quod dixit, quòd plures passionum animæ uidentur habere
» cōmunicationem cum corpore, & quod illæ partes animæ quæ ha-
» bent illas passiones, constituuntur per corpus, ut iracundia, & desi-
» derium, manifestum est per se, & maximè in passionibus attributis a-
» nimæ concupiscibili, secundùm quod post dabimus rationem, po-
» stea passionibus sensus, quamuis magis lateat in eis.

Deinde magis hoc ostendens Aristoteles text. XIIII.

» *Videntur aūt, inquit, & animæ passiones omnes cū corpore esse,*
» *ira, mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, adhuc gaudium, et*
» *amare, & odire, simul enim his patitur aliquid corpus.*

Quæ uerba exponens Auerroës, cui tantùm ille tribuit, sic ait:

» Et intendit per passiones animæ dispositiones attributas uirtuti
» cōcupiscibili, corpus enim patitur cum istis: id est, apparet in eo alte-
ratio, & transmutatio. omnis enim passio facta cum alteratione & transmutatione, est in corpore necessariò, aut uirtus in corpore. & cum hæc propositio fuit uera, & etiam quod omnia accidentia animæ concupiscibilis fiunt cum transmutatione, concludetur necessariò, quod hæc anima aut est corpus, aut uirtus in corpore.

Sentit igitur Auerroës, hoc loco Aristotelem loqui de anima etiam, quæ non sit rationalis, præsertim cum hæc subiungat:

» *Si autem sic se habet, manifestum, quoniam passionū rationes in ma*
» *teria sunt. quare termini tales, ut irasci, motus quidē talis corporis,*
» *aut partis, aut potentiæ ab hoc, & gratia huius, & propter hæc.*
» *Igitur iam physici est considerare de anima, aut omni, aut tali.*

Quòd si concludit Aristoteles, physici esse loqui aut de omni anima, aut certe de ea, quæ subaudi est cum materia, ut etiam exponit Auerroës: cōtra Iacomellum facit, quem citat ipse, Aristotelis locus. Multa præterea contra hominis sententiam afferri possent, sed hæc hactenus. Illud etiam (uti probauimus) falsum est, affectus bonos, uel prauos, consistere in appetitu rationali, itaq; esse passiones animæ intellectiuæ.

Deinde hæc subdit:

Neq; si circunspectius eam propositionem assumeres, & non animæ intellectiuæ, sed potentiæ intellectiuæ, dicens iuxta illud Aristotelis tertio de Anima: De parte autem animæ, &c. propositionem illam ueram haberes. quod enim tali parti animæ obijcitur, uniuersale quidem est, cum iam lumine intellectus agentis phantasma illustratum, cōditiones indiuiduas exuerit, & iam ex materiali immateriale

effectum

effectum fuerit, ac per speciem intelligibile repræsentatum. Quo fit, «
ut falsum sit, speciem talem, quam intellectus possibilis recipit, & «
quæ ipsius passio dici potest, esse rei singularis, aut singularium simi- «
litudinem, immò rei uniuersalis, quæ licet intellectus agentis actum «
insequatur, præcedit tamen illum qui est intellectus potentiæ. Hu «
ius rei doctrinam undique in tertio de Anima libello dispersam ha- «
bemus, nec in libro de Interpretatione oppositum Aristoteles dixit, «
immò in prologo primi libri oppositum magis asserere uisus est. «

His uerbis multa uidetur dicere, quæ (meo quidem iudicio) pla- nè refellenda sunt. Nam superuacanea est illa meæ propositionis co- arctatio. nihil enim interest, utrum dicatur anima intellectiua, an po- tentia intellectiua, præsertim cum antè dixerimus passiones intelle- ctiuas, & citauerimus librum Perihermenias. Constat enim, loqui nos de parte animæ quæ receptiua est, non actiua.

Quod autem subiungit, uniuersale esse id quod obijcitur illi par- ti animæ: in eo secum pugnat. Nam si id quod intellectui possibili «
obijcitur, uniuersale est, cum iam (ut inquit ipse) lumine intellectus «
agentis phantasma illustratum, conditiones indiuiduas exuerit, ac «
per speciem intelligibilem repræsentatum, non fit uniuersale ab in- tellectu possibili ex collatione obiecti cogniti cum obiecto cognito. antequã enim obijceretur intellectui possibili, erat uniuersale, quip- pe quod abstractum erat ab omnibus proprietatibus materiæ. Sed superius dixit fieri ab intellectu possibili, postquam perceptum esset: igitur à seipso dissentit. XCV. *Sue ipsius opinionis euersio.*

Videtur item decipi, atque adeò secum pugnare, ubi ait, Speciem quam recipit intellectus possibilis, non esse similitudinem rei singu- «
laris, uel singularium, immò rei uniuersalis. Vult enim esse simili- «
tudinem rei uniuersalis, quod absque dubio falsum est. Nam ex Ari- stotelis sententia, similitudines, quæ sunt passiones animæ, sunt rerũ similitudines, & earũ quidẽ rerũ quæ sunt extra animã. Aliter enim nihil ibi cõcluderet Aristoteles. sed res quæ positæ sunt extra animã, nõ sunt uniuersales, quia in re nòn sunt uniuersalia, ut patet ex VII. Primæ philosophiæ lib. & ex primo de Anima, textu octauo. Ergo similitudines rerũ, quæ sunt passiones animæ, referunt singularia.

Id autem cõfirmat ipse II. tractatu in positione II. ibi enim ait, Cõ «
ceptus esse rerum similitudines, quæ foris existunt, uel existere fingi- «
mus. Sed passiones animæ sunt conceptus, ut ipse etiam concedit: ergo passiones animæ sunt similitudines rerũ quæ foris existunt, uel existere fingimus. At res quæ foris existunt, sunt singularia: ergo ex ijs quæ concessit ipse, sequitur, ut passiones animæ sint similitudines singularium. Quod tamẽ cum superius negauerit, à seipso dissidet. XCVI.

Rursus item secũ pugnat. nã si passio animæ est similitudo rei uni- uersalis, quæ (ut inquit ipse) licet intellectus agentis actũ insequat, «
præcedit tamẽ illũ qui est intellectus potẽtiæ: illa similitudo nõ fit ab «
intellectu potentiæ, præcedit enim (ut sentit ipse) actũ ipsius intelle- ctus. siquidẽ illa similitudo est, anteq̃ intellectus potentiæ operetur,

Cum

Cum autem ex eius sententia similitudo sit similitudo rei uniuersalis,
LXXXXVII. *sue ipsius opinionis euersio.* res uniuersalis praecedit actũ intellectus potẽtiae. Itaq; res uniuersalis nõ fit ab intellectu possibili, cõtrà q; superius dixit: ergo sibi minimè cõstat. Ex quibus omnibus liquidò appatet, falsum esse, doctrinam eam quam ipse posuit, haberi (ut uerbis eius utar) dispersam in tertio de Anima libello, neq; secus inueniri in libro Perihermenias.

SECTIO XIIII.

Deinde haec subiungit,

» Sed si etiã tibi illã gratuitò cõcedamus uerã, uide quantùm etiam decipiaris, ac iniustè tot uiros egregios redarguas, dum colligis, in eo instanti est similitudo plurium singularium, & ex consequenti uniuersale, igitur superuacaneae sunt secundae intentiones. Atq; huius rei deceptio prouenit, quòd cum multis modis accipi soleat uniuersale, tu perinde illo uteris, ac si unicè diceretur. Quod certe te non latere debuit, qui tam audacter Peripateticis contradicis, cum uariè sumi soleat uniuersale, complexè scilicet, quod enunciatio uniuersalis appellatur, quod tum artis, tum scientiae principium esse uoluit Aristoteles secundo Posteriorum libro. Quae scilicet ex plurium singularium conuenientia, ab intellectu potentiae, fauore tamen facultatum sensitiuarum, praeuijs experimentis, memorijsq; plurimis producitur. Atq; incomplexè, quod etiam uariè consideratur: tu tamen uteris illo, ac si unicè diceretur. Pessimè igitur concludis, in eo instanti ponitur uniuersale obiectum intellectus potentiae, ergo frustra ponuntur secundae intentiones.

In his, quibus ille meam de secundis intentionibus opinionem refellere conatũ, multa sunt planè superuacanea. Quid enim distinguendum fuit uniuersale, cum ostendissem ego, ut ex Commentario patet, loqui me de uniuersali eo quod praedicatur de pluribus, quodq; ipsi dicunt fieri ab intellectu potentiae ex collatione obiecti cogniti cum obiecto cognito?

Quod autem subdit, me pessimè ita concludere, In eo instanti ponitur uniuersale obiectum intellectus potentiae, ergo frustra ponuntur secundae intentiones: uidetur concedere antecedens, negare autem consequentiam, quam tamen ex illo antecedente sequi, in dubium uenire non potest. Quis enim dubitet? si in primo instanti, & in prima intellectus perceptione effictum sit uniuersale, quin sequatur, ut non fingatur in secundo instanti, neque in secunda intellectus operatione, quam ipsi collationem uocant, propterea quod illa collatio non fit in primo instanti. Nam in primo instanti percipit intellectus obiectum tantummodo, quod obiectum cum uniuersale sit, non fit ex illa collatione. quòd si non fiat ex illa collatione, sequitur, ut frustra omnino ponantur secundae intentiones, quae ex illa collatione fiant, quippe quae antè factae sint.

Quòd si concedit antecedens, cogitur etiam (ut ostensum est) cõcedere cõsequentiam: qua sanè cõcessa, prgterq; quod nõ rectè dixit, cum

cum illud negaret. Praeterea sibi non constat, cum ex illo anteceden- te, sequatur id quod prius ipse negauerat. Quae autem insequuntur, LXXXXVIII. *Suae ipsius opinionis euersio.*

" Quod uerò in confirmatione attuleras, deriderent Peripatetici, & deceptionẽ tuam prouenisse putarent, quòd nõ distinxeris secundã operationẽ intellectus potentiae ab eius actu collatiuo, unde secũdas intentiones, ut scilicet genus, speciem, differentiã, prima operatione, nõ secunda, nasci faterentur: nõ tamen actu illius primo & recto, sed secundo & collatiuo, propterea tua consequentia absurdissima est. "

Haec nihil planè cõcludunt. nam IIII. lib. Apologiae nostrae satis ostendimus, illã esse secundã intellectus operationẽ: ad quem locum nos reijcimus. Tantùm addimus, intellectũ conferendo inter se obiecta illa cognita operari, cũ esset in instanti proximo operatus. Nã in eodẽ instanti nõ fit, & perceptio similitudinis, & illa collatio. sunt enim duo, id quod ex eius quoque uerbis satis cõstat. Quare cũ intellectus, obiecta illa inter se cõferendo, secundò operetur, illa secũda est operatio, cõtrà quàm tamen ipse dixerat. Quòd si nõ secunda esset operatio, nihil iam inter nos dissentiremus. nam ratio nostra illud ostendit, uniuersales esse illas animae passiones in primo actu intellectus, hoc est in prima eius perceptione, nõ in illa collatione: id quod nobis satis est. ita enim secundae intentiones, si nõ fiunt in secũdo instanti, fiunt in primo. Itaque nõ sunt, quo modo isti dicũt: id quod nobis propositum fuit ostendere. Deinde haec infert, LXXXXIX.

" Postrema etiam ratio tua nullam uim habere uidetur. nam concesso, foetum prius tempore uiuere uita plantae ac animalis, quàm hominis, ac etiam prius esse animal, quàm hominem, & sic prius intelligi animal quàm hominem, & in illo instanti esse uniuersale, in quo non sunt secundae intentiones, non'ne uides quàm malè inferas eas obinde superuacaneas? sunt aũt, aliquid prius esse, quàm factum sit. tales enim consequentiae omnino uanae sunt, ac te, alioquin uiro doctissimo, non dignae. "

Videamus, quid his uerbis sibi uelit. concedit enim antecedens, prius uidelicet intelligi animal quàm hominem, atque in eo instanti uniuersali esse, in quo instanti non sunt secundae intentiones, ut ipsi opinantur. Ponunt enim, eas fieri ex collatione, uerbi gratia, animalis cum homine, qui homo in eo instanti nõ sumitur pro noto sic, ut nequaquam fieri potuerit illa cõparatio. Deinde ait, me malè inferre, secundas intentiones esse superuacaneas, aut prius esse quàm effictae sint, quod planè à ratione abhorret. Nam si concedit, animal esse uniuersale, antequam cõparetur cum homine, non fit uniuersale ex collatione eius cum ipso homine. ergo frustra ponitur, uniuersale ex illa ipsa collatione fieri: quod tamen ipse cum dixerit, secum dissidet. Sequitur etiam, ut prius sit ipsum uniuersale, quàm effictum sit. C. Nam si concedit, id quod nos ostendimus, uniuersale in illo primo instanti esse: Deinde ait, fieri in secundo instanti, prius est quàm sit effictũ, quomodo quidẽ ipse fingi putat. nam in primo instanti est, cum in

secundo

ſecũdo inſtanti fieri oporteat. Non igitur uanæ ſunt (ut inquit ipſe) conſequentiæ meæ, ac me ipſo indignæ.

Quare cum minimè uideatur argumenta noſtra diſſoluere, rectè ponemus, uniuerſalia illa fieri, quo modo in Commentario noſtro docuimus.

SECTIO XV.

POſtremò eſſet, inquit, modo reliquum monſtrare, quo pacto ſola nominum ac uerborum cognitione, quam præſtitit Ariſtoteles in libro de Interpretatione, non potuiſſe Logicum negotium pertractari, ut tu falſo arbitraris. Verùm cum id ex tot à nobis toties repetitis ſatis manifeſtum eſſe poſsit, eoq; potiſsimum, ſi ſpectauerimus, quam cæteri Logici, partiarij, artifices utilitatem ex Prædicamentorum doctrina conſequentur, quæ de uocibus eſt, non ea ratione, ut nominum ac uerborum adhuc rationem ſubeunt, propterea receptui canens id præteribo, præſertim quòd huius rei cauſam Græci, atq; Latinorum plurimi ſufficientem reddiderunt. Neq; tu in Commentariolo adhuc falſam monſtraueris.

Qui rationes eas legerint, quibus oſtendi, neq; decem rerum genera ad Logicum quicq; pertinere, & licere ipſius Logicæ finem aſſequi, ſumpto illius diſcendæ initio à libro Perihermenias: Qui item uiderint, multas alias allatas eſſe rationes à me, quas iſte præterijt, facilè intelligent, nihil aliud homini propoſitũ fuiſſe, niſi ut & aliquid aliquando tandem id ætatis in lucem ederet, & mecum diſsidere uideretur. Aliter enim magis profectò conatus eſſet rationes meas diſſoluere, eaſq; præſertim quibus ego potiſsimùm niterer.

Quod autem ad eius perorationem attinet, qua me acriter reprehendit, illam quidem ego, quòd præter rem eſſet, omittendam duxi: preſertim cum ſperarem fore, ut qui in Interpretum uerba (quod initio dixi) non iurauerint, ſed ipſius Ariſtotelis doctrinam amplectantur, luce clarius perſpiciant, pater'ne filium uerè (id quod profitetur ipſe) an filius patrem redarguerit.

Antonij

ANTONII BERNARDI MIRANDVLANI APOLOGIAE

Liber octauus.

SECTIO PRIMA.

SVPERIORIBVS libris responsum est separatim nonnullis, qui aduersus nostrum Commentarium scripsere: hoc autem libro, ne res in infinitum progrederetur, compluribus simul respondendũ esse, atque Apologiæ nostræ finem faciendum statuimus. Ac tametsi ex eis quæ dicta sunt, & in Cõmentario, & superioribus libris, satis facilè dissolui possent eorum rationes, tamen ne uideremur eos omnino negligere, uoluimus his quoq; summatim aliquid respondere.

Traditus est igitur nobis libellus quidam in publicũ editus, qui inscribitur,

"Prædicamenta in ueterem auxiliatricis disciplinæ locum seruata.

Is autem qui huiusmodi libellum edidit, quodam loco eius epistolæ, quam ad nonnullos scribit, quamq; libro illi præponit:

"Cum uerò, inquit, accuratius uobis (ut par erat) morem gerens, "rem totam acutius inspexissem, leuibus satis rationibus auctorẽ com "motum uobis ostendi, dediq; operam ut uos magis magisq; in ueterum sententiam confirmarem. Porrò autem rationes nostras, quòd "probabiliores uiderentur, colligi conscribiq; efflagitastis. "

Quibus quidem uerbis magna de se pollicetur: quid autem præstiterit, aliorum sit iudicium.

Liber autẽ is quem cõtra nos edidit, nihil aliud habet, nisi ea quæ ab initio Prædicamentorum usq; ad Prædicamentum quantitatis tractat Aristoteles. Vult igitur homo, arbitratu suo exponens, ex illis argumentari, librum Prædicamentorum esse partem Logicæ facultatis: quæ omnia declarant, eum non tam accuratè legisse librum nostrum, quàm ipse in epistola professus est. Nam si diligentius legisset, reperisset, nos postq; alia multa in eandem sententiam disputauimus, ita denique inferre:

"Cum itaque nomina illa sint eius quod est, quatenus est, affectio- "nes, facilè intelligi licet, subiectum & prædicatum, quibus nomini- "bus utitur Aristoteles in Prędicamentis, quibusq; illum ipsum librũ "inscripsit, non ostendere hanc doctrinam, ut multi non rectè (mea "quidem sententia) arbitrati sunt, ad Logicam primò, & per se specta- "re: sed potius declarare, illam pertinere ad Primam philosophiam, "quandoquidem sunt ipsius entis, quatenus est ens, affectus. "

Et quæ sequuntur. Quæ quidem ille si accuratius legisset, aut nostras rationes diluisset, aut certe minus magnificè de sese, glorioséq; scripsisset. Sed quoniam superius, & quarto & quinto huius Apologiæ libro ad omnia quæ dicit, respondimus, ostendimusq; omnia illi

nostræ opinioni fauere, ad eos libros eum reijcimus, ex quibus (ni fallor) poterit perspicere, quàm lōgè à ueritate recedat. multa enim cum dicat, nihil uidetur, aut certe perpauca ostendere.

Quòd si intellexisset, cur Prima philosophia inscripta sit μετὰ τὰ φυσικὰ, haud tantam fidem habuisset librorum inscriptionibus. Sed ut hic liber etiam inscriptus esset ab ea, de qua in ipso agitur, tamen uelle inferre, eum pertinere ad Logicam, nihil aliud est, nisi ostendere, se aut non legisse Primam philosophiam, aut certe eam non considerasse. Hæc enim ipsa decem genera in Prima philosophia inscribuntur Prædicamenta. ac ne longum faciamus, satis argumento erunt, quæ V. lib. ipsius Primæ philosophiæ ita scribit Aristoteles:

" *Per se autem ea dicuntur esse, quæ Prædicamenti figuræ significant. tot enim ipsum esse significat, quot modis ipsa dicūtur. Cum igitur eorum quæ prædicantur, alia quid est, alia quantum, alia ad aliquid, alia agere, alia pati, alia ubi, alia quando significat, ipsum esse idem quoque unum quod illorum significat.*

Decē igitur illa genera Prædicamēta appellat, eaq́ ipsa prædicari dicit: nō tamen ex hoc inferendū est, Primam philosophiam esse Logicam, etsi appellantur Prædicamenta. quæ ideo sic appellant̄, quòd præ cæteris quæ prædicantur, magis ipsa prædicantur: nō tamen in Prædicamentis ostenduntur proprietates eorum, ut prædicantur, etsi quod habent huiusmodi potentiam, sic inscribūtur. Sed hoc ob eam quam attuli rationem, non arguit, illa pertinere ad Logicā, tum quia sic etiam inscribuntur in Prima philosophia, quæ non est Logica: tum quia prædicationes quas isti conficiunt, ut hæc, Homo est substantia, Linea est quantitas, non pertinent ad Logicam, ut & in Commētario, & superioribus libris satis ostensum esse arbitramur. Neq́ item recte uidetur homo dicere, ea quæ tractantur in Antepræ dicamentis, referri ad propositiones, itaq́ ad Logicam: unde enim didicit, hęc referri ad propositiones? Quòd si referrentur, nihil tamē (ut iam toties ostendimus) pertinerent ad Logicam. non enim referri possunt, nisi ipsæ propositiones cōficerentur ex terminis ijs qui sunt in Prædicamentis: sed propositiones quæ fiunt ex simplicibus ijs, quæ ipsi ponunt in Prædicamentis, pertinent ad omnes disciplinas, præterquam ad Logicam, ut ostensum est in Commentario, & superiori libro: ergo si referantur ad propositiones, non sunt partes Logicæ. Ex quibus patet, illum non recte ex eis quæ dixit, inferre, subiectum eius libri non esse ens, quatenus ens, eo modo quo nos superius diximus. Neque uera est ea quam affert ratio, si ens subiectū esset, definiturū fuisse Aristotelem nomē Analogi: itaq́ ipsum ens, quod est Analogum. nam falsum est, ens esse analogum. Quarto enim Primæ philosophiæ libro, textu secundo, ostendit Aristoteles, esse ex æquiuocis ijs quæ dicuntur ad unum.

" *Id autem, inquit, quod est, dicitur quidem multipliciter, sed ad unum, & ad unam quandam naturam, & non æquiuocè dicitur.*

Et

Et paulo pòst:

Non enim solùm eorum quæ per unam rationem dicuntur, una sci «
entia est, sed eorum etiam quæ ad unam dicuntur naturam. hæc enim «
quodammodo una ratione dicuntur. Patet igitur, unius etiam esse sci- «
entiæ ea quæ sunt, ut entia sunt, contemplari. «

Idemq; cõfirmat cùm lib. VII. tex. I. & IX. tum uerò in primis XI. lib. text. IX. Ens autem si est ex ijs quæ dicuntur ad unum, non esse analogum, ex eo perspici potest, quod I. Ethic. lib. cap. VII. ita scribit Aristoteles, quem locum superius etiam VI. lib. citauimus:

Honoris autem & prudentiæ, & uoluptatis, aliæ, atq; diuersæ «
sunt rationes, qua bona sunt. Non est ergo bonũ commune aliquid se- «
cundùm unam ideam, quemadmodum ergo dicuntur. neq; enim similia «
uidentur his quæ fortuitò æquiuoca sunt, sed uidelicet ex eo quia ab «
uno sunt, aut quia ad unũ cũcta cõterminant, uel secũdùm potius ana «
logiam: ut enim in corpore uisus, in anima mens, et aliud certe in alio. «

Ex quibus uerbis facilè cõstat, ea quæ dicuntur ad unum, distingui ab eis quæ dicuntur secundùm analogiã. Quòd si ens (ut patet) est ex eis quæ dicuntur secundùm analogiam, nullũ est igitur hominis argumentũ. Quin potius licet contrariũ inferre, quia ens est subiectum, Aristotelem definiuisse æquiuoca, propterea quod ea quorum idem est nomen, ratio autẽ substantiæ diuersa secundùm illud nomen, nõ modo sunt æquiuoca fortuitò, sed æquiuoca etiam quæ dicuntur ad unum, & ab uno, & secundùm analogiã, quibus respondet una natura accidentalis, nõ substantialis. Vel certe illud dici potest: Si ens esset analogum, quod tamen falsum est, nomine æquiuocorum cõprehendisse Aristotelẽ analoga: id quod uidetur innuere optimus facilè inter Græcos interpretes Alexander, in IIII. Primæ philos. lib. Com. II. cum de natura entis loqueretur, cuius hæc sunt:

Sed huiusmodi naturam alio quidem in loco communius sub æ- «
quiuocis statuit, hic autem accuratius partiendo, ab æquiuocis dis- «
crepare ait, ac discrimen exponit. «

Et Boëtius, uti eorum etiam auctoritate utar, quos ipsi sequuntur:

Aequiuocorũ, inquit, alia sunt à casu, alia consilio. & ea quæ sunt «
à consilio, alia sunt secundùm similitudinem, alia secundùm propor- «
tionem, alia ab uno, alia ad unum. «

Quibus quidem uerbis duo uidetur Boëtius ostendere. alterum, ea quæ dicuntur ad unum, differre ab ijs quæ dicuntur secundùm analogiam: alterum, omnia ista comprehendi sub æquiuocis, si quidem distinguit æquiuoca. Quòd si æquiuoca comprehendũt etiam ea quæ dicuntur ad unum, idq; ex ipsius Boëtij sententia, illud uidetur dici posse ex eiusdẽ Boëtij opinione, definitionem eorũ quæ dicuntur ad unum, itaq; ipsius entis, cõtineri definitione æquiuocorũ. Multa præterea subiungit homo iste, quæ ex eis quæ dicta sunt in Commentario, & superioribus libris, facilè constat esse falsa.

SECTIO II.

QVòd autem in Prædicamento substantiæ sunt quidam termini, quos putant pertinere ad Logicã, in cæteris uerò prædicamentis non reperiuntur huiusmodi termini, accipiunt isti solum prædicamentum substantiæ, non animaduertentes, eandem esse rationem in omnibus prædicamentis. Sed quoniam ad ea quæ iste hoc loco scribit, satis respõsum est superioribus libris, ac præcipuè lib. III. nihil hic præterea dicemus.

Sensum etiam illum, quo uidetur iste exponere uerba Aristotelis quarto Primæ philosophiæ libro, ubi ait,

" *Metaphysici esse agere de genere & specie, de priori & poste-*
" *riori, & huiusmodi cæteris:*

Nullum esse, ex eo intelligi potest, quòd Aristoteles scribit, illa esse affectus entis, quatenus est ens, ac propterea pertinere ad primũ philosophum. Nam si pertinent ad primũ philosophum, quia sunt affectus entis realis (ens enim, ut ens, reale est) uerè sunt entia, ut ipse etiã fatetur, & ubiq;. aliter enim falsum esset illud Aristotelis, quod iam citauimus. Quòd si ubique sunt entia, non tractantur alio loco, ut sunt realiter entia. Nam si alibi ostendit Aristoteles, genera & species non esse substantias: id facit contra eos, qui asserebant illa omnibus modis esse extra animam, ut qui ponebant ideas. Genera enim & species, ut talia sunt, posteriora singularibus. Non tamen negat Aristoteles, ea aliquo modo esse extra animam, ut quæ sumuntur ab his quæ sunt extra animam, eaq; ipsa significant, non indicarent naturas eorum quæ sunt extra animam, ac scientiæ quæ sunt de uniuersalibus, essent falsæ. Hæc enim propositio, homo est animal, falsa esset, nisi genera & species aliquo modo essent extra animã. Nam ex eo quod res est, uel non est, dicitur oratio aut uera, aut falsa. Voces autem, Genera & species, cum sic inuestigat Aristoteles, intelligere eum hominem, animal, substantiam, lineam, colorem, & reliqua quæ ad quanque scientiam pertinent, in dubium uenire non potest. Voces enim, genus & species, huiusmodi omnia significant, siquidem hæc sunt quæ nominãtur genera & species. Nam genus & species (ut scribit Aristoteles) sunt affectus entis. Quemadmodum igitur ens dicitur de omnibus ijs quæ sunt, ita etiam eius affectus qui insunt aliquo modo in re, ut ipsum ens, etenim ens quoque, ut ens, uniuersale est. est enim subiectum Primæ philosophiæ. Patere igitur arbitror, si recte considerentur ea quæ & hoc loco, & superioribus libris à me dicta sunt, hanc istius hominis interpretationem, multaq; alia quæ in eandem sententiam scribit, minimè esse probanda. Ac quoniam omnia quæ iste disputat, aut iam dissoluta sunt, aut certe ex nostris libris, si diligentius attendantur quæ disseruimus, facilè dissolui possunt, ut nostra aliquando terminetur oratio, ad ea quæ scripserunt alij, ueniemus.

Sectio

SECTIO III.

AC primùm quidem Vbaldino Bandinello, uiro ſanè eloquenti, reſpondebimus: multa tamē quæ ille probabiliter, atq; oratoris potius quàm philoſophi more diſſerit, omittemus. Nobis enim propoſitū eſt, quoad eius quidem facere poſſumus, rationibus tantūmodo demōſtratiuis agere.

Quod igitur me accuſat, aitq; me à rerum natura, atque à me ipſo « diſcrepare, propterea quod in ea epiſtola, quam ad Alexandrum « Farneſium Cardinalem ſcribo, quamq; meo libro præpono, polli- « cear, me rationem redditurum, cur in tradenda Logica Categorias « omiſerim, in procemio uerò tantummodo mihi propoſitum eſſe di- « xerim, oſtendere, doctrinam quæ habetur libro Categoriarum, ex « Ariſtotelis ſententia, non eſſe partem Logicæ facultatis: Tantùm « (meo quidem iudicio) abeſt, ut à me ipſo, & à rerum natura diſcrepem, ut etiam rectè aliter facere non potuiſſe uidear. Nam cum in epiſtola pollicitus eſſem, me redditurum rationem, cur in tradenda Logica Categorias omiſiſſem: huius autem rei illa eſſet ratio, quod Categoriæ non eſſent partes Logicæ, ut rationem redderem, cur in illa ipſa doctrina tradenda Categorias omiſiſſem, neceſſe habui oſtendere, ipſas Categorias non eſſe partem Logicæ. Rectè igitur in procemio poſt epiſtolam dixi, propoſitum mihi eſſe, ut (quantum per me fieri poſſet) oſtenderem, eam quæ habetur in libro Prædicamentorum doctrinam, ex Ariſtotelis ſententia, non eſſe partem Logicæ. ex hoc enim ſequitur, ut reſpondeatur ad id quod ampliſſimus patronus meus quæſierat. Quod quidem ita eſſe, hinc facilè intelligi licet, quod poſt exordium hæc intulimus uerba:

His ita cōſtitutis, ad id quod quærebatur reſpondemus, nos ideo « nullā feciſſe mentionem eorum quæ pertractantur in eo libro quem « Prędicamenta inſcripſit Ariſtoteles, quòd non ſine optimis fortaſſe « rationibus in hanc diſceſsimus opinionem, ut ea ab his quæ in hac fa « cultate traduntur, planè remota alienaq; eſſe arbitremur. «

Luce clarius hoc idem perſpici poteſt ex eis quæ poſt ipſum epilogum ita ſcripſimus.

Non ab re igitur interpretaturi nos artem Logicæ, cuius munus « eſt tradere regulas conficiendi inſtrumenta, quibus inſtrumentis eo « rum quæ dubia ſunt, cognitionem aſſequi poſsimus, à libro Periher « menias, omiſſa ea quæ habetur in libro Prædicamentorum doctri- « na, initium docendi duximus. «

Quare ſi homo iſte, quæ à me ſcripta ſunt, paulo diligentius conſideraſſet, haud illi profectò uiſus eſſem à me ipſo, & à rerum natura diſcrepare: in eis præſertim rebus, in quibus tota res aliter breuius cōmodiusq; expediri nō potuit. Cum enim de me quæſiſſet ampliſſimus patronus meus, quare in tradenda illa doctrina omitterē librū Categ. ego aūt reſpondiſſem, id à me idcirco fieri quod nō eſſet pars Logicæ: cumq; hoc eſſet dubium, pollicerer me oſtenſurū eſſe: haud ſanè intelligo, quemadmodū rectius ad id quod quæreretur, reſpon

deri potuerit. Quanquam illud prætereo, non addidisse me uocem tantummodo, quam ponit ipse: quæ etiam si addita esset, tamẽ nihil contra nos faceret, ut ex eis quæ dicta sunt, perspicuum esse potest.

Quòd uerò subiungit, minus me reprehendendum fuisse, si Logicam & Dialecticam eandem posuissem: nunc uerò cum tam multis uerbis eas distinxerim, caputque illud quod exordium appello, totius causæ quasi fundamentum fecerim, satis sese mirari non posse: nõ uidisse me etiam, si hoc posterius probassem, me tamen neque promissum præstitisse, neque officio meo defunctũ esse. Nam si quis, inquit, hoc cõcesserit, nõ esse Categorias Logicæ partem, nihil tamen erit actum: concedet enim, si libuerit, idem ille, si minus Logicæ, at Dialecticæ partem esse.

Hæc uerba summam mihi attulerũt admirationem. Quid enim? cum ponam, Logicam & Dialecticam inter se distinctas esse, cumque traditurus Logicæ artis cognitionem, Categorias statuam non esse partẽ Logicæ, etiam si essent partes Dialecticæ: cum dixi, me in Logica tradenda omisisse ipsas Categorias, propterea quod non sunt pars Logicæ, idque ostendi, non promissum præstiti, & officio meo defunctus sum? haud enim propositum mihi fuit, Dialecticam interpretari. quanquam existimo etiã me apertissimè ostendisse, Categorias nõ esse partẽ Dialecticæ, cum docui, illas ad Primã spectare philosophiã, & quid esset Dialectica, quos'ue haberet affectus demõstraui. Quod uerò ita subdit,

Quæ cum Logica ita sit affinis, ut uel ipsius Antonij testimonio, & Perihermenias, & Analyt. 1. lib. cõmunibus præceptis instituantur, imperitè fecisse, qui res natura copulatas sua præceptione diuellere, ac distrahere conatus sit: Magis ille quidẽ uidetur imperitè fecisse, qui sine ratione res natura distinctas copulare uoluerit, quàm qui easdem illas res natura distinctas diuellere ac distrahere conatus sit. Quòd si neget, hoc à me rationibus ueris factum esse, diluendæ ipsi quidem fuerant meæ illæ rationes, quibus hanc ego distinctionem ostendi. quod cum minimè fecerit, non'ne ipse magis imperitè, quàm ego, fecisse existimandus est, qui quidẽ id prætermiserit, quod ud omnium maximè necessarium fuit?

SECTIO IIII.

DEinde multa subiungit, quibus conatur ostendere, Categorias esse utiles, neque omittendas fuisse, easque oportere præcedere. Atque in primis contra me utitur eorũ auctoritate, quos superius dixit à me negligi: quos tamẽ, etiã si tanti facerẽ, quanti quidẽ facio, hoc est plurimi, tamen nihil hoc ad rem. nõ enim docet, si nõ sunt partes, neque Logicæ, neque Dialecticæ, cur debeant præcedere: siquidẽ nõ dissoluit rationes meas, quibus ostendi tantum abesse ut ex maiori sint usui Logicæ, quàm Primæ philosophiæ, ut minorẽ illi etiam utilitatẽ afferant. In Prima enim philosophia sunt omnes definitiones quæ sunt in Logica, eiusque exemplis frequen-

frequentissime utitur ipsa Logica: quemadmodũ etiam reliquarum artiũ. Quòd si propter utilitatẽ Categoriæ debent præcedere Logicam, cæteræ item facultates ob eandã causam debent illã præcedere.

Præterea, quod ait Prolegomena non esse omittenda, cum tamẽ non sint partes illius, cuius sunt Prolegomena, cum uoce Prolegomena (ut ex eius dictis facilè constat) nihil aliud possit accipere, nisi procemia, non uideo quorsum hæc spectent. Procemia enim omitti possunt, quippe quæ ea pertractant quæ sunt præter rem, ut ostendit Aristoteles primo Rhetor. libro, his uerbis:

Quæ cũ sic se habẽt, patet, cũ de exordio, narratiõe, cæterisq; particulis, quid habere debeant præcipiũt, aliena, remotaq; ipsos præcipere. nihil enim aliud ij agunt, nisi ut iudicem quomodocũq; afficiant.

Possunt ergo omitti procemia. sed ut non omittantur, uideamus quæso, num ex Aristotelis sententia, Prædicamenta sint procemia Logicæ. Is igitur tertio Rhetor. libro de exordio loquens,

Exordium ergo id, inquit, proprium opus est maximè quàm necessarium finem ostendere ipsum, cuius gratia oratio habetur. Quare si patet, & res parua sit, non est utendum exordio. cætera uerò genera quibus utuntur, communia sunt, quæ uel ab ipso dicente ducuntur, uel ab auditore, uel à rebus, uel ab aduersarijs.

Quòd si procemia sunt ea quæ dicit Aristoteles, haud sanè fieri potest, ut Prædicamenta sint procemia Logicæ: quippe quæ nihil eorũ præstant, quæ scribit Aristot. procemia ipsa pręstare. Multa præterea in eandẽ sententiam disputat Bandinellus, quæ idcirco nos omittenda duximus, quòd neq; uera esse nobis uiderentur, neque ad rem quicq; facere. Non enim ob illam unam causam Categorias omisimus, quod non essent partes eius facultatis, quam nobis in præsentia propositum esset interpretari.

SECTIO V.

DEinde me eo nomine reprehendit, quod in procemio ita dixerim,

Cum hoc autem medium, aut instrumentum, ut nemini dubium esse debet, sit definitio, & syllogismus, uel Demonstratiuus, uel Dialecticus: quod hæc inquam dixerim, reprehendit me homo, aitq;, hoc neq; esse disputare, neq; docere, sed imperare, maximè in re dubia.

Verùm si paulo accuratius legisset, quæ subiũxi, eaq; percepisset, haud ita profectò exclamasset. statim enim hæc subdidi:

Omnia enim tribus his omnino instrumentis cognoscuntur. nam quid est definitione tantum discitur: in eo enim non dicitur aliquid de aliquo. Si est, quale est, & propter quid est, demonstratione & syllogismo Dialectico.

Quòd si omnia quæ dubia sunt, quæq; possũt cognosci, tribus his (ut ostensum est) instrumentis cognoscuntur, nõ sunt plura instrumenta. nam aut superuacanea essent, cũ nihil ijs posset cognosci: aut

Digitized by Google

unius rei, quatenus una est, plures essent scientiæ: quod quidē (ut patet ex II. Poster. lib.) fieri nullo modo potest. Nō ergo dicendū est, sine ratione id à me prolatum esse: quod quidem ratio demonstratiua comprobat. neq; enim quisquam est qui negare posit, definitione sciri quid est, hoc enim ipsius definitionis definitio declarat. siquidem definitio dicitur esse ratio, quæ explicat quid est: etsi multi existimarunt, non pertinere ad Logicam tradere eius regulas. Illud igitur prȩter rem scribit, neminem nescire quanta sit controuersia inter homines doctissimos, quatenus definitio ad Logicam pertineat.

Quod uerò de inductione ait, satis ad hoc responsum est uerbis illis:
» Nam cætera quæ uidentur cognoscendi instrumēta, ad hæc duo
» sunt omnino referenda. Id quod cōfirmatur ea quam demonstrauimus ratione. Aut enim superuacanea essent: aut unius rei, quatenus una est, plures essent scientiæ. Quod item cōprobant ea quæ primo Rhetor. lib. scribit Aristoteles, ostendēs nihil inter se differre enthymema, syllogismum, exemplum, inductionem. cuius hæc sunt:
» *Enthymema quidem syllogismum Rhetoricum, exemplum uerò*
» *Rhetoricam inductionem. omnes autem fidem faciunt demōstrando,*
» *uel exempla dicendo, uel enthymemata, & præter hæc penè nihil.*
» *Quare si omnino necesse est syllogismo, uel inductione, quodcunque*
» *ostendere, ut à nobis in Resolutiuis expositum est, necessariò alterū*
» *ipsorum alteri idem erit.*

Quod uerò dicit Aristoteles, omnia uel syllogismo, uel inductione cognosci, hoc intelligendū est de complexis. aliter enim prȩterq; quod falsum esset, præterea ab ijs discreparet quæ alibi scripta reliquit. Nam quid est, neq; inductione, neq; syllogismo sciri potest, ut II. Poster. lib. tradit ipse Aristoteles. loquens enim de ipso quid est,
» *Nec sicut inducēs, inquit, per singularia, cū manifesta sint, quoniā*
» *sic, nō aliter est. nō enim quid est demonstrat, sed quoniā est, aut nō est,*
Primo Metaphys. libro,
» *Omnis tamen disciplina per antea nota, aut omnia, aut aliqua fit,*
» *& aut per demonstrationem, aut per definitiones efficitur.*
Vult ergo, definitione perdisci aliquid. & lib. VII. text. XLII.
» *Quòd si demonstratio necessariorū est, & definitio ad scientiā at-*
» *tinet, fieriq; nō potest, ut aut demōstratio, aut definitio sit eius quod*
» *aliter se habere potest, sed est dūtaxat opinio: quemadmodum neque*
» *scientia interdum ignoratio esse potest, sed id ipsum est opinatio, pa*
» *tet neq; definitionem, neq; demonstrationem ipsorum esse.*

Cum igitur sentiat his locis Aristoteles, definitionē efficere scientiam, necesse est, uel à seipso disideat, & II. Priorum libro, & primo Posteriorum, & sexto Ethicorū, ubi dixit, omnia sciri demōstratione, aut inductione: & in Prima philosophia, ubi addidit definitione. uel hic sit sensus, ut quemadmodū ipsi demonstrauimus, de ipsis cōplexis intelligatur. Argumētor ergo sic. Omnia siue sint complexa,

siue

siue incomplexa (ut 1. Rhetoricorum libro tradidit Aristoteles, & à nobis superius ostensum est) sciuntur syllogismo & definitione: igitur necessariò quæcunque scientiam efficiunt, sunt idem quod syllogismus & definitio. sed inductio non potest esse idem quod definitio, ut docet Aristoteles secũdo libro Posteriorum, loco citato. ergo est idem quod syllogismus. Itaque perperam iste nos reprehendit. Quod etiã comprobant ea quæ II. Prior. lib. ita scribit Aristoteles:

Quoniam autem non solum Dialectici, et demonstratiui syllogismi fiunt per prædicatas figuras, sed etiam Rhetorici, et simpliciter, quæcunque fides est, & secundum unamquanque artem, nunc erit dicendum. omnia enim credimus, aut per syllogismum, aut ex inductione. ergo inductio quidem est, & ex inductione syllogismus, per alteram extremitatem, alteram medio syllogizare. "

Redigit ergo Aristoteles inductionem ad syllogismum. quod nisi faceret, falsa essent quæ eo ipso loco tradidit. esset enim aliqua fides complexa, quæ non fieret per unam aliquam trium figurarum. ac tametsi principia cognoscantur per inductionem, necesse est postmodum redigatur ipsa inductio ad syllogismum. id quod docet Aristoteles & loco citato, & paulo pòst his uerbis:

Est aũt huiusmodi syllogismus primæ & immediatæ propositionis. quarũ enim mediũ est, per mediũ est syllogismus. Quarũ ergo nõ est per inductionẽ, & quodammodo opponitur inductio syllogismo. Nam hoc quidẽ per medium extremũ tertio ostendit, illa autem per tertium extremũ medium. ergo natura prior & euidentior syllogismus, qui per medium: nobis autem manifestior, qui per inductionem. "

Constat igitur, inductionem omnino redigi ad syllogismum. Cum uerò ita subdit:

Aut si ea de causa fuit inductio prætereunda, nihilominus definitionem præteriri oportuit, quam sæpe uidemus partem esse syllogismi, quia I. Poster. dictum est, definitionem esse principium demonstrationis, uel ipsam demonstrationem positione differentem. "

Longè (meo quidem iudicio) fallitur. nam definitio, ut definitio, & ut docet ipsum quid est, non potest referri ad demonstrationem. In Poster. enim tradidit Aristoteles, eam non significare, rem esse, aut non esse: neque ita se habere, ut totum, uel partem: neque in ea esse aliquid de aliquo, quemadmodum in demonstratione. Quòd si dicat Aristoteles, illam esse principium demonstrationis, id est causam, quod potest esse principium, postquã facta est propositio. Sed hanc rem nos & V. huius Apologiæ libro, & in Institutione, quam in primũ librum Posteriorũ conscripsimus, fusius explicauimus. Si ergo definitio, ut definitio, est instrumentum sciendi quid est, neque potest redigi ad demonstrationem: inductio autem, ut inductio, redigitur ad ipsam demonstrationẽ latius sumptam, nõ sine ratione omisimus nos inductionem, definitionis uerò meminimus.

Qui

Qui ergo poſuerunt unum tantùm cognoſcendi modũ, hos errare; perſpicuum eſſe arbitror. tollunt enim definitionem, quæ eſt oratio, qua ſcitur ipſum quid eſt: quod quidem perdiſci non poſſe demonſtratione, ex ijs quæ II. Poſteriorum libro diſputat Ariſtoteles, luce clarius intelligi licet: & ab Ariſtotele diſſentiunt locis citatis. Quòd ſi plures ſunt cognoſcendi modi, ut quidem ſunt, patet eos magnopere eſſe reprehendendos, qui (ut homo iſte) ſentiunt, inductionem & definitionem pari cauſa eſſe cognoſcendi inſtrumenta.

Præterea oſtendi ego, neceſſe fuiſſe unam aliquam artem inueniri, quæ doceret conficere inſtrumenta cognoſcendi, quibus conficiendis facilè errarent homines. id quod ſatis ex eo conſtare uidebatur, quòd huiuſmodi inſtrumenta unius eſſent generis. ſunt enim orationes, quibus cognoſcimus ignota: ad quam autem facultatem ſpectat genus, ad eandem ſpectare ſpeciem, neminem latet. Quis enim eſt, qui neſciat, ad quam facultatem ſpectat animal, ad hanc ipſam ſpectare hominem, & aſinum, & reliquas animalis ſpecies? Quòd ſi oſtendimus, neceſſariò tradendam fuiſſe artem aliquam, quæ doceret conficere ea quæ memorauimus, cognoſcendi inſtrumenta, atque hæc ipſa inſtrumenta tacitè demonſtrauimus eſſe eiuſdem generis: haud ſanè dubitari potuit, quin eſſet una facultas, quæ inſtrumenta illa doceret. Quòd ſi hoc aliqui dubitauerũt, nihil ad nos, qui eam quam diximus rationem tacitè reddidimus. Non enim neceſſe eſt in procemijs ponere omnia. etenim quot plerunꝙ ſilentio præterit Ariſtoteles, quæ tamẽ omnino ſubaudienda ſunt? quanꝙ nos rationem illam nõ apertè poſuimus, quòd ſatis per ſe illud cõſtare uideretur, unam eſſe facultatem, quæ horũ omnium inſtrumentorũ, quæ quidẽ eiuſdem eſſent generis, regulas traderet, ut V. huius Apologiæ lib. abundè nos oſtendiſſe arbitramur.

SECTIO VI.

QVod autem ſcribit,

» Inniti definitionem intelligentia, demonſtrationem
» cogitatione:

Videtur concedere, definitionem eſſe inſtrumentum ſciendi, quod tamen ſuprà uiſus eſt negare.

Deinde ait,

» Me circulo uſum eſſe.

Sed uideamus, quo modo. Ego igitur ex ea qua tenentur homines, cupiditate ſciendi quæ dubia ſunt, quæꝙ ſciri licet, oſtendi neceſſariò quærenda fuiſſe media illa, quibus medijs id conſequi poſſent quod uellent. Hæc autem docui, tria omnino eſſe inſtrumenta. Definitionem, demonſtrationẽ, ſyllogiſmum Dialecticum: quibus quidem inueniendis & conficiendis cum erraremus, ex eo intuli, neceſſe fuiſſe, unam aliquam artem inueniri, quæ horũ inſtrumentorũ regulas traderet. Quòd autem tria erant quæ hac una arte docenda eſſent, ne quis fortè exiſtimaret, omnia tria illa eſſe ſubiectum eius,

oſtendi

ostendi hanc facultatem habere unum tantùm subiectum. Deinde demonstraui, quodnam esset hoc subiectum.

Ostendere igitur, necessariò inueniendã fuisse unam aliquam artem, quæ traderet regulas trium illorum instrumentorum, quòd in his conficiendis facilè errari posset: deinde fieri non posse, ut tria illa instrumenta simul sint eius ipsius artis subiectum. illam enim habere unum omnino subiectum, quod est tribus illis commune: non uideo quomodo hoc sit ostendere in orbem. Ex eo enim quod omnia illa sunt instrumenta cognoscendi, sequitur, ut una sit facultas. Ex hoc autem quod una est facultas, non infertur, illa esse cognoscendi instrumenta, sed illam ipsam facultatẽ unum habere subiectũ. Non utimur ergo circulo. neq; enim in demonstrando ab eodem ad idem reuertimur, quanq; aliquando cõceditur circulus. Sed de hac re nõ est hic disputandi locus. Quædam uerò alia subiũgit, quæ quoniam ex eis quæ dicta sunt, apertè dissoluuntur, missa fecimus.

Quod autem scribit,

Me modo enumerasse definitionem & syllogismum, deinde mutata sententia pro syllogismo demonstrationẽ reposuisse, de quibus modus cognoscendi diceretur: "

Ego quidem non mutaui sententiam. cum enim dixi, modum cognoscendi dici de syllogismo, nõ potui intelligere de syllogismo simpliciter, quia per illũ nihil cognoscit, sed Demonstratiuo & Dialectico, ut paulo pòst declaraui. Sed iste quidem facit, Aristotelem mutasse sententiam, cum citat locum illum 1. Poster. libri,

Siquidem addiscimus, aut per demõstrationem, aut per inductionẽ. "

Quippe qui lib. II. Priorum ita dixerat,

Omnia enim credimus, aut per syllogismum, aut per inductionem. "

Et sexto Ethicorum libro, capite quarto,

Doctrina omnis ex antecognitis, ut in Resolutiuis diximus. Nã aut per inductionem, aut per syllogismum. "

Et primo Primæ philosophiæ libro:

Omnia addiscimus, aut per demonstrationem, aut per definitionẽ. "

Eo igitur loco quem citauit Bandinellus, cõiungit Aristotelis demonstrationẽ cum inductione. in his aũt quos ego recitaui, syllogismum cum inductione, & demonstrationẽ cum definitione. Quòd si ego reprehendendus sum, qui id fecerim: non minus sanè reprehendendus uidetur esse Aristoteles, qui hoc idem prius fecerat. Sed neq; ego sum reprehendendus, qui paulo pòst quid mihi uellem, ostenderim: neq; Aristoteles, qui modo loquens de uera scientia, tam cõplexa, q̃ incõplexa, numerauit cũ definitione demõstrationem: modo de cognitione tantùm cõplexa, cõiunxit cũ syllogismo inductionẽ, intelligens syllogismũ demonstratiuum & dialecticũ. syllogismus enim simpliciter nullã tradit cognitionẽ. Alio loco spectãs ad cognitionẽ necessariorũ complexorũ, cõnumerauit demonstrationẽ & inductionem: itaq; alia, cum ad aliud spectaret, enumeratione usus est.

Sectio

SECTIO VII.

TAntum uerò abest, ut negauerim ego, modum cognoscendi generatim prædicari, ut planè contrarium asseruerim. Dixi enim, modum cognoscendi tantummodo esse subiectum, quia uniuersaliter comprehenderet omnia cognoscendi instrumenta: prædicari tamē æquiuocè ad unum, propterea quod definitio natura est prior demonstratione. Priori autē & posteriori (ut I. Ethic. lib. cap. VII. & I. Primæ philosophiæ lib. docet Aristoteles) nō respondet ulla cōmunis natura substantialis: Cum uerò sic infert,

„ Erit ergo princeps ex ijs unus, quod per se consideratur, alterum uerò propter illud: hoc esse falsum, intelligent ij qui scient, ens hoc modo dici de decem generibus, & corpus naturale de corpore corruptibili & incorruptibili, & numerum de dualitate & trinitate, & cæteris posterioribus numeris, tamē & cætera prædicamenta, & corpus corruptibile, & cæteros numeros per se considerari, etsi non ita principaliter. semper enim magis principaliter cōsideratur id quod prius est, atq; eius ipsius magis propriè est scientia.

Cum Aristoteles autem II. Poster. lib. dixerit, definitionem priorem esse demonstratione, & ab ea sumi, ut explicat substantiam, quæ est prior accidentibus, quorum cognitionem tradit ipsa demonstratio, & esse nobiliorem, ex eaq; fieri demonstrationem: cum tamen amisit naturam definitionis, nullum potēst de ijs commune æquiuocum prædicari: neq; item æquiuocum aliquod ex ijs quæ dicuntur fortuitò, horum enim non est scientia: neq; ex ijs quæ dicuntur analoga. Reliquum est igitur, ut quod prędicatur, æquiuocum sit ex ijs quæ dicuntur ad unum. Itaq; rectè à nobis dictum est.

SECTIO VIII.

QVod uerò ait,

„ Me, cum modum cognoscendi æquiuocū statuerim, negare illum definiri posse: equidem satis mirari nō possum. quî enim negarem, modum cognoscendi definiri posse, quem ego definirem? illum quidem dixi non definitum esse in Logica, propterea quòd cum statuissem, illum ipsum cognoscendi modum esse Logicæ facultatis subiectum, cumq; scirem illud ab omnibus pro comperto haberi, subiectum cuiusq; facultatis definiri oportere: hoc autem quod ipse statuerem Logicæ subiectum, definitum non esse: dixi, nihil tamen obstare quo minus esset subiectum. Satis enim illud esse, si definitio eius colligeretur ex definitionibus specierum, id quod secundo Posteriorum libro, capite octauo, docuit Aristoteles interdum fieri.

Quod autem dixi, modum cognoscendi esse orationem, acerbius iste me reprehendit, itaq; ait:

„ Sensus enim, id est ipsa sentiendi actio, modus est cognoscendi,
„ nec tamen oratio, non igitur omnis modus cognoscendi est oratio.

Sed

Sed ipse quidem magis uidetur esse reprehendendus, quippe qui ad pauca spectans, facillimè enunciat. Non enim ego dixi, omnē modum cognoscendi esse orationem, sed eum modum, qui de syllogismo, & definitione diceretur. Quanquam si hoc etiam dixissem, nihil peccassem. nam propriè sensus magis est potentia, quàm modus cognoscendi, quomodo quidem nos cognoscendi modum appellamus. est enim æquiuocus. Sed ex eis quę dixi, quemadmodum ipse intelligerem, facile constat.

Quod uerò scribit:

Me meam ipsius opinionem confutasse, qui suprà eodem capite, de hoc eodem subiecto loquēs, negauerim, id orationem esse posse: ac cur non posset, rationem attulerim. itaq; sese mirari decem ad summum uersiculis, non sentire, me non solùm pugnantia, uerùm etiam (quod multo maius est) negantia esse locutum. "

Vter nostrum magis mirari debeat, iudicent ij, qui uerba mea legerint. Nam ego negaui id, quod ostendunt rationes eæ, quas illo ipso loco attuli, orationem simpliciter, quomodo quidem definitur in libro Perihermenias, esse subiectū. deinde statui, modum cognoscēdi esse subiectum: qui quidem est oratio non simpliciter, sed qua cognoscimus ignota. Qui igitur dicat, orationem simpliciter non esse subiectum, & orationem, qua cognoscimus ignota, esse subiectum: an is à se ipso dissentiat, eorū erit iudicium, qui sciunt, homines à se ipsis discrepare tum, cum de una atque eadem re, quæ inter se pugnent, loquuntur, ut primo Elenchorum libro docet Aristoteles. Oportet autem, qui alios uolunt redarguere, rectè eorum uerba, quos redarguunt, considerent, ac intelligant: quod quidem nisi faciant, maximè ipsi sunt redarguendi. Me uerò ita dixisse, huiuscemodi orationē, qua cognoscimus ignota, esse subiectum, ita perspicuum est ex meo libro, ut nihil clarius fieri possit.

SECTIO IX.

PRæterea quòd hæc scripsi,

Docere autem constituere orationem, est eam aliquo modo considerare, ut oratio est. non enim hic oratio ita sumitur, ut res significat, sed tantūmodo, ut docetur constitui, quo in sensu uidetur aliquo modo à se ipsa distingui, cum scilicet consideratur, ut significat res, etsi ipsa quidē semper est rerū significatiua. Quare hæc facultas iure optimo de sola dicetur oratione. "

Quòd hæc inquam ita scripsi, Bandinellus contra me his utitur uerbis:

Tinca, inquit, Placentinus unò uerbo peccabat, hic uerò una sententia, tria. Docere enim constituere, praticæ est: considerare uerò, Theoricæ. Præterea si Theologus ea quæ sunt, ut sunt, considerat, quod Antonius uult considerare orationem, ut oratio est, non Logici, sed Theorici est. Tertium peccatum illud antiquum suum, ut plurima pronunciet, uera, an falsa sint, non laboret. "

Sed quantopere ipse peccauerit, qui falsò alijs cõplura obijcit, nihil necesse est ostendere, satis res ipsa per se declarat. neq; enim facilè est intelligere, quorsum spectet, quod primùm dicit, docere operari praticæ esse. Ego enim in meo libello asserui, Logicam esse artem, nõ scientiam, quòd docet operari: quin hoc tanquam fundamentum conclusionis meæ posui.

Quod autem secundo loco scribit, declarat, eum non intelligere, quæ spectãt ad scientias, quæq; à me dicta sint. Longe enim aliud est, dicere, hominem considerari ut homo est, & hominem considerari esse. siquidem hoc ad Primum philosophũ spectat, illud uerò ad naturalem. Ego autẽ non dixi, cõsiderare orationem esse: sed docere constituere orationem, esse cõsiderare eam ut oratio est. quod idem ualet, ac si dixissem, ut est oratio. Itaq; patet, hominem idcirco deceptum esse, quòd ego posueram uerbum est pòst, quasi ista propositio non sit (uti uocant) de tertio adiacente, si ita proferatur, homo albus est. Quod autem mihi postremò obijcit, an uerum sit, nec'ne, aliorum erit iudicium.

Præterea, quoniam dixi, orationem in Logica sumi, non ut significat res, sed ut oratio est, quæ docetur arte constitui, exclamat homo aduersus me. Sed si animaduertisset, quæ à me superius disputata essent contra secundas intentiones, haud ita, credo, exclamaret. Dixi enim, quæ sunt in Logica, esse res, itemq; significare res. Sed si comparetur oratio, quæ significat res, quatenus docetur arte constitui, cum oratione, quæ significat res, sed nõ quatenus docetur arte constitui, primò considerari, ut non significat res, itaq; Logicam dici de sola oratione. quod quidem à me ideo dictum est, ut distinguerem Logicam à Prima philosophia, quę Logica considerat.

Quemadmodũ eam I. Perihermenias lib. definit Aristoteles, idq; feci ipsius Aristotelis exemplo, qui I. Rhetoricorum lib. scribit,

" *Dialecticam & Rhetoricam esse solùm de sermonibus.*

Quæ tamen sunt etiam de rebus, atq; adeò de omnibus rebus, sed præ cæteris facultatibus & scientijs sic eas appellauit, quòd non differerent de rebus certis, definitisq; per necessaria, sed de rebus indefinitis per probabilia. Ex quibus quidem facilè speramus constare, inania esse, & nullam planè uim habere ea, quæ Bandinellus de hac re contra nos scribit. Hæc ipsa autẽ breuitatis causa de procemio sustulimus, quę tamen hoc loco attingenda putauimus, ne fortè homo existimaret, nos rationibus eius cõmotos, hæc silentio præterijsse.

SECTIO X.

Reprehendit deinde me, quòd dixi, facultatem eam, cuius subiectum est oratio, qua cognoscimus ignota, quæq; tantummodo est de oratione, sic accepta ut demõstrauimus, appellari posse Logicam. idq; propterea facit, quòd ait iam pridem ita esse appellatã: non animaduertens me ita loqui, quasi hęc ipsa ars nunc cõstituta esset. Loquor enim de eius causa, idq; propter

uarias

uarias de hac re multorum opiniones. Illud etiam minimè prætereũdum uídetur, Aristotelem (quòd ego quidẽ meminerim) nusquam hanc artem appellare Logicam, sed ubiq; hoc ipso nomine uti pro rationibus dialecticis, et communibus: sic autem ab ipsis Interpretibus uocata est. sed hoc parui refert: satis est, me ita de ea esse locutum, quasi nunc (ut dixi) inuenta esset. Quod si homo animaduertisset, non tam multa, credo, uerba præter rem fudisset.

Quòd uerò nullum me reprehendendi finem facit, quòd definierim, dialecticam esse facultatem perspiciendi probabilia in unaquaq; re, si ea spectasset, quæ spectare debent, qui uolunt alios redarguere, haud profectò commisisset, ut ipse reprehendendus esset. Aristoteles enim 1. Topicorum lib.

Propositum, inquit, negocij methodum inuenire, à qua poterimus " *syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* "

Quòd si methodus illa, quæ quidem est dialectica, docet inuenire probabilia, docet etiam cognoscere probabilia: sed perspicere (ut nemini obscurum est) idem ualet, quod cognoscere: ergo docet perspicere probabilia, itaq; est facultas perspiciendi probabilia. Cum uerò infert, Ergo erit modus cognoscendi: cõcedimus. omnes enim facultates appellari licet cognoscendi modos, quippe quæ nullam aliam ob causam traduntur, nisi ut doceant cognoscere: utuntur enim & syllogismis, & definitionibus. Quod autem infert, Ergo dialectica erit subiectum Logicæ: id uerò negamus, quia modus cognoscendi simpliciter, & absolutè consideratus, non est subiectum Logices, sed quatenus docetur arte constitui. Quatenus autem simpliciter, & absolutè consideratur, ad Primam philosophiam spectat: est enim affectus entis.

Cæteræ etiam facultates, quæ syllogismos habent, & definitiones, uocantur modi cognoscendi sua ipsarum subiecta. Tamen neque modus cognoscendi est in illis subiectum, neque illæ ipsæ in Logica. quemadmodum etiam, quæ in omnibus facultatibus tractantur, sunt entia: non tamen ex eo sequitur, ut cæteræ facultates sint subiectum Primæ philosophiæ, cuius quidem ipsum ens est subiectum. non est ergo dialectica subiectum Logicæ, nisi eo modo, quo diximus.

Itaq; ego neq; arbitratu meo definiui dialecticam, sed ut innuit Aristoteles: neq; usus sum uerbis ignotis. perspicere enim est uerbum usitatissimum, quo etiam utitur Georgius Trapezuntius in definitione Rhetoricæ, quæ essentialiter, ut ita dicam, eadem est quæ dialectica: differt tantummodo accidentaliter, ut alibi ostendimus.

Multa præterea Bandinellus scribit, quæ (meo quidem iudicio) ab hoc loco aliena sunt. mihi enim propositum fuit, ostendere, Prædicamenta non esse partem Logicæ: ut ex eo appareret, non illa me temerè in tradenda Logica omisisse, quippe quæ ad primam philosophiam spectarent, id quod proprijs rationibus ostendi.

SECTIO XI.

QVod autem subdit, Aristotelem non usum esse nomine Logicæ facultatis, neq; artis, & quæ sequuntur, uidetur à se ipso discrepare. Superius enim reprehendit me, qui dixissem, posse illam appellari Logicam, quòd diceret, hoc esse uerbum usitatum, eoq; uti ipsos Aristotelis Interpretes: non sentit igitur, sese, dum me redarguit, & se ipsum, & eos quos laudauit, Interpretes redarguere. Ego enim, qui quantùm patitur ueritas, Interpretum opinionem sequor, ostendi, facultatem illam, cum primùm inuenta est, appellari potuisse Logicam, illud innuens, si hoc illi nomē postea inditum sit, non sine ratione id esse factum. Præterea, si hæc ipsa facultas docet operari, cur appellari non potest ars, seu facultas? cum Rhetoricam uocarit Aristoteles, & artem, & facultatem, ut ex libro Rhetoricorum patet: qui item sæpenumero artes nuncupat scientias, ac rursus scientias artes. Adde, quòd uox δύναμις, qua utitur Aristoteles, latinè redditur facultas, quæ idem ualet quod potentia, usurpaturq; pro artibus & scientijs, & pro omnibus habitib. actiuis. Aristoteles enim lib. IX. Primæ philosophiæ, tex. IIII.

» *Quapropter, inquit, omnes artes, omnesq; scientiæ effectiuæ po-*
» *tentiæ sunt.*

Quòd si Marcus Tullius dialecticam appellet artem, quæ docet proprietates illorum instrumentorum, hoc nihil ad me. ego enim sequor Aristotelem.

Præterea si Aristoteles non usus est nomine Logicæ pro ea arte de qua nos loquimur, sed pro dialectica, dialectica, & facultas illa quam isti Logicam uocant, diuersæ sunt. aliter enim cum unam nominasset, & alteram nominatam esse intelligeremus. Itaq; sibi non cōstat Vbaldinus, qui superius statuit, nihil inter illas differre: meq; reprehendit, qui eas distinguerem.

Cum uerò conatur ostēdere, uocem λογικὴν ualere διαλεκτικὴν, tantùm abest ut id contrà nos faciat, ut maximè etiam opinionē nostram confirmet. In proœmio enim ita scripsimus:

» Quòd si rationes, quæ sunt ex locis communibus, dicantur Logi
» cæ, sic propterea dicuntur, quia sunt probabiles, et uerisimiles. λόγος
» enim præter cætera id quoque significat. Quamobrem loci omnes, quos citat, ut ostendat, Logica significari dialecticam, in quibus est ille I. Posteriorum libri, confirmāt opinionem meam de distinctione facultatis eius, quam isti Logicam uocant, ab ipsa dialectica. Nam si Aristoteles, cum ostendisset, in Prædicamentis non esse processum in infinitum, dixit, se demonstrasse logicè, deinde uelle demonstrare analyticè, ratio illa Logica non est propria eius facultatis, ut concedit etiam Vbaldinus, & declarant loci ij quos citauit. Itaq; dialectica distinguitur ab ea facultate, quam isti appellant Logicam. non enim de nomine disputamus, sed de re. Nam hæc est opinio mea, facultatem eam, quam nuncupant Logicam, quæ tradit proprietates instrumētorum, aliam esse ab ea quam Aristoteles appellat dialecticam.

SECTIO XII.

QVoniam uerò dixeram, differre inter se Logicam & dialecticam, cũ in dialectica, hoc est in Topicis, agatur etiam de proprietatibus syllogismi dialectici, quæ res propria est facultatis eius quæ tradit regulas instrumentorũ, ne quis illud mihi opponeret, quemadmodum Aristoteles dixit, Rhetoricam esse compositam ex scientia resolutiua, & ex illa ciuili quæ est " de moribus: ita dico licere dialecticam constare ex resolutiua scientia, " & ex locis communibus, occurri tacitæ huic dubitationi, ac totam rem declaraui, ut patet in procemio. Verùm contra ea quæ de hac re dixi, multa scribit Vbaldinus, quorũ partim nihil ad rem faciunt, partim etiam à ueritate abhorrent. In his illud (meo quidem iudicio) falsum est, nullam partem Analyticorum esse, quæ doceat proprietates syllogismi dialectici. Hoc enim præstat prima pars lib. Topicorum, atq; hæc ipsa dicitur Analytica, quia omnis doctrina, quæ traditur ex cognitione finis, uocatur resolutiua, et analytica, ut patet tertio Ethicorum lib. cap. VI. atq; ob hanc quidem causam inscripti uidentur esse libri Priorum et Posteriorum resolutiui, seu Analytici, quòd ex fine syllogismi simpliciter, qui quidem est concludere necessariò, ostendit Aristoteles eius proprietates. Itemq; ex fine demonstrationis, qui est facere scire, docuit ipsius demonstrationis naturam. neq; enim sic inscribuntur libri illi ob eas causas, quas exponunt Interpretes, quæ quidem causæ magnas habent difficultates. Item etiam cum ex fine syllogismi dialectici, qui est efficere opinionem, doceat Aristoteles, illum esse ex probabilibus, hæc doctrina, etsi aliquo modo non perfectè tradita est, tamẽ appellatur Resolutiua, et Analytica, ut ibi dixit Aristoteles, & ostendit I. Rhetoricorum lib. his uerbis:

Quod enim & prius fuimus dicentes, uerum est, quòd Rhetorica " est composita ex resolutiua scientia, & ex ea Politica, quæ est cir- " ca mores. "

Superius autem dixerat,

Itaq; efficitur, Rhetoricam quasi propaginem esse dialecticæ, & " eius negocij quod circa mores est: quod cum de affectibus sit, æquum " est ut ciuile appelletur. "

Analyticam igitur scientiam, ex qua dixit esse compositam Rhetoricam, uocat ipsam dialecticam. nusquam enim alibi superius dixerat id, quod sese ait dixisse, Rhetoricam scilicet esse cõpositam ex aliqua facultate: nisi cũ dixit, eam esse propaginẽ dialecticæ & ciuilis. quod cum dixisset, ita repetit:

Quod enim fuimus prius dicentes, uerum est, quòd Rhetorica est " composita ex resolutiua scientia, & ex ea ciuili, quæ circa mores. "

Itaq; concludit idem quod dixerat, simul & mentionem facit de ciuili, ac subdit: Similem esse partim dialecticæ, partim Politicæ, ut ali- " quis liber habet: uel sophisticis orationibus, ut legunt alij. Ergo rectè

 à nobis

à nobis dictum eſt. Sed qui pauca ſpectant, hi nimirum quicquid in mentem uenit, temerè enunciant.

Illa tamen reſolutiua pars, quam ponit Ariſtoteles in dialectica, nõ eſt per ſe pars dialecticæ, ſed Ariſtoteles ibi ſuſcipit perſonam Logici: appellatur tamen dialectica impropriè, quia eſt in ea doctrina, quę dicitur dialectica, quemadmodum etiam ipſe Ariſtoteles Rhetoricã uocat partim ciuilem, quæ tamen eſt pars ipſius Rhetoricæ per accidens, nõ per ſe. Nam (ut ipſe inquit) Rhetorica loquẽs de ciuilibus, induit figuram Politicæ. Falſum eſt igitur (ut patet) Ariſtotelem non appellaſſe hanc partem Analyticam. quod etiam ſi non feciſſet, tamen ex hoc non ſequeretur, ut pars illa non eſſet Analytica. Nam idem Ariſtoteles III. & V. librum Phyſicorum nõ uocauit de motu, qui tamen ſunt de motu. rurſus VIII. librum nuncupau.t de motu, non de natura, qui tamen eſt de natura.

Nos ergo diximus, hanc quidem eſſe Logicam, ſed ex ea parte tantummodo, quæ locos includit, propriè dici dialecticam: uerſari enim inter opponentem, & reſpondentem.

SECTIO XIII.

SEd urget ipſe, quòd neq; id ego oſtendam, neq; quiſquã præter me dixerit unquam, dialectica uocari à Topicis. ego uerò oſtendi, dialecticam dici partem illam ratione illorum locorum, quia ex his dicitur uerſari inter opponentem, & reſpondentẽ, ex quo propriè uocatur dialectica. Id quod oſtendens Alexander (ut interpretũ etiam, quos ipſi ſequuntur, auctoritate utar)

» Nomen, inquit, dialecticæ ab ipſo diſputare proficiſcitur, & diſpu-
» tatio fit interrogatione & reſponſione.

Et paulo pòſt,

» Cæterùm de ſic dialectica etiam in alijs libris tractauit, maximè ta-
» men in his, quæ ſcribuntur Topica, quòd nonnulli loci in ipſa tra-
» duntur, à quibus initium facientes, poterimus de omni propoſito
» problemate per opinabilia ratiocinari.

Vult ergo Alexander, ex eo dici dialecticam, quòd diſputatiua ſit: diſputatiuam autem eſſe, quia uerſatur inter opponentem & reſpondentem uerſari uerò inter opponentem & reſpondentem ratione illorum locorum, quibus nos uti poſſumus ad oppoſita. Cum igitur duæ ſint partes illius libri, quarum altera eſt per accidens, in qua traduntur regulæ ſyllogiſmi dialectici: altera, quæ tantùm habet locos illos: diſputatiua autem non poſſit eſſe ratione illarũ regularum, neceſſe eſt ut ſit ratione illorum locorum. Itaque rectè à nobis dictum eſt, eam propriè dici dialecticam ab ea parte quæ includit locos, non
» ab illis proprietatibus ſyllogiſmi dialectici. Cætera, quæ de hac re
» ſcribit Vbaldinus, neq; ad rem facere, & falſa eſſe, conſtat ex eis quæ dicta ſunt. oſtendimus enim in Commentario, Prædicamenta neq; Logicæ partem eſſe, neq; dialecticæ.

Deinde cum oſtendiſſem, differre inter ſe Dialecticam & Logicã,

intuli id, quod necessariò uideretur insequi, nō rectè eos definisse dialecticā pro Logica, qui dixissent, eam esse artium artem, & scientiam scientiarum, quæ ad omnium methodorū principia uiam haberet. Neq; enim dialecticā esse Logicam, intelligendo Logicam artem illā quæ tradit proprietates instrumentorū: neq; illam definitionem conuenire Logicæ, quòd Logica non habet aditum ad principia omniū methodorū, quippe quæ solùm tradit regulas instrumentorum: dialecticam uerò hoc præstare per ea probabilia, quæ sunt in unaquaq; re. Id quod apertè ostēdit Aristoteles 1. lib. Topicorum, his uerbis:

Adbuc autem ad primā eos, quæ in unaquaq; disciplina sunt principia. nam ex proprijs secundùm propositam disciplinam principijs, impoßibile est aliquid dicere de ipsis, eo quòd prima principia sunt omnium, sed per ea quæ sunt circa singula probabilia, necesse est de illis transigere. id autē proprium maximeq; peculiare dialecticæ est, cum enim sit inquisitiua, ad omnium methodorū principia uiam habet. "

Habet ergo dialectica uiam ad omnium methodorū principia, ob ea quæ considerat probabilia. quod quidem cum minimè præstare possit Logica, haud ei conuenit illa definitio.

Quod autem dicit, me tribuere hanc definitionem dialecticæ, falsum est. negaui enim solùm, hanc conuenire Logicæ. Quòd si de me quærat aliquis, an conueniat dialecticæ, neq; propriè etiam conuenit ipsi dialecticæ. nam dialectica, neq; est ars propriè, neque scientia, ut ostensum est ab Aristotele 1. Rhetoricorū lib. neq; habitus ullus potest simul esse & ars, & scientia.

Quod uerò negat, me, quæ dicerem, ostendisse: decipitur. rationes enim, quibus docui, dialecticam non esse Logicam, declarant, illam definitionem non conuenire Logicæ.

Quæ uerò affert, ut ostendat, Logicam dici artium artem, & scientiam scientiarum, ea neq; Aristotelis auctoritate nitūtur, neq; ad rem faciunt: propterea quòd ego negaui, definitionem illam conuenire Logicæ, ob eam quam demonstraui causam.

Multa præterea dicit de dialectica, quæ inter se pugnāt. nam apertè ostendit, illam esse distinctam à Logica. Ait enim, eam definitionē, " quam ego redargui, conuenire Logicæ, non dialecticę: quæ quidem est illa quæ uersatur inter opponentem & respondentem, & de qua ego disputo.

Quod uerò ita subdit,

Nam quod Aristoteles 1. Topicorum ei tribuit, ut de initijs disciplinarum disserat, primùm non eam dialecticam intelligit, quam describens Antonius, uersari ait inter opponentem & respondentem: sed de superiori, quæ est species Logicæ: "

Perspicuè ab Aristotele discrepat, qui de ea dialectica loquitur, quæ est ex probabilibus, quæ sunt in unaquaque re. hæc enim constat ex locis communibus, & uersatur inter opponentem & respondentem. Præterea quî illud uerum est, Aristotelem, cum dicat,

dialecticam habere aditum ad principia, intelligere de speciebus Logices? Quæ enim probabilia considerant species Logicæ, ut possint disserere de principijs?

Huc accedit, quòd Aristoteles loquitur eo loco de ea dialectica, quæ est utilis ad disciplinas, quæ secũdùm philosophiam sunt. Nam qui potest in utranque partem disputare, is cernit uerum & falsum. Cõstat autem, Aristotelem de eadem facultate loqui, cum dicat, esse utilem ad tria.

Hæc uerò dialectica, quæ potest in utranque partẽ disserere, est, quę uersatur inter opponentem & respondentem. Perperam igitur negat, intelligi eam, quam ego demonstraui. sed uideat Alexandrum, et cæteros Interpretes, quibus tantùm uidetur tribuere: ita facilè intelliget, quàm apertè non ab Aristotele modo, sed à suis etiam Interpretibus dissentiat.

Constat igitur, eum sine causa à proposito egredi, ut ostendat id quod ego minimè asserui; definitionem illam non conuenire dialecticæ. Præterea multa scribit, quæ falsa sunt, ut ostensum est, & à se ipso discrepat. ponit enim Logicam, & dialecticam eam, de qua ego locutus sum, inter se distinctas esse: cum tamen superius me reprehenderit, qui dixerim, eas esse distinctas. Vter nostrum igitur magis reprehendendus sit, iudicabunt alij.

SECTIO XIIII.

DEinde cum ego ita dixissem,

» Facilè enim quilibet intelligere potest, eo lib. Aristote
» lem substãtiæ, cæterorumque generũ, quatenus talia sunt,
» itemque eorum quæ continentur ipsis generibus, naturã,
» & affectus, quoad fieri potuit, declarare.

Multis uerbis contra me inuehitur, quòd ait, dixisse me, id esse co
» gnitu facile, quod nemo tamen tot seculis intelligentia consequi po
» tuerit. Ego uerò dixi, id facilè quemlibet intelligere posse, qui scilicet rationes meas legisset, & percepisset. Quare cum ea omnia, quæ de hac re scribit, uerba sint tantummodo, neque ullam omnino rationem adiunctam habeant, ad ea nihil attinet quicquam respondere.

Quod uerò conatur id euertere, quod ego dixeram, Prædicamenta non posse aliter describi, ut ipsa sunt: ad hoc satis responsum esse arbitramur, cùm cæteris huius Apologiæ libris, tum uerò maximè III. libro. Oportuit autem ostendere, alias esse in Prima philosophia descriptiones, & proprietates, quæ cõuenirent eis, ut ipsa sunt. Quis negat enim, Primam philosophiam cõsiderare ens, ut ens est: & Prædicamenta, ut entia: siquidem omnia quæ sunt, ut entia considerat. Sed illam dicimus, præterquàm quòd Prædicamenta considerat, ut entia, considerare eadem quoque ut ipsa sunt, quemadmodum superiori libro ostendimus. Quod autem subdit,

» Licet eædem sint definitiones in Prædicamentis, & in Metaphysi
» ca, tamen ex hoc non inferri licere, librum Prædicamentorum esse partem Metaphysicæ, quia in reliquis discrepant.

Id

Id uerò negamus. neq; enim in reliquis omnibus discrepant, ut rationes nostræ ostendunt: neq; fieri potest, ut in ulla doctrina quippiam sit, quo aliquid concludatur, quod ad illam ipsam doctrinam pertineat, idemq; reperiatur in alia doctrina: quo item concludatur aliquid, quod huius ipsius facultatis proprium sit, atque eodem modo consideretur. ita enim liceret descendere de genere in genus. Neq; id quod ipse ait, ita se habet in omnib. facultatibus. facultates enim inter se distinctæ sunt, tum quia res distinctas pertractant, tũ quia differũt ipsa pertractandi ratione, modoq;, qui quidẽ modus illas reddit specie distinctas. Ita fit, ut quod ad unã aliquam doctrinã pertinet, id sumi nõ possit, ut aliquid cõcludat in alia: quòd si sumitur, & nõ uariat rationẽ specificã, illa quidẽ facultas, in qua sumitur, dicit̃ suscipere personã eius facultatis, à qua id sumitur. sed nõ potest quicquã ex eo cõcludere: illud eñ falsum esset, nõ licere descẽdere de genere in genus. Sed de hac re III. huius Apologiæ lib. satis superq; disputauimus.

Quod autem dixi, Aristotelem ostendere in Prædicamentis, species esse magis substantias, quàm genera, idq; pertinere ad Primã philosophiam, quæ item ostendit, formã esse magis substantiam, quàm materiã, redarguit me, atq; ait, hæc lõgè interesse. Sed decipitur, quia prædicata coarctant subiecta quo ad hanc rem. Quare cum substantia, ut substantia, pertineat ad Primam philosophiam, quæcunq; cõsiderant̃ ut substantia, pertinẽt ad ipsam Primã philosophiam: quẽadmodũ etiã, si quid cõsideratur ut ens, spectat ad Primã philosophiã. Sed de his & in Cõmentario, & superioribus libris, satis multa disseruimus. Quemadmodũ autẽ Aristoteles imperfectam rerũ cognitionẽ tradiderit, nisi liber Prædicamentorũ sit pars Primæ philosophiæ, ea itẽ quæ scribit Vbaldinus, nihil ratiões meas infirmare, satis ex eis quæ superiorib. lib. disputata sunt, intelligi posse arbitramur.

Multa præterea subiungit, quæ (ut ex ijs patet, quæ superioribus libris diximus) partim sunt falsa, ut illud, quantitatẽ, quatenus est quãtitas, cõsiderari à Prima philosophia: partim nihil ad rem faciũt, ut cũ ait, "Quis omnino nescit, qui modò Aristotelis nomẽ audierit, Theologiam, ens, ut ens, cõtemplari?" Et multa alia, quæ hoc loco scribit. Quod idem dicendũ est de eis, quibus conat̃ ostendere, cõsiderare substantiam, ut substantia est, non esse considerare eam ut ens: id quod nos sæpenumero concessimus. illum etiam non percepisse rationem nostram, ex superioribus libris constat.

Quod uerò à proposito digrediẽs multis uerbis conat̃ ostendere, unã atq; eandẽ rem diuersis modis consideratã, necessariò pertinere ad duos artifices: hoc tantũ abest ut ego negauerim, ut etiã quasi fundamentũ rationis nostræ fecerim, sicuti ex nostro Cõmentario, et ex superioribus libris patet. Verum ipse hunc laborẽ suscepit, quòd nõ rectè rationẽ nostrã perceperat. Quoniam uerò superiorib. libris, uel nominatim, uel tacitè dissoluta essent ea omnia, quæ deinceps ad libri calcẽ usq; scribit Vbaldinus, ne oratio nostra lõgius progrederetur, ac ne sæpius eadẽ à nobis ratio repeteret̃, hæc missa esse facienda statuimus.

Sectio

SECTIO XV.

SCripſere item contra nos quidam alij, non modò Itali homines, ſed Hiſpani etiam, Galli, ac Theutonici, egregij ſanè uiri, quiq; multis, et peracutis argumentationibus uſi ſunt: ſed cum illorum argumentationes partim poſitæ eſſent ab eis, quibus ſingulis ſeparatim reſpōdimus, partim ex eis quæ diximus, facilè diſſolui poſſe uiderentur, ſuperuacaneum fore exiſtimauimus, ſi eorum quæ à nobis ſcripta ſunt, rurſus mentio fieret. Præſertim cum, ſi à nobis (ut ſperamus) ueritas facit ijs in rebus, in quibus unum Ariſtotelem ſecuti, à communi uulgataq; cæterorum opinione receſſimus: fore confidamus, ut nō modo diſſoluta ſint ea quæ cōtrà nos ſcripta ſunt hactenus, ſed facilè etiam diſſolui poſſint, quæcunq; aliquando ſcribentur. Itaq; de hoc toto genere diſputandi finem iam faciendum eſſe exiſtimamus: tantùm homines bonarum literarum ſtudioſos rogamus (quod etiam in exordio fecimus) ut nō antè cōtra nos ſententiam ferant, quàm libros noſtros accuratè perlegerint, rationesq; eas, quibus adducti nos in hanc opinionem diſceſſimus, diligenti, rectaq; tanquam iudicij trutina examinauerint. Quòd ſi fortè eorum lectione abſtinuerint (neq; enim ego id nimis laboro) æquum eſt etiam à iudicando abſtineant. Siquidem nullo modo fieri poteſt, ut is unquam rectè iudicet, qui non rationes omnes, quæ utrinq; allatæ ſint, quam optimè perceperit: ut enim quiſq; rem maximè cognitam habet, ſic optimus eſt iudex. Reperiuntur tamen quidam homines ita malè ad ueritatem affecti, ut cum primum audiant, quæ nunquam antea ſoliti ſint audire, quæq; ab ijs diſcrepent, quorum in uerba iurarunt, ſtatim ea reijciant, & à ueritate prorſus aliena iudicent. Quos quidem certò ſcio, cum ea quæ à me ſcripta ſunt, legerint, ualde reclamaturos eſſe, magnasq; turbas in me concitaturos. Sed quid tandem illi ſentiant, quid'ue contrà me pronuncient, mihi planè negligendum arbitror: nemo eſt enim, qui neſciat, omnem his ad ueritatem percipiendam obſtructum eſſe aditū. ſiquidem qui amant, aut oderūt, quorum'ue utilitas agitur, nihil hi rectè, ſinceré ue dijudicare poſſunt, ſed eorū iudicia uel uoluptate, uel dolore omnino deprauantur. perindeq; illis accidit, ac ſi quis inflexa, ad quam dirigat aliquid, regula utatur.

Hæc ſunt ampliſſime Alexander, quæ, ut ſummorum philoſophorum rationes diſſoluerem, quibus opiniones meæ maximè infirmari uiderētur, ſcribenda duxi: quæ ſi eiuſmodi fuerint, ut ſtudioſis hominibus aliquid utilitatis afferant, id omne tibi quidem in primis acceptum referri debet. Tua enim potiſſimùm cauſa hunc ipſi laborem ſuſcepimus, opusq; ipſum, qualecunq; eſt, tibi dicauimus, ut non minus iam tuum illud, quàm meum iure uocari poſſe uideatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

APOLOGIAE LIBRI OCTAVI

FINIS.

BASILEAE, PER [redacted] *ANNO SALVTIS*
Humanæ, M. CCCCC. XLV.
Menſe Auguſto.